FRATRIS

CASTI INNOCENTIS ANSALDI

ORD. PRÆDIC.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ
DE RE SACRAMENTARIA

HABITÆ IN TAURINENSI UNIVERSITATE

Nunc primum in lucem editæ

CURA, ET STUDIO

FR. DOMINICI MARIÆ FEDERICI

EJUSDEM ORDINIS.

IN SEMINARIO TARVISINO THEOLOGIÆ DOGMATICÆ
ET HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ PROFESSORIS.

TOMUS SECUNDUS.

De Sacramento Pœnitentiæ, et de Indulgentiis,
de Extrema Unctione, Ordine Sacro,
et Matrimonio.

VENETIIS,
Ex Typographia Balleoniana.

MDCCXCII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

Digitized by Google

DISSERTATIO V.
DE
POENITENTIA
PRÆFATIO.

1. ETſi omnia novæ legis Sacramenta, utpote a Chriſto Domino inſtituta, immenſi ſint pretii, & ad Catholicæ fidem Eccleſiæ æque pertineant; quæ ad pœnitentiæ Sacramentum tamen ſpectant quæſtiones ſingularem poſtulare ſibi videntur animi attentionem, non ob eas modo, quæ circumferuntur in præſens de eodem diſputationes, verum etiam, quod univerſum hoc juſtificationis hominum negotium, tantæ neceſſitatis ſit, ut in ipſo clara quædam, & aperta veræ religionis nota ſita eſſe videatur. Lactantius libro divinarum inſtitutionum 4. cap. ult. vera ſigna Eccleſiæ, ſecundum quæ ab Hæreticorum conventibus, & ſectis diſtinguebatur, explicans, hæc animadverſione digniſſima ſcribit: *Sola igitur Catholica Eccleſia eſt, quæ verum cultum retinet, hic eſt fons veritatis, hoc eſt domicilium fidei, hoc templum Dei, quo ſi quis non intraverit, vel a quo ſi quis exiverit, a ſpe vitæ, & ſalutis æternæ alienus eſt. Sed quia ſinguli quique cætus Hæreticorum ſe potiſſimum Chriſtianos, & ſuam eſſe Catholicam Eccleſiam putant, ſciendum illam eſſe veram, in qua eſt religio, Confeſſio, & Pœnitentia, quæ peccata, & vulnera, quibus eſt ſubjecta imbecillitas carnis ſalubriter curat.* Inquirendum igitur, veriſque ex fontibus, divinarum nempe Scripturarum traditionis Apoſtolicæ, & Sanctorum Patrum monumentis hauriendum ſtatuendumque eſt quid ſit Confeſſio & Pœnitentia, quid remiſſio peccatorum, quibuſque actibus, & mediis obtineatur, quo tam pretioſum fidei noſtræ donum tutiori via intelligere, Deo opitulante valeamus.

CAPUT PRIMUM.

De variis Pœnitentiæ nominibus, ejuſque diſtinctione, ac definitione.

2. POEnitentia apud SS. Patres pluribus nominibus appellata eſt; dicta eſt quippe Myſterium reconciliationis, Medicina, Remedium, Indulgentia, Remiſſio, Crucifixio hominis interioris, cordis confractio, & comminutio, veteriſque hominis in pulverem redactio; appellabatur quoque ſecunda poſt naufragium tabula, laborioſus Baptiſmus, manuum etiam impoſitio a cæremonia olim in uſu habita, cum abſolvebatur pœnitens. De his, ſimilibuſque pœnitentiæ appellationibus copioſe agunt Novarinus, Morinus, Dumortierius, aliique. Frequentius autem a Græcis Exomologeſis dicitur, ideſt Confeſſio, ſive communicatio, & pax, eo quod pœnitentes, qui peccata ſua confitentur, Eccleſiaſticæ communioni reſtituantur. A Latinis vero dicitur Sacramentum abſolutionis, a Sacerdotis abſolutione, quæ in hoc Sacramento habet rationem formæ, ut ſimilia alia nomina prætereamus, quæ apud tritos etiam extant ſcriptores, quorumque nullum ſatis denotat integrum pœnitentiæ ſacramentum, ſed ejus tantum aut diſpoſitionem, aut partem, aut conditionem, aut ritum, de quibus omnibus ſuo loco.

3. Interim prænotandum, quid inter pœnitentiam interſit, quam nobis divina non ſemel eloquia commendant, eamque quam volumus eſſe Catholicæ Eccleſiæ Sacramentum. Illa pœnitentia virtus eſt, vel actus virtutis, hæc autem Sacramentum eſt novæ legis a Chriſto Domino ad

 illos,

illos, qui poſt baptiſmum peccavere, juſtificandos inſtitutum, plus aliquid requirens, quam qualemcumque virtutis actum. Quare Patres Concilii Tridentini ſeſſ. 6. cap. 14. inquiunt. *Docendum eſt, Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum multo aliam eſſe a baptiſmali, eaque contineri non modo ceſſationem a peccatis, eorumque deteſtationem, aut cor contritum, & humiliatum, verum etiam eorumdem ſacramentalem confeſſionem, & ſatisfactionem.* Quo teſtimonio patet diſcrimen inter pœnitentiam, quæ virtus eſt, quæ propria etiam eſt eorum, qui poſt Baptiſmum in innocentia perſeverant, & pœnitentiam alteram, quæ eſt ſacramentum, & propria eſſe debet illorum, qui in peccata lapſi ſunt. Idem Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1.: rurſus ita ſtatuit: *Fuit quidem pœnitentia hominibus univerſis, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam, & ad juſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam, qui Baptiſmi ſacramento ablui petiviſſent, ut perverſitate abjecta, & emendata, tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtarentur .... Porro nec ante adventum Chriſti pœnitentia erat ſacramentum, nec eſt poſt adventum illius cuiquam ante Baptiſmum.* Itaque hæc pœnitentia virtus eſt tantum, quovis tamen tempore ad veniam peccatorum obtinendam neceſſaria.

4. Ejuſmodi autem diſcrimen confirmatur magis ex diverſa utriuſque Pœnitentiæ definitione; illa ſiquidem quæ virtus, vel virtutis actus eſt definiri poteſt cum Tridentino: *animi dolor, & deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero*; illa vero, quæ eſt ſacramentum definiri poteſt: *Triſtitia de peccato cum ſtudio placandi Deum per media ad hoc divinitus ordinata, nempe per confeſſionem, & ſatisfactionem.* Quare ſacramentum pœnitentiæ illud verum, in quo vere pœnitentibus, & confeſſis cum propoſito ſaltem ſatisfaciendi ſacerdotalis abſolutio impenditur a peccatis.

5. Conveniunt hæ duæ pœnitentiæ in nomine; conveniunt & in aliis ſex. Primo utraque in gratiam, & amicitiam Dei reſtituit: Secundo utraque requirit deteſtationem peccati, & vitæ emendandæ propoſitum. Tertio utraque eſt medicina ad delendum peccatum mortale poſt baptiſmum neceſſaria. Quarto utraque dicitur ſecunda poſt naufragium tabula. Quinto utraque requirit pro ſubjecto hominem adultum. Sexto utraque iterari poteſt. Differunt vero in aliis decem: Primo, ut virtus, eſt de jure naturali, ut Sacramentum vero eſt de jure poſitivo, & de inſtitutione Chriſti. Secundo quia qua Sacramentum habet pro materia tres partes, nempe dolorem, confeſſionem, & ſatisfactionem, non vero ut virtus. Tertio quia ut virtus per ſolum dolorem eſt pars quædam Sacramenti; Sacramentum autem eſt ipſum totum, quod præter dolorem, & alios actus, dicit etiam abſolutionem. Quarto quia ut virtus dari poteſt in hominibus ante baptiſmum, ſecus qua Sacramentum. Quinto quia qua virtus a mundi cœpit exordio; ut vero Sacramentum Chriſti fuit inſtitutionis. Sexto quia qua virtus, ut juſtificet, requirit actum perfectum, nempe perfectam contritionem, ut vero eſt Sacramentum cum ſola etiam juſtificat attritione. Septimo, quia qua Sacramentum eſt quid ſenſibile, ſicut omnia alia Sacramenta; ut vero eſt virtus eſt quid inſenſibile. Octavo quia ut virtus eſt cauſſa gratiæ per modum diſpoſitionis; at ut Sacramentum eſt cauſſa gratiæ per modum cauſſæ efficientis, inſtrumentalis, & ex opere operato. Nono, quia ut virtus fuit neceſſaria in omni ſtatu; qua Sacramentum vero eſt tantum neceſſaria in ſtatu gratiæ. Decimo quia virtus ponitur ſub genere habitus; Sacramentum ſub ſigno ſacro.

CAPUT II.

De Pœnitentia, prout eſt virtus.

6. HÆreticorum error oppugnandus eſt, qui ut pœnas, & ſatisfactiones pro peccatis neceſſarias eſſe negent, docent, pœnitentiam ſignificare ſimplicem reſipiſcentiam, propoſitum novæ vitæ inchoandæ, & vitæ novitatem, idque ex eo quod vox græca Methanæa, quæ in græco Scripturarum textu habetur, ſolam propoſiti, vel mentis emendationem ſignificare poſſit, & debeat. Ita ex Luthero, & Beza ceteri heterodoxi.

7. Non unum tamen illi errorem hic committunt. Primum quidem, quod apud probatiſſimos etiam Scriptores Pœnitentia dolorem, pœnamque denotet, quod patet ex Tullio libro Tuſcul. quæſt. 4. & Oratione pro Cælio: & Ovidio Lib. I. de Pont. Eleg. prim., Auſonio Epigr. de pœnitentia, aliiſque. Quin, ut animadvertit Melchior Canus par. pr. Lectionis de pœnitentia: *Certum eſt pœnitentiam a pœna derivari, priſcoſque auctores verbum pœnio, pro eo quod punio uſurpaſſe. Quin etiam,* ſubdit, *ſi rerum ordo fuerit diligenter inſpectus, reſipiſcentia, atque triſtitia uſque adeo ſibi viciſſim hærent, ut ſi alteram tollas, utramque neceſſe ſit eſſe ſublatam. Etenim, ſi ſapis protinus incipit diſplicere, quod placuit; immo ſi erratum tuum ſemel intelligis, tu ipſe incipis tibi illico diſplicere. Cum vero quidquam diſplicet, quod placebat, id, quemadmodum, quo tempore placuit delectabat, ita neceſſe eſt contriſtari, dum diſplicet.* Alter eſt, quod dogmata ad fidem, & diſciplinam Chriſtianam pertinentia, non ex incerta, obſcuraque, aut quacumque vocum etymologia deſumenda ſunt, ſed a ſenſu, quem vocibus illis affixarunt Sancti Patres, ſed ex Divina, & Apoſtolica aut Eccleſiaſtica traditione. Sic D. Be-

Digitized by Google

D. Baſilius Orat. 3. de ſiccitate Pœnitentiam Ninivitarum, quæ in cinere, ſacco, & jejunio fuit, græco nomine Methanæam adpellat, quo nomine Sacramentum hoc adpellaverunt omnes Græci, ut legere eſt apud Jeremiam Patriarcham Conſtantinopolitanum in oppugnatione confeſſionis Auguſtanæ.

8. Latini Patres eumdem ſenſum voci Pœnitentiæ tribuerunt, ut patet ex D. Cypriano ſermone de lapſis, D. Gregorio hom. 14. & Auguſtino hom. 54. cap. 5. cujus hæc ſunt verba: *Non ſufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitus, per contriti cordis ſacrificium cooperantibus eleemoſynis. Non enim dictum eſt, ut tantum abſtineamus a peccato, ſed & de præteritis inquit Scriptura Eccl. 22. deprecare Dominum*: hucuſque Auguſtinus, qui idem habet in Pſalmum 37., & ſerm. 3. in Nativitate Domini, ut Patres alios omittamus, qui omnes eamdem notionem Chriſtianæ Pœnitentiæ ex Scripturis hauſere. Nam Jobi cap. ult. legimus: *idcirco ipſe me reprehendo, & ago Pœnitentiam in favilla, & cinere*. Joel. 2. legimus: *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejuniis, & fletu, & planctu*. Matthæi vero 11. *Si in Tyro, & Sydone facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in te, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent*. Accedit veteris Eccleſiæ diſciplina, qua intelligimus, veram pœnitentiam conſtaſſe jejuniis, pœniſque non paucis, quas pœnitentiales Canones ſanciebant, ut in illis Conciliorum Eliberitani, Ancyrani, & Arelatenſis I. ut patet ex decretalibus antiquarum Pontificium, & ex libris pœnitentialibus Joannis jejunatoris, & Theodori Cantuarienſes Epiſcopi, Bedæ, & Romano. Adeo verum pœnitentiam pœnas ſecum ferre, & ſatisfactiones, gemitum, planctum, & cetera contritionem animi ſignificantia, & non tantum redire ad cor, ad ſanam redire mentem, aut ſimplicem tantum vitæ novitatem.

9. Virtutem hanc pœnitentiæ *infuſam* eſſe, apertiſſime oſtendunt multa Scripturarum loca: Pſalm. 84. *Converte nos Deus ſalutaris noſter*. Jeremiæ 31. *Converte me, & convertar: poſtquam convertiſti me, egi pœnitentiam*. Act. 10. *Gentibus pœnitentiam Deus dedit*: confirmantque perpetuæ Eccleſiæ preces quibus Deum precatur, ut orantium corda reſipiſcant, ut peccata noſtra plangere valeamus; ut ad veram pœnitentiam nos perducere dignetur, & hac de veritate ſoli dubitaverant Pelagiani, quos ſollicite oppugnavit Auguſtinus libro de Gratia, & liber. arb. cap. 5.

10. Cum vero *infuſam* dicimus Pœnitentiam, loquimur de habitu ipſius, Ordinem enim, & modum, quo actus ejus efformatur, ita deſcribit S. Thomas 3. part. quæſt. 85. art. 5. „ De Pœnitentia loqui poſſumus dupliciter, uno modo „ quantum ad habitum, & ſic immediate a Deo „ funditur ſine nobis principaliter operantibus, „ non autem ſine nobis diſpoſitive cooperantibus „ per aliquos actus: alio modo poſſumus loqui „ de pœnitentia quantum ad actus, quibus Deo „ operanti in pœnitentia cooperamur; quorum „ actuum primum principium eſt Dei operatio „ convertentis cor, ſecundum illud Threnorum, „ & Jeremiæ: Converte nos Domine ad te, & „ convertemur: ſecundum actus eſt motus fidei: „ tertius eſt motus timoris ſervilis, quo quis, „ timore ſuppliciorum a peccatis retrahitur; „ quartus actus eſt motus ſpei, quo quis ſub „ ſpe veniæ conſequendæ adſumit propoſitum „ emendandi ſe: quintus actus eſt motus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundum „ ſe ipſum, & non jam propter ſupplicia: ſextus eſt motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendationem Deo voluntariam offert. Sic igitur patet, quod actus „ pœnitentiæ a timore ſervili procedit, ſicut a „ primo motu affectus ad hoc ordinatus: a timore autem filiali, ſicut immediato, & proximo principio. " Hæc D. Thomas.

CAPUT III.

Datur revera Pœnitentiæ Sacramentum a virtute Pœnitentiæ diſtinctum.

11. EST contra veteres Montaniſtas, & Novatianos, qui poteſtatem remittendi aliqua ſaltem peccata Eccleſiæ negabant; tum etiam adverſus nonnullos hodiernos Novatores, qui exiſtimant, ſola Baptiſmi recordatione, & applicatione meritorum Chriſti omnia peccata noſtra deleri, & remitti. (a)

12. Probatur primo ex Scripturis; Matth. 18. Chriſtus

(a) Clavium poteſtatem Apoſtolis immediate, proindeque Epiſcopis, & Sacerdotibus datam fuiſſe a Domino oſtendimus; non vero prius immediatius, & eſſentialius toti, & univerſali Eccleſiæ. Romano autem Pontifici, Epiſcopis, & Sacerdotibus miniſterialiter, & inſtrumentaliter, & reſpectu ipſius Eccleſiæ, & quod ad exequutionem tantum ſpectat, ut poſt Magdeburgenſes Centuriatores, Spalatenſem Richerium, & Queſnellium contenderunt Hexaplarum Queſnellianarum conditores. Quippe niſi quis imaginariam nobis, inviſibilem, ac Metaphyſicam Eccleſiam obtrudat, quum in tota Eccleſia non inveniamus niſi Oves, & Paſtores, quum nulla illis certe data fuerit abſolvendi poteſtas, remanet quod ſolis immediate fuerit Paſtoribus conceſſa.

Chriſtus ad Apoſtolos dixit: *quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo*. Quibus verbis Apoſtolos, & eorum ſucceſſores ea poteſtate donaturum ſe promittit, qua & ligare peccatores, & ſolvere eos a peccatis poſſint, per ſententiam *in cœlo*, ideſt apud Deum ratam habendam; hocque in ſenſu locum ſemper illum interpretati ſunt SS. Patres, præſertim Cyprianus lib. 1. cap. 2. Ambroſius lib. 2. de Pœnitentia, Hilarius in Matthæum, & infinitis in locis Auguſtinus.

13. Alter locus eſt Joann. 20. ubi ad eoſdem Apoſtolos dixit Chriſtus: *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*: quæ verba ſignificant coram Tribunali Dei ratum fore quidquid in remittendis, vel retinendis peccatis fecerint Apoſtoli, & eorum ſucceſſores; hincque auctoritatem urgendam duxere Tridentini Concilii Patres ad propugnandum hoc Pœnitentiæ Sacramentum tam contra veteres Novatianos, quam contra novos diverſarum ſectarum Hæreticos ſeſſ. 14. cap. 1., & can. 3. ubi damnant commentitias illorum interpretationes, qui verba illa ad poteſtatem prædicandi verbum Dei contra hujus Sacramenti inſtitutionem detorquent.

14. Quæ vero SS. Patrum ſemper fuerit hac de re mens, & ſententia clare liquet ex eorum teſtimoniis in commentariis ad allegata Scripturarum loca, aliiſque in libris. Quæ teſtimonia producuntur ab Eſtio in lib. 4. ſent. diſt. 14. ac Juvenino differt. 6. de Pœnitentia, & ab omnibus polemicis Theologis. Revera D. Auguſtinus Hom. 49. inter quinquaginta ſcribebat: *Nemo ſibi dicat, occulte ego pœnitentiam apud Deum ago. Novit Deus, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago: Ergo ſine cauſa dictum eſt: quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cœlo? Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Evangelium Dei, fruſtramus verbum Chriſti.* Divus etiam Hieronymus commentario in allegata Matthæi verba docet, ea ratione, qua in veteri lege Leproſum Sacerdotes mundum vel immundum faciebant, ita in nova peccatores ligari, vel ſolvi a Sacerdotibus: atqui in veteri Lege non ſolum poteſtatem habebant Sacerdotes judicandi inter lepram, & lepram, verum etiam Leproſus Sacerdotes adire, ipſiſque lepram ſuam detegere divino jure tenebatur; itaque Sacerdotes Evangelii non ſolum jus habent ligandi, & ſolvendi peccatores, cum varietates criminum audierint; ſed rei jure divino tenentur ipſos adire, eiſque peccata confiteri. Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi 18. illuminator: *Catholica vocatur Eccleſia, quia per univerſum terrarum orbem diffuſa eſt, & quia docet ſine ullo defectu omnia dogmata, quæ debent venire in cognitionem, & quia in univerſum omne genus peccatorum, & quæ ſanat per animam, atque patrantur*. Et Divus Cyprianus Epiſt. 16. illorum reprobat peccatorum duritiem, quod pœnitentiam proponerent lapſis ſine ſpe pacis, inquiens: atque o fruſtrandæ fraternitatis irriſio! O miſerorum lamentantium caduca deceptio! O Hæreticæ inſtitutionis inefficax, & vana traditio! hortari ad ſatisfactionis pœnitentiam, & ſubtrahere de ſatisfactione medicinam: dicere fratri noſtro plange, & lacrymas funde, & diebus, ac noctibus ingemiſce, & pro abluendo, & purgando delicto tuo largiter, & frequenter operare; ſed extra Eccleſiam poſt omnia iſta morieris; quæcumque ad pacem pertinent facies, ſed nullam pacem, quam quæris, accipies: & paulo poſt: dum fructus Pœnitentiæ intercipitur, Pœnitentia ipſa tollitur. Et tandem concludit: Qui ex toto corde pœnituerint, & rogaverint, in Eccleſiam debent interim ſuſcipi, & in ipſo Deo reſervari, qui ad Eccleſiam venturus de illis utique, quos in ea intus invenerint, judicabit. Sed & infinita alia in medium adduci poſſent teſtimonia, ex quibus pateret amplius. Revera Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus oppoſitam doctrinam, & diſciplinam, quam maxime urſit. Nam cunctos, qui a quovis lapſu, ſive delicto, ſive etiam hæretica pravitate reſiliunt, benigne ſuſcipi jubebat, ut ex ejus litteris refert Euſebius lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 23. SS. Patres Sacramenta Pœnitentiæ ſemper adpellaſſe ſecundam poſt naufragium tabulam, illudque a Baptiſmate diſtinxiſſe. Et revera Tertullianus duos edidit libros, alterum de Baptiſmate, alterum de Pœnitentia. Quare conſequitur Sacramentum Pœnitentiæ ſitum non eſſe in ſola Baptiſmatis recordatione.

15. Addimus verba Chriſti; *quorum remiſeritis peccata &c.* juxta Orthodoxorum ſenſum accepta fuiſſe a doctoribus Proteſtantibus, ut legere eſt apud heterodoxum Pfaffium in libro ſingulari de originibus juris Eccleſiaſtici cap. 1. imo ut inſignis Meldenſium Epiſcopus Boſſuetus animadvertit libro hiſtoriæ variationum 3. cap. 48., hodie etiam Lutherani hoc videntur uti Sacramento. (a)

Juxta

(a) Jam diximus alibi de celebri Decreto Helmſtadienſium Theologorum die 28. Aprilis 1707, quo poteſtatem fecere filiæ Principis Wolffenbutenſis amplectendi Catholicam Religionem, in qua ſalutem obtineri poſſe publice proteſtati ſunt. Hanc Religionem omnia conſervaſſe fundamenta a Chriſto inſtituta declarant, inter quæ recenſent *munus Clavium, quoniam credimus Apoſtolis, & illorum ſequacibus illo in officio, datam eſſe in Eccleſia a Deo poteſtatem, pœnitentibus remiſſionem peccatorum, impœniten-*

Digitized by Google

Juxta ſiquidem Catechiſmum ab ipſo Luthero conſcriptum, miniſter audita Pœnitentis confeſſione, ita ipſum interrogat: credisne, remiſſionem peccatorum, quam tibi impertior, eſſe veram remiſſionem à Deo procedentem? Cumque Pœnitens regeſſerit: Credo; tunc miniſter ſubdit: Ego vero Chriſti mandato tua tibi remitto peccata, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. S. Auguſtinus in epiſt. ad Honoratum Thebennenſem Epiſcopum, docens hoſtilis incurſionis tempore, quo plurimi regenerationem, aut Reconciliationem expoſcere ſolent, Sacerdotes fugere non debere, eam addit cauſam: *Si miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati?* Dein Litteris ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum ita S. Leo: *Multum utile, ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur.* Quamvis vero in adulterinis conjugiis viventes, & idololatriam nequiorem exercentes, vix Chriſtianam merentur reconciliationem & pacem, ſi tamen eos vere pœnituiſſe ſuæ pravitatis, in exitu ſaltem haud fuiſſe ipſis negandam Pœnitentiam decrevit Cæleſtinus Pontifex in Epiſtola ad Galliæ Epiſcopos ita ſcribens: *Agnovimus Pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum deſideriis annui, qui obitus ſui tempore hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubvenire. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem inveniri, ut de pietate deſperet; quaſi non poſſet ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere peccatorum hominem redimere, quo ſe ille expediri deſiderat, & liberari. Quid hoc rogo aliud eſt, quam morienti mortem addere, ejuſque animam ſua crudelitate, ne abſolvi poſſit, occidere? Salutem ergo homini adimit, quiſque mortis tempore Pœnitentiam denegavit, &c.* Hæc Romanæ Eccleſiæ doctrina fuit etiam omnium Eccleſiarum Apoſtolicarum, & Conciliorum generalium; quare nil adverſus univerſorum mentem, & praxim valere poteſt agendi ratio pauciſſimorum Epiſcoporum. Illud enim Catholicum vere eſt, quod ab omnibus, quod ubique, quod ſemper obſervatum eſt, non autem quod ab uno, aut altero contra communem regulam excogitatum.

16. Quod autem in hujus poteſtatis exequutione inveniatur ratio Sacramenti novæ legis; ita Theologi oſtendunt. Sacramentum novæ legis definitur ſignum ſenſibile, idemque efficax gratiæ inviſibilis, & ſpiritualis; atqui in propoſito ſignum ſenſibile eſt actus Sacerdotis dictam poteſtatem exequentis per ſolemnia verba ſuper Pœnitentem recitata, quibus illa poteſtas exerit ſeſe, dum dicit: *ego te abſolvo*. Quare ſicut actus miniſtri baptizantis, & præſcripta verba proferentis eſt Baptiſmi Sacramentum, ita actus Sacerdotis abſolventis eſt Sacramentum Pœnitentiæ. Patet autem, cum actum ipſum externum Sacerdotis, cum verba quæ profert, cum actus ipſos Pœnitentis, quibus intimum animi dolorem vel confitendo, vel ſatisfaciendo prodit, & profitetur, quiddam eſſe ſenſibile, adeoque indicare inviſibilem gratiam ipſamque efficere, & ſecum afferre remiſſionem peccatorum ex Chriſti inſtitutione, & promiſſione.

17. Obj. 1. Apoſtolus Epiſt. ad Hebræos inquit: *impoſſibile eſt, eos qui ſemel illuminati ſunt, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, deinde prolapſi ſunt, rurſus renovari ad Pœnitentiam.* Ergo homines ſemel baptizati, ſi in peccatum cadant, non poſſunt ab Eccleſia per Pœnitentiam in priorem ſtatum redintegrari,

Confirmatur ex altero ejuſdem Epiſtolæ loco, cap. 7. qui ſic habet: *voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia; terribilis autem expectatio judicii*: ergo nulla in Eccleſia eſſe videtur auctoritas remittendi poſt baptiſmum peccata.

Reſp. Diſt. auctoritatem: impoſſibile eſt, ideſt valde difficile, Conc. impoſſibile eſt abſolute, Nego; vel aliter diſtinguo, impoſſibile eſt renovari in baptiſmalem innocentiam, Conc. ſanari, & curari gratia remiſſiva peccatorum, nego.

Ad Confirmationem pariter diſt. voluntarie peccantibus, ideſt, deſerentibus Chriſtianam religionem, & in Apoſtaſia permanentibus jam non relinquitur hoſtia pro peccatis, Concedo; voluntarie peccantibus, ſed fidem non deſerentibus, & confugientibus cum dolore peccatorum ad Sacramentum Pœnitentiæ non relinquitur hoſtia pro peccatis, nego.

18. Reſponderunt jam hiſce argumentis SS. Patres, aliqui quidem interpretantes priorem locum de baptiſmatis remedio non iterando, etſi quis eo ſemel ſuſcepto in priora labitur peccata. Nec enim obſtat, quod Apoſtolus dixerit renovari in Pœnitentiam, intelligit enim Pœnitentiam baptiſmalem, de qua loquebatur, hancque interpretationem uſurpant, & illuſtrant S. Ambroſius lib. 2. de *Pœnitent.* contra Novatianos, Chryſoſtomus, Theo-

---

nitentibus autem iram Dei, & pœnam denunciandi, & eo modo iſtis peccata reſervandi; illis vero remittendi, & quod ad hoc intentum aliquando nos ad confitendum noſtra peccata in ſede Confeſſionali reperiamus, ut a noſtris peccatis abſolvamur. Quicumque illud facit & credit, ſubdunt, fidei habet fundamentum, ut & ſalutis, &c.

Theophilactus, & Eumenius in Commentariis ad illum Apoſtoli locum. Vult ergo Apoſtolus, eos qui poſt Baptiſmum in priora peccata lapſi ſunt, non iterum poſſe confugere ad Baptiſmum facillimum remedium, quod illis perfectam innocentiam, & novitatem reſtituat; ſed ſi reſipiſcant, aliud difficilius remedii genus iis neceſſario ſubeundum eſſe, nempe pœnitentiam. Revera Baptiſmus eſt quidem renovatio, & regeneratio, ſed pœnitentia regeneratio, & renovatio non eſt, ſed remedium, medicina, & animæ curatio. Quare D. Auguſtinus in expoſitione epiſt. ad Rom. inquit: *Eos enim, qui jam baptizati fuerint, curari melius dicimus per pœnitentiam, non renovari, quia renovatio in Baptiſmo eſt.*

19. Alii vero Patres ita interpretantur Apoſtoli verba, ut cum dixerit, *prolapſi ſunt*, locutum ipſum velint, non de quocumque etiam graviori peccato, ſed ſolum de Apoſtaſia a Religione Chriſtiana, & de illis, qui in ea perſeverant: impoſſibile vero poſitum pro valde difficili, adeo ut ſenſus ſit, tales fere deſperatos eſſe, & difficillime reduci poſſe ad agnitionem veritatis, & ſic per pœnitentiam renovari. Nec modus hic loquendi a ſacris litteris alienus eſt. Nam Matth. 19. quod Dominus dixerat, difficile eſſe, divitem intrare in regnum cælorum, e veſtigio dixit impoſſibile, quemadmodum exponit D. Hieronymus ſuper Iſajam, & Ariſtoteles lib. 1. de Cælo cap. 11. inter reliquas ſignificationes hujus vocabuli *impoſſibile*, eam enumeravit, ut quod non facile, neque certo, nec bene fieri poteſt, impoſſibile dicatur: ſic impoſſibile Juris-Conſulti vocant, quod juxta communem legem, & uſum fieri non poteſt, etiamſi privilegio, vel voluntate principis fieri queat. Sic in moribus impoſſibile dicitur, quod uſum communem egreditur. Jeremiæ 13.

20. Ad Confirmationem dicimus Apoſtolum locutum fuiſſe proprie de peccato Apoſtaſiæ, & permanentia in ipſo; quod patere docent interpretes, ex Apoſtoli verbis, ex contextu, ex loci que indigentia, & ex circumſtantiis, & ex iis, quæ præcedunt de profeſſione Chriſtiana retinenda ab iis, qui in eam ſemel fuerint cooptati. Hiſce quippe nulla procul dubio ſperanda erat pœnitentia, quæ ſolum utilis eſt permanentibus in fide, dolentibus de peccato, ſeſeque auctoritati Eccleſiæ ſubjicientibus. Quod Apoſtolus ejuſmodi teſtimoniis noluerit vim auferre pœnitentiæ poſt baptiſmum, aut relapſorum pœnitentiam confringere, ex utraque patet ejus ad Cor. epiſt. ubi fornicarium Corinthium, poſt gravem denique ſatisfactionem ex perſona Chriſti jubet in gratiam, & reconciliationem admitti. (*a*).

21. Objiciebant quoque Novatiani nonnulla veteris Teſtamenti loca, ut illa Amoſi cap. 1. *ſuper tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum*, & lib. 1. Reg. 2. *Si peccaverit vir in virum, placari ei poterit Dominus; ſi autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* De Antiocho legitur 2. Mach. cap. 9. *Orabat autem ſceleſtus Dominum, a quo non erat miſericordiam conſecuturus.* Denique vulgatum eſt illud Chriſti dictum Matth. 12. *Omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blaſphemia non remittetur, & quicumque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro*, ergo aliqua peccata non poteſt Eccleſia remittere.

22. Reſp. Nullum ex ejuſmodi, ſimilibuſque locis ſuffragari Novatianis. Si enim aliquid probarent, evincerent nec Deum poſſe peccata remittere, quod Hæreticorum nullus, etiam ex Montaniſtis, & Novatianis ſomniavit. Itaque non ſit ibi ſermo de poteſtate, quam Deus Eccleſiæ conceſſit remittendi peccata; ſed ob oculos ponitur miſera impiorum conditio ob ſcelerum atrocitatem, & falſam ipſorum Pœnitentiam, ratione cujus peccata non remittuntur. Quare SS. Patres, Cyprianus, Ambroſius, & Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus, qui Novatianos oppugnavere, illa Amoſi ſignificare tantum exponunt multiplicata ſcelera, & complacentiam in ipſis compellere tandem Deum ad derelictionem, & puniitionem.

23. Locum deſumptum ex 1. lib. Reg. optime explicat D. Ambroſius lib. 1. de Pœnit. animadvertens phraſi illa, *quis orabit pro eo?* quæri, non excludi, qui in tali caſu orare poſſit, exponens locum ejuſmodi collatione ſimilium in Pſalm. 16. *quis habitabit in tabernaculo tuo?* Pſalm. 23. *quis aſcendet in montem Domini?* Lucæ 12. *quis fidelis diſpenſator, & prudens?* Tanto minus adverſus Sacramentum a Chriſto inſtitutum faciunt verba illa, quando Interpellatorem, & Mediatorem habemus ipſum Sacramenti inſtitutorem.

24. Ad

(*a*) Poſſumus etiam in Apoſtoli phraſi hyperbolem ſuſpicari, qua, inquit Auguſtinus Lib. 16. de Civit. Dei cap. 21., *ut ceteris tropis, uti ſolere Scripturam, nullus, qui eam didicit ambigit. Iſte autem tropus, ideſt modus locutionis, fit quando id, quod dicitur, longe eſt amplius, quam quod eo dicto ſignificatur.* Quæ a S. Patre pronunciata ſunt explicandis Dei ad Abrahamum verbis: *& faciam ſemen tuum, tamquam arenæ terræ*; tum & in Evangelio, & aliis ſacrarum Litterarum Libris hyperbolem invenire, ex Origene, ac Hieronymo adnotat Ludovicus Vives ad allegatum Auguſtini locum, qui Libro contra Julianum 8., factum eſſe id oſtendit ad animos audientium magis, magiſque peromovendos.

Digitized by Google

24. Ad illa autem de Antiocho in Lib. Mach. pronunciata reſpondent SS. Patres quidem, ipſum non oraſſe pro ſuorum venia peccatorum, ſed ob dolores corporis, ut ipſe ſacer textus ait, & ob fœtorem ſuum, quem ferre non poterat: ajunt etiam, ipſum non oraſſe, ut oportuit, nec egiſſe Pœnitentiam, ideoque inferunt non fuiſſe dignum, ut miſericordiam a Deo conſequeretur.

25. Ad locum denique ex Matth. deſumptum dicimus primo, illum nihil prodeſſe Novatianis, cum omnia peccata remiſſibilia in eo dicantur, excepta blaſphemia in Spiritum Sanctum. Quodnam autem eſt ejuſmodi peccatum blaſphemiæ in Spiritum Sanctum, quæſiverunt Patres, qui fere omnes ſtatuerunt non eſſe illud, ſi quis poſt Baptiſmum peccet, ut conſtat ex exemplis Corinthiorum, & Galatarum, qui poſt Baptiſmum graviter lapſi, tamen Deo ſunt reconciliati, ut patet ex Epiſtolis Pauli ad illos datis; non ſi quis perſecutionis tempore agnitam abneget veritatem, ut conſtat ex Apoſtolo Petro; non peccatum quodvis ex propoſito, & ſcienter admiſſum, ut docent exempla Adami, & Davidis; itaque remanet eſſe pervicaciam illorum, qui manifeſtam ſibi, & cognitam veritatem, ſidemque, quam veram cognoſcant, interno teſtimonio data opera deſtinata malitia, & contra proprium ſui ſenſum oppugnant. Et revera ſententiam illam dixit Chriſtus occaſione miraculi a ſe facti, quod intelligentes Judæi parati erant tamen ad illud negandum, & Meſſiam non credendum. Talibus ſane irremiſſibile eſt peccatum, quia fidei illi opponuntur, ſine qua pœnitere nequeunt; quæ tamen irremiſſibilitas non Deo, aut Eccleſiæ, ſed ipſis imputari debet. Sic morbus ille dicitur incurabilis, qui directe impedit, & oppugnat id, ſine quo curari nequit, qui non admittit remedium, nec medicinam, licet admiſſa medicina, & remedio ſit curabilius. Peccatum igitur ejuſmodi eſt irremiſcibile non ratione Dei, & Eccleſiæ; ſed ratione peccatoris; quia cætera quamvis gravia peccata ita peccatorem non obcæcant, ut confugere non poſſit ad Dei miſericordiam, & Eccleſiæ claves; ſed qui manifeſtam oppugnant veritatem, qui illuſtrationi S. Spiritus reſiſtunt, quæ in Dei contemptum data opera agunt, & in illa pervicacia perſiſtunt, quomodo ad divinam clementiam, & Eccleſiæ poteſtatem confugient? Iſtis certe numquam proprium condonabitur peccatum.

26. Placet hic tamen eorum animadverſio, qui monent hebraica phraſi dici ſolere: *hoc fiet, hoc vero non fiet*, ad oſtendendum multo eſſe difficilius id, quod poſterius ponitur, ut Iſaiæ 54.: *Montes commovebuntur, & colles contremiſcent, miſericordia autem mea non recedet &c.* Sic Matthæi 24. *Cælum, & terra tranſibunt; verba autem mea non præteribunt*: quare pervius verborum Chriſti ſenſus ſit, peccatum apertiſſimam veritatem negantium cæteris difficilius remitti. Sicut in locum hunc Chryſoſtomus hom. 42. ſcripſit: *ſignificare voluit Chriſtus præ omnibus hoc peccatum minus eſſe ignoſcibile*. D. autem Auguſt. lib. Retract. 1. cap. 19.: *irremiſſibile dicit peccatum in Spiritum ſanctum, ſi tamen in ea perverſitate quis finiverit vitam*. Et ante D. Auguſtinum Athanaſius lib. de communi eſſentia Patris, Filii, & Spiritus Sancti num. 19.: ſcripſit: *Obſervandum eſt non dixiſſe Chriſtum blaſphemanti, & pœnitentiam agenti remiſſionem dandam non eſſe, ſed blaſphemanti, ideſt in blaſphemia perſeveranti, quandoquidem nullum eſt peccatum irremiſſibile apud Deum illis qui vere, & ex animo, & ut par eſt pœnitentiam agunt*. Hactenus Athanaſius. Sed contra Novatianos ſatis.

Calviniſtarum Argumenta.

27. Obj. 1. Fundamentum Sacramenti Pœnitentiæ apud Catholicos ſunt Matth. verba: *quæcumque ligaveritis ſuper terram &c. & quæcumque ſolveritis &c.*: ſed fundamentum hoc nullum eſt. Ergo &c. Prob. Minor. Illis verbis non de ligatione perſonarum, & ſolutione quæſtio eſt, ſed de ligatione, & ſolutione rerum. Non enim dicit Chriſtus: quoſcumque ligaveritis ſuper terram erunt ligati & in Cælo, & quoſcumque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluti & in Cælo: ſed ex oppoſito dixit quæcumque. Ergo agitur eo in loco de doctrina docenda & ſtatuenda, non de abſolutione peccatorum.

Confirmatur. Si poteſtate ligandi, & ſolvendi a Chriſto Apoſtolis tradita, velut fundamento Sacramentum Pœnitentiæ niteretur, tam eſſet proprium Sacramenti ligare, quam ſolvere: atqui abſurdum eſt conſequens: quis enim dixerit, ideo eſſe aliquod Sacramentum divinitus inſtitutum; ut per illud homines peccati vinculo magis obſtringantur, cum ex oppoſito ſacramenta ad homines a peccatis ſolvendos inſtituta eſſe oporteat? Ergo &c.

28. Reſp. Adeo inanem eſſe hujuſmodi Calviniſtarum interpretationem, ut ejus levitatem poſt omnes Orthodoxos oſtenderint ipſi Lutherani, ut habemus ex Lutherano Pfaffio in lib. de orig. juris Eccl. cap. 1. ubi ſcribit. *Jam ſi Theologos audiamus, communi ore omnes fatentur hac de peccatorum remiſſione, ſine retentione a miniſtris Eccleſiæ facienda intelligenda eſſe*. Ad oculum enim demonſtratur voces *ligare*, & *ſolvere*, non ſolum de rebus, ſed etiam de perſonis accipi, præſertim ex abſolutionis Judaicæ formula *ſolutum tibi eſto*, quod idem erat atque condonatum, ſive remiſſum tibi eſto; nec debent urgeri illa *quæcumque ligaveris, quæcumque ſolveris*, cum Hebræorum mos ſit neutro res, & perſonas ſimul includere; cujus rei exempla adducuntur infinita. Cum enim objectum ligationis,

nis, & ſolutionis ſit perſonale, & reale, utrumque in verbis Chriſti intelligi oportet. Ceterum ſi maxime verba illa niſi de rebus non uſurparentur, falſum tamen foret, quod eadem prohibere, & permittere tantum ſignificare deberent, excluſa abſolutione, & retentione peccatorum. Nam hac in abſolutione, & retentione non tantum perſonarum, ſed rerum etiam ſolutio, & ligatio invenitur, quæ etiam aliqua ſimul permiſſionis, & prohibitionis ſpecies ſunt. Hæc ille ex præſtantioribus Lutheranorum. Adeo Catholica veritas ſe ſe Eccleſiæ etiam hoſtibus confitendam præbet!

Ad confirmationem negatur major; ligandi ſiquidem, & ſolvendi poteſtas Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus conceſſa eſt, hujuſmodi tamen cum diſcrimine, quod poteſtatem ſolvendi exerceant ſacramentum conferendo, ligandi ex oppoſito facultatem exerceant abſolutionem, & reconciliationem negando; donec nimirum peccatorea corda ſua Deo bene præparaſſe cognoverint. Itaque ſolvere a peccatis proprius eſt ſacramenti Pœnitentiæ effectus; ligare vero non Sacramento convenit, ſed miniſtro ſacramentum neganti, aut ſuſpendenti. Quamvis recto etiam ſenſu dici poſſit proprium æque ſacramenti eſſe tam ligare, quam ſolvere, ſi nimirum hoc de ſatisfactione intelligatur; ligant enim in Sacramento pœnitentiæ Sacerdotes, cum ſatisfactionis modum, & tempus imponunt.

29. Obj. 2. Si daretur in Sacerdotibus judiciaria abſolvendi a peccatis poteſtas, præſertim ex illo Chriſti dicto apud Joan. *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*; ſed neque ex his verbis conficitur quod Catholici contendunt. Ergo &c. Pr. Min. Ejuſmodi verbis non aliud Apoſtolis mandatum fuit, quam ut prædicarent Evangelium per univerſum mundum, & credentibus quidem annuntiarent remiſſionem peccatorum, non credentibus vero prænuntiarent iram Dei, illoſque ab iſtis ſignaculo baptiſmi diſcernerent. Idem enim ſibi volunt verba apud Joan. ac illa apud Matthæum cap. ult. *docete omnes gentes baptizantes eos &c.* cum ad idem tempus, & ad eamdem Chriſti apparitionem pertinere videantur. Præſertim cum in Act. Ap. eos quidem prædicaſſe, & baptizaſſe videamus, nuſquam autem ipſos abſolutionem peccatorum conceſſiſſe.

30. Reſp. Falſiſſimam eſſe hujuſmodi interpretationem; nam aliud eſt remiſſionem peccatorum promittere pœnitentiam agentibus, quod eſt prædicatorum munus, aliud vero peccata remittere, & ſolvere, quod poteſtatis eſt, & auctoritatis. Nec officit quod verba apud Joan. & apud Matth. pertineant & ad eumdem ſermonem, & ad eamdem Chriſti adparitionem: potuerunt enim in uno eodemque ſermone diviniſſima a Chriſto Apoſtolis inſinuari & præcipi.

31. Relate ad argumentum derivatum ex ſilentio Actuum Apoſtolorum dicimus, acta illius, vel alterius ſolum, neque non ita multa continere, neque omnia, quæ D. Paulo contigerunt, illis in actis memorari, ſed breviſſimam tantum itinerum illius Apoſtoli hiſtoriam ad quartum uſque Neronis annum, quod ex ipſius epiſtolis colligere licet, ubi Paulus multa obiter attingit, de quibus altum in actis a Luca conſcriptis ſilentium eſt. Si non omnia Pauli acta deſcripſit Lucas, multo minus Apoſtolorum reliquorum. Nullius ergo ponderis eſt argumentum negativum ad imminuendam veritatem certis & adfirmantibus argumentis invincibiliter demonſtratam. Atqui veritatem ſacramenti Pœnitentiæ præter teſtimonia apertiſſima ex Matth. & Jo: petita evidentiſſime aſſerit ab Apoſtolorum temporibus accepta traditio ubique gentium prædicata; ergo etiamſi in Actis Apoſtolorum non legatur abſolvendi poteſtate Apoſtolos aliquando uſos fuiſſe, ſtat nihilominus inconcuſſa Sacramenti Pœnitentiæ veritas & ſane in Actis Apoſtolorum pauca ſolum deſcribuntur ab ipſis perpetrata, dum Evangelium Judæis, & gentibus prædicare inciperent, quibus non Pœnitentiæ quidem, ſed Baptiſmi Sacramentum conferre oportebat, priuſquam de ſecunda poſt naufragium tabula mentio fieret. Hujus vero remedii beatis illis temporibus rariſſimum fuiſſe uſum probat innocentia, & ſanctitas fidelium, quæ in illo ipſo Actorum libro adeo commendatur. Quid ergo mirum, ſi ubi ægroti pene nulli fuerunt, altum reperiatur de medicina pœnitentiæ remedium? Mirum potius eſt Proteſtantes ex ſilentio Scripturarum arguere contra Catholicos, cum ſatis noverint, nos non tantum verbo Dei ſcripto inniti, ſed etiam verbo Dei tradito; cui uſum adſerimus Sacramentorum.

32. Obj. ult. Sacramentum definitur ſignum ſenſibile inviſibilis gratiæ. Quare optime inquit Auguſt. tract. 30. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum*: ſed in pœnitentia nulla adparet ſenſibilis materia, nullum elementum, ut eſt panis, & vinum in Euchariſtia, aqua in baptiſmate; ergo nullum eſt ſignum ſenſibile gratiæ inſenſibilis; præſertim cum hoc non poſſint eſſe verba a Sacerdote prolata, quæ ſane elementum aliquod non ſunt; nec inveniuntur in Evangelio inſtituta, aut ab eo præſcripta. Ergo Pœnitentia vere & proprie Sacramentum non eſt.

33. Reſp. Veriſſimam quidam eſſe Sacramenti definitionem, ſed ex ipſa imo confirmari, Pœnitentiam Catholicorum verum eſſe Sacramentum. Nonne enim dolor, quem Pœnitens oſtendit, confeſſio ejus, & cætera, quæ præſtat, ſunt quid phyſicum, naturale, & ſenſibile, ut ſunt aqua in baptiſmate, panis & vinum in Euchariſtia? Non enim cum dicimus elementum debet intelligi elementum vere & proprie tale, alias nec in Euchariſtia elementum haberetur, cum hujuſmodi

Digitized by Google

modi non ſint panis, & vinum, ſed intelligi debet ſolum quid externum, naturale, & ſenſibile. Revera dum D. Auguſtinus ſcripſit: *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, loquebatur tunc de baptiſmate; ſubdit enim ſtatim: *ſubtrahe verbum, quid eſt aqua niſi aqua?* In actibus igitur Pœnitentis habetur ſenſibilis materia Sacramenti, in abſolutione vero data a Sacerdote habemus Sacramenti formam, & quidem ab Evangelio derivatam. Nam ut ex Chriſti verbis: *euntes baptizate omnes gentes* procedit legitima etiam ſecundum Proteſtantes baptiſmi forma per illa verba: *ego te baptizo*: ita ex Chriſti verbis: *quorum remiſeritis peccata, &c.* procedit idonea Sacramenti Pœnitentiæ forma: *ego te abſolvo*, ideſt tua tibi peccata remitto. Ex his vero ſtatim patet, quam diverſum ſit Pœnitentiæ Sacramentum a Sacramento Baptiſmi. Differunt ſiquidem duo hæc Sacramenta in eſſentia, ſcilicet in materia, & forma. Differunt in miniſtro, cum baptiſma, cum quicumque in neceſſitatis caſu conferre poſſit, abſolutionem vero ſoli Sacerdotes; in eo æque differunt, quod Baptiſmus reiterari non poſſit; bene vero Pœnitentia. Differunt rurſus ratione effectus, cum in baptiſmo primam conſequamur gratiam, & adulti ſine diſpoſitione characterem in eo conſequantur, in Pœnitentia ex oppoſito reſtitutionem gratiæ abſque diſpoſitione noſtra non conſequimur. Quare non ſufficit, ut ſectarii contendunt, ſola baptiſmi recordatio ad delenda, cum vim horum remittendorum poſt baptiſma non tribuant Patres baptiſmati; niſi fundamentaliter, præſuppoſitive, & diſpoſitive, quia ſoli baptizati ſunt capaces Sacramenti Pœnitentiæ, & baptiſmus janua eſt omnium Sacramentorum. *(a)*

34. Colligitur æque Pœnitentiæ Sacramentum fuiſſe a Chriſto inſtitutum, cum innitatur ejus verbis ex Evangelio recitatis. Quare Tridentina ſynodus ſeſſ. 14. can. 1. ita ſtatuit: *Si quis dixerit, in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe vere & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, anathema ſit.* Quo autem tempora fuerit inſtitutum egregie oſtendit D. Thom. 3. part. quæſt. 84. docens: actus Pœnitentis, qui ſunt hujus Sacramenti materia indictos eſſe a Chriſto initio prædicationis: officium miniſtrorum inſinuatum fuiſſe Matth. 16. Denique poſt reſurrectionem hujus Sacramenti efficaciam fuiſſe manifeſtatam. Nam etſi de Sacramento Pœnitentiæ Patres verba etiam Chriſti interpretentur: *quæcumque ligaveritis*, &c. ante reſurrectionem pronunciata, illis tamen judiciariam poteſtatem non intelligimus collatam a Domino, ſed promiſſam tantum, & prædictam; conceſſam vero dicimus quum Apoſtolis poſt reſurrectionem dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis &c. (b)*

CA-

(*a*) Hanc fuiſſe primæ & purioris Chriſtianæ antiquitatis doctrinam & mentem evincit apertus, & non ſuſpectus ex Juliano Apoſtata locus in celebri elegantiſſima ipſius Satyra, quam Cæſares inſcripſit, in qua Conſtantini filium hæc inter cætera loquentem inducit: *Quiſquis mulierum corruptor, quiſquis homicida eſt, quiſquis piaculo, aut execrando ſcelere ſe obſtrinxit fidenter adhuc adito. Etenim ſimul atque hac aqua ablutus fuerit, illico ego eum purum reddam. Quod ſi iiſdem rurſus ſe flagitiis contaminavit, efficiam uti, tunſo pectore, & capite percuſſo expietur.* Vides in Deſertoris irriſione uſum receptiſſimum, & communem, hujus Sacramenti Pœnitentiæ; qui ceu a primo, & apoſtolico fonte derivatum, non indiguit ut inſinuaretur, aut præciperetur ab aliquo veterum Conciliorum. Quid enim ſi quid tale eveniſſet? jam ſtatim Hæretici conſequerentur, uſum, imo Sacramentum hujuſmodi fuiſſe jure Eccleſiaſtico inſtitutum, quod imaginari utique non poterunt, tum præcepti Eccleſiaſtici carentia, tum frequentia, & uſu ſacramenti præconceſſis.

(*b*) Ceterum ſi hucuſque ex aliorum ſententia dictis, aliquid juxta quod nos opinamur, adjicere fas eſſet, crederem, tum illorum agendi rationem Epiſcoporum, qui teſte Cypriano, non modo abſolutionem, verum etiam pœnitentiam Mœchis negabant; tum Canones illos Eliberitanos, Sardicenſes &c: qui pacem vel in exitu eiſdem auferebant, non ad Mœchos præcipue & ſimpliciter referendos eſſe, ſed ad eos, qui poſt Baptiſmum in Polygamia verſari adhuc volebant, vel uxore ſine motivo repudiata pro Legum Civilium, & Judaicorum morum libertate, & licentia, ea adhuc vivente, vel uxor viro adhuc vivo, alias contrahebant nuptias, quas adulteria Chriſtiani Patres jure, & merito appellabant. Hoc igitur illud fuiſſe Mœchiæ genus, cui pacem, abſolutionem, imo & pœnitentiam nonnulli Epiſcopi, & aliquæ Synodi negavere, evincunt, tum indicata Tertulliani loca, quibus ætate ſua ſimplicibus, ut deſcribit, Mœchis veniam Catholica in Eccleſia datam fuiſſe querebatur: tum Canones earumdem Synodorum, quorum aliqui dum ſimplicibus Mœchis temporariam imponant pœnitentiam & pacem demum concedendam, decernunt, illis eam negare qui ſine cauſa legitima facto divortio, & priori uxore, aut viro adhuc viventibus adulterina ad conjugia convolaverant. Ejuſmodi enim peccatores Civilium quidem clypeo Legum tectos, ſed aperte adeo contra legem Chriſtianam agentes, neque vere Chriſtianos remanſiſſe exiſtimabant nonnullæ Synodi, & Præſules; quos adhuc tamen craſſe ſi ejuſmodi hominibus, aut fœminis vero cum dolore ad Eccleſiæ Claves confugientibus veniam, aut ſaltem pœnitentiam denegaverint.

CAPUT IV.

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

35. MAteriam Sacramenti Pœnitentiæ deſcribit, definitque Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. his verbis. „ Sunt autem quaſi materia „ hujus Sacramenti ipſius Pœnitentis actus, „ nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio; qui „ quatenus in Pœnitente ad integritatem Sacra„ menti, & ad veram & perfectam peccatorum „ remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, „ Pœnitentiæ partes dicuntur. “ Contrarium vero aſſerentes can. 4. anathemate ferit. Quod autem ut a Florentina, ita a Tridentina ſynodo pœnitentis actus, quaſi materia dicantur, hoc eſt, inquit Catechiſmus Romanus de Pœnitentia num. 17. non quod veræ materiæ rationem non habeant, ſed quod ejus generis materia non ſint, quæ extrinſecus adhibeatur, ut aqua in baptiſmate, & Chriſma in Confirmatione.

36. Agendum igitur nobis eſt de hac Sacramenti Pœnitentiæ parte, ſcilicet ejus de materia, & primum quidem de auriculari confeſſione, inde de Contritione, ac demum acturi de ſatisfactione.

De Sacramentali Confeſſione, ſeu Auriculari.

36. Diximus materiam Sacramenti Pœnitentiæ eſſe primum confeſſionem auricularem, quæ duplex eſt, altera, quæ fit ſoli Deo, altera, quæ fit Sacerdoti, & hæc eſt Sacramentalis. Prior confeſſio vocatur interior, qua quis ſcilicet ſeipſum Deo de peccatis accuſat, quæque eſt omnino ad juſtitiam recuperandam neceſſaria, & legis naturalis; Sacramentalis vero peccatorum confeſſio eſt ipſorum detectio, & accuſatio apud Sacerdotem Chriſti Vicarium facta ad hoc, ut ab eo virtute clavium remittantur.

Hujus privatæ confeſſionis utilitatem, ejuſque maximam apud Chriſtianos primitivæ Eccleſiæ frequentiam fatentur omnes Calviniani, & Lutherani, apud horum doctiſſimum Pfaffium in Lib. ſingulari de orig. juris Eccleſ. cap. 3. art. 3. Qui privatam confeſſionem, & abſolutionem, quæ Euchariſtiæ participationem antecedit, egregium vocat inſtitutum non facile abrogandum, ſed prorſus retinendum. Ejus igitur divinam inſtitutionem, & neceſſitatem ſolum negant; cum primis illis temporibus pro libertate ſua a fideliibus frequentatam fuiſſe contendant, & nunc etiam pro libertate frequentandam. Contra hos ſit.

37. Prob. 1. ex allatis auctoritatibus Matth. 18. *quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Et Joann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ex quibus verbis poſt generalia Concilia, ſcilicet Lateranenſe ſub Innocentio III. Conſtantienſe, Florentinum, & Tridentinum ſeſſ. 14. hoc efformamus argumentum.

38. Sacerdotes in foro Pœnitentiæ ſunt Deo conſtituti Judices ad ſolvendum, & ligandum, ad remittendum, & retinendum, quibus propterea incumbit, ut non præcipiti judicio, neque pro libito, ſed juſto & prudenti arbitrio, juxta cauſarum exigentiam utatur, utatur poteſtate ſibi tradita. Non enim aliter ratum haberi poſſet id quod facerent. Atqui præſtare illud non poſſunt niſi peccata, & peccantis malitiam, ceceteraſque circumſtantias, de quibus judicandum eſt, perſpectas habeant, & cognitas, neque hæc omnia cognoſcere poſſunt, niſi peccator ſpontanea confeſſione vulnera ſua ſigillatim ita detegat, ut Sacerdotes quatenus peccata ſolvenda, & quatenus liganda ſunt cognoſcere aperte valeant. Itaque ſacramentalis peccatorum confeſſio eſt jure divino neceſſaria, eo nimirum ipſo, quo neceſſarium oſtendimus Pœnitentiæ Sacramentum.

39. Ejuſmodi confeſſionis adumbrationem, & figuram habemus in veteri lege, ſcilicet in ſacrificiis Moſaicis, quæ diverſa, pro diverſitate peccatorum offerebantur, ut legimus in Levit. ubi intelligimus juſſos eſſe Sacerdotes diligenter Lepram examinare, ut inter Lepram & Lepram judicarent, & mundum ab immundo diſcernerent. Quare illud eſt, quod Chriſtus Dominus Luc. 14. Leproſis a ſe mundatis ait: *Oſtendite vos Sacerdotibus.* Sed & in eo quod baptizati a Joanne Baptiſmo Pœnitentiæ confitebantur peccata ſua, quædam præfiguratio fuiſſe videtur confeſſionis faciendæ ab illis, qui nova in lege Pœnitentiam acturi erant. Erat enim baptiſmus Joannis exterior quædam Pœnitentiæ profeſſio.

40. Exteriorem hanc poteſtatis Clavium cæremoniam uſurpare optaverat Calvinus, ut in Epiſtola de quibuſdam Eccleſiæ ritibus, ad nonnullos ſui generis Reformatores, his ipſe ſignificabat verbis: „ Confeſſioni publicæ adjungere inſignem „ aliquam promiſſionem, quod peccatores ad „ ſpem veniæ, & reconciliationis erigat, nemo „ noſtrum eſt, qui non agnoſcat utiliſſimum eſ„ ſe; atque ab initio hunc morem inducere vo„ lui; ſed quum offenſionem quidam ex novi„ tate metuerent, nimis facilis fui ad ceden„ dum, ita res omiſſa eſt. Nunc vero non eſſet „ opportunum hic quidquam mutare, quia an„ tequam ad finem confeſſionis ventum fuerit, „ magna pars incipit ſurgere, quo magis optamus, dum vobis integrum eſt, populum ve„ ſtrum ad utrumque aſſueſieri. “ Factum itaque id eſt, ut dicebamus, a pluribus Calvinianis, qui imo neque prohibent, ne quis peccata ſua Miniſtro Eccleſiæ, ſi fortaſſe velit, confiteatur: negant tantum id eſſe neceſſarium; quod ex oppoſito nos Catholici tuemur: quamvis enim plurimi noſtrum ultro dent, non haberi expreſſis

ver-

verbis in Scriptura de neceſſitate confitendi peccata præceptum: omnes tamen ex poteſtate ligandi, & ſolvendi ſuis miniſtris a Domino conceſſa, neceſſitatem eam ita oriri, & erui oſtendunt, ut ſingularium confeſſio peccatorum nullo modo queat prætermitti.

41. Quibus revera verbis habetur, Chriſtum Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquiſſe, tamquam Præſides, & judices, qui pro poteſtate Clavium remiſſionis, vel retentionis criminum ſententiam pronuncient, ex iſtis recte infertur confeſſionis peccatorum omnium neceſſitas. Nam ſi Sacerdos in foro Pœnitentiæ conſtitutus eſt a Domino Judex ad ſolvendum, & ligandum, ad remittendum, & retinendum, ipſi incumbit, ut non præcipiti judicio, neque pro libito, ſed juſto, prudentique arbitrio, & pro cauſæ merito tradita utatur poteſtate: alioquin ratum non habebitur a Chriſto in Cælis, quod ipſe fecerit in Terris: atque præſtare illud non poterit, niſi peccata, & peccantis ſtatum, & cauſam de qua judicium ferre debet, habeat vere cognitam, & perſpectam; cum hæc itaque cognitio haberi non poſſit, abſque ſpontanea peccatoris confeſſione, qua peccata ſigillatim exponat Sacerdoti, rite, & neceſſario infertur Sacramentalem confeſſionem eodem Divino jure peccatoribus eſſe neceſſariam, quo Sacerdotibus ad ligandum, atque ſolvendum, remittendum, & retinendum conceſſa eſt a Domino poteſtas.

42. Præterea ad eam ligandi, & ſolvendi, remittendi, & retinendi peccata poteſtatem pertinet, ut Sacerdos Pœnitentiæ opera, quibus Divinæ juſtitiæ fiat ſatis, & radices peccatorum exſcindantur, iterataeque prolapſionis avertatur periculum, in judicio illo pœnitentibus imponat. Eſt enim in tribunali Pœnitentiæ Sacerdos non tantum judex, ſed & conſiliarius, & medicus; ut autem in applicanda medicina, & in operibus Pœnitentiæ recte ſe gerant Sacerdotes, neceſſe eſt, ut peccata Pœnitentium, non tantum in genere, ſed in ſpecie, & numero cognoſcant, quam notitiam, quum nonniſi ex ſpontanea confeſſione peccantium comparare ſibi poſſint, propterea neceſſe eſt, ut Pœnitentes peccata mortalia, quorum rei ſunt, ſacerdoti omnia exponant.

43. Sane ex Chriſti verbis patet, ſacerdotes debere alios Pœnitentes abſolvere, alios ligare, nonnulla remittere peccata, nonnulla retinere, ſed ſi Pœnitens non aperiat ſacerdoti occultum, & ſecretum conſcientiæ ſuæ ſtatum, ſi ſpeciem, & numerum delictorum Judici non manifeſtet, quomodo noſſe poteſt ſacerdos an peccator taliter ſi Pœnitens, ut ipſum abſolvere poſſit necne; ut ipſius peccata remittere debeat, vel ſecus? Quomodo ex generali exomologeſi, ſive veniæ petitione intelligere miniſter poteſt peccatorem revera pœnitere, nec eſſe in occaſione proxima peccandi, & veniæ capacem? Peccator ex oppoſito, ex generali abſolutione, quæ univerſo cœtui datur, certus fieri poteſt ſua ſpecialia crimina eſſe ſibi condonata? Id certe intelligi non poteſt.

44. Idque adeo verum eſt, ſcilicet poſt generalem illam in Heterodoxorum Synaxi omnibus impartitam abſolutionem peccatores adhuc anxios remanere, neque certos eſſe ſibi de ſuorum venia peccatorum, ut propterea Anglicana in Liturgia, tum Anglice, tum Gallice, tum Latine ſæpius, & ſolemniter vulgata, ita conſtituatur. Quia „ vero nemo ſacram ad Menſam niſi plena cum „ fiducia in Divinam miſericordiam, & tran- „ quilla cum conſcientia, necnon certitudine, „ ſua ſibi remiſſa eſſe crimina, accedat oportet, „ ſi quis veſtrum eſt, qui hoc modo conſcien- „ tiam ſuam tranquillare non poteſt, videlicet „ confeſſione ſoli Deo facta, & generali accepta „ ſolutione, ſed plus ſolatii quærit & conſilii, „ iſte prudentem aliquem & doctum adeat Ver- „ bi Dei miniſtrum, eique conſcientiæ ſuæ ape- „ riat ſtatum, & dolorem, ut ab ipſo recipiat „ abſolutionis beneficium una cum ſpirituali con- „ ſilio, & monito ad tranquillandam conſcien- „ tiam ſuam, omnemque devitandum ſcrupu- „ lum, & dubietatem ab animo auferendam. “

45. Hæc Anglicani, qua in conſulendi ratione, vides, ut cum Tertulliano prope loquar, animam naturaliter Chriſtianam, ideſt adverſarios noſtros fateri coactos, per confeſſionem ſoli Deo factam, generalemque illam, & declaratoriam abſolutionem, ſcrupulos non removeri, dubietates non tolli, animas non tranquillari; ſed opus eſſe ſtatum conſcientiæ miniſtro Dei aperiri, ut certa, & tuta criminum remiſſio obtineatur.

45. Obj. 1. Ex quo Chriſtus dederit miniſtris ſuis poteſtatem remittendi peccata, non ſequitur neceſſario, & abſolute hæc ab omnibus, & omnia eſſe eiſdem confitenda, ſed id ſequitur ſolum conditionate, præconcepta ſcilicet voluntaria ſubjectione peccatoris; quare inferri modo debet poſſe ſacerdotes peccata remittere eorum, qui ex arbitrio ipſis confitentur, ſi dignos venia eos reperiant. Peccata vero non confeſſa non poterunt Sacerdotes profecto retinere: ſed inde non ſequitur, alia via, ſcilicet per contritionem, ea deleri non poſſe, & per miſericordiam Divinam immediate condonari.

47. Reſp. Ex poteſtate a Chriſto miniſtris ſuis facta condonandi peccata, egregie, imo neceſſario ſequi, & eos ſolos ordinaria via poſſe crimina condonare, & hæc eſſe illis confitenda. Sane dum Princeps publicum in Republica conſtituit Tribunal, judiceſque ordinarios apud quos cauſſæ agantur, illam eſſe viam ordinario jure neceſſariam ad lites dirimendas, vel punienda delicta, neque ſolere a Principe judicium immediate uſurpari abſque ſpeciali diſpenſatione, cuilibet conſtans & notum eſt. Sic igitur Chriſtus hoc Tribunal inſtituendo, illud conſtituit tamquam viam ordinariam, & neceſſariam ad terminandas

cau-

cauſas peccatorum; a qua quidem neceſſitate poſſet ipſe, ſi vellet, diſpenſare, & a tribunalia ejuſmodi judicio aliquem eximere, ſed niſi tali de diſpenſatione prius, & manifeſte conſtet, remanet tribunal illud, illoſque judices, & magiſtratus unicum, & neceſſarium eſſe, quo peccata deleantur medium. Hinc ſicut Chriſtus dixerat apud Matthæum ultimo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in Terra*: qua in locutione quamvis affirmativa, includitur negativa altera ipſius Chriſti apud Joann. 5. *Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio*; quia licet principalis poteſtas ſemper apud Patrem maneat, ſtatuit tamen per filium ſuum eam poteſtatem exercere; ipſumque ordinarium Judicem hominum conſtituere, quemadmodum & dicitur *Act.* 8. ita ad hunc fere modum, intelligimus fuiſſe datam Eccleſiæ poteſtatem judicandi de peccatis, & hanc viam, & energiam habere verba Chriſti: *Accipite Spiritum Sanctum &c.* tamquam ſi dixiſſet: Ego jam viſibiliter non judico quemquam, quod ſpectat ad remiſſionem peccatorum, ſed eorum judicium vobis in Tarris commendo; ſiquidem moraliter loquendo ſenſus iſte eſt, dum Princeps judices inſtituit, legeque lata, & perpetua eiſdem reorum judicium committit. Eſt autem contra verborum Chriſti ſignificationem & ſenſum adverſariorum interpretatio, quippe Servator conditionate locutus non eſt., neque dixit: Si quis hominum fortaſſe ſua vobis confeſſus fuerit peccata, ipſum abſolvite, ſed ſimpliciter, generaliter, abſolute, & incircumſcripte locutus, rem juſto prudentique relinquens ſacerdotum judicio, non peccantium arbitrio, atque voluntate.

48. Imo magis animadvertenda eſt hic poteſtas retinendi peccata, quæ quamvis eadem & una ſit cum poteſtate remittendi: attamen magis infert neceſſitatem confeſſionis: quippe ſi eſſet poteſtas remittendi ſolum, tota videretur in favorem peccantium, & ideo per ſe ſola non oſtenderet neceſſitatem ad eam confugiendi, quum etiam alia via poſſent peccatores veniam obtinere, videlicet per contritionem. Verum poteſtas retinendi oſtendit ſacerdotale judicium eſſe quoque in favorem cauſſæ, & juſtitiæ Divinæ, ratione cujus datur jus abſolutum ſacerdotibus, & independens ab arbitrio peccantium, proptereaque poteſtas remittendi peccata præciſe ſumpta, poſſet eſſe utilis peccatoribus, etiamſi uſus ejus non foret neceſſarius, ſed ſpontaneus. At poteſtas retinendi fruſtra inſtituta eſſet ſi peccatori non eſſet neceſſaria ſubjectio clavibus Eccleſiæ: poteſtas ſiquidem retinendi eſt ſuo modo coactiva, & ideo aliquam requirit neceſſitatem ex parte peccatoris; quumque in hoc foro locum non habeat coactio externa, ſequitur, ut ſit per internam obligationem confitendi, ideoque inferat præceptum Confeſſionis.

49. Obj. 2. Non poteſt excogitari præceptum de re impoſſibili; ſed impoſſibile eſt omnia delicta confiteri quia ut inquit Propheta: *pravum eſt & imperſcrutabile cor hominis*: ideoque Regius Pſaltes Pſalm. 18. ita orabat: *Delicta quis intelligit; ab occultis meis munda me*. Satis itaque erit confiteri indefinite, & in communi ſe peccatorem eſſe, ut Daniel cap. 9. ſimul & ſemel ſua, & totius populi peccata indefinite, quia ea numerare non poterat, confitebatur. Sicut Publicanus apud Lucam 18.; ſicut auditores Apoſtoli Petri Act. 2. quemadmodum enim poteſtas Clavium data eſt Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus indefinite, & in communi: ita & ſatis erit eodem modo confiteri, ideoque ex illa poteſtate non poteſt inferri neceſſitas confeſſionis illius generis, quam Eccleſiæ Romanæ Doctores inde conſequi contendunt: alioquin ſi omnia peccata prorſus confitenda ſunt, opus erit venialia quoque confiteri, quod prorſus impoſſibile eſt, nec ab ipſis Doctoribus Romanæ Eccleſiæ poſtulatur.

50. Reſp. Si argumentum valeret, fore ut militaret æque contra Contritionem, & Confeſſionem interiorem, quæ fit Deo, quam profecto integram eſſe oportere volunt adverſarii. Duplicem vero nos diſtinguimus integritatem confeſſionis, nempe materialem, & formalem: integritatem materialem confeſſionis dicimus eam, quæ complecteretur omnia omnino commiſſa a Pœnitente peccata ſuis circumſtantiis, de quibus, etiam præmiſſo diligenti examine non recordaretur. Hanc autem integritatem fatemur eſſe impoſſibilem, proindeque nullo modo neceſſariam. Formalis autem confeſſionis integritas eſt declaratio omnium criminum mortalium, quorum hic, & nunc, diligenti examine præmiſſo, ſibi conſcius eſt Pœnitens, adeo ut neque ſpeciem, neque numerum, neque gradum malitiæ prætermittat. Hanc integritatem non poſſibilem modo, ſed facilem experiuntur vere Pœnitentes, hancque ut neceſſariam poſtulamus; ſine qua dicimus nec pacatam iri conſcientiam, nec animum Pœnitentis tranquillatum, nec a peccatore peractum id, quod requiritur, ad veniam per Sacramentum obtinendam; etenim recte ſcribit D. Thom. Sacerdos confeſſionem audiens vices gerit Dei, & ideo debet ea ratione ei fieri confeſſio, qua fit Deo in contritione; quare ſicut vera non eſſet contritio, niſi ad omnia, & ſingula peccata extenderetur; ita nec vera confeſſio erit, niſi de omnibus fiat peccatis, quæ poſt diligens examen memoriæ occurrunt. Quemadmodum enim corporali in medicina, non ſolum morbum in genere, ſed etiam in ſpecie, contra quem medicina dari debet, cognoſcat oportet; ſed etiam totam habitudinem infirmi, propterea quod morbus quicumque ex adjunctione ad alium aggravatur, & medicina, quæ uni morbo competeret, alteri nutrimentum præſtaret; ita & neceſſe eſt Sacerdotum

R o-

Digitized by Google

Pœnitentis habitudinem cognoſcere, quia peccatum quodcumque ex adjunctione alterius aggravatur; illudque quod alteri peccato conveniens foret medicina, incentivum fortaſſe alteri præſtat; ideoque de confeſſionis eſt neceſſitate quod pœnitens de peccatis omnibus lethalibus, quæ memoriæ occurrunt, confiteatur, alioquin confeſſio non erit, ſed confeſſionis ſimulatio.

51. Nullius vero eſt ponderis, quod additur de peccatis venialibus. Nam quamvis Chriſtiani pietate præditi egregia faciant iſta quoque confitentes: attamen quum dixerit Salvator: *Tibi dabo claves regni Cælorum, quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis*; ideo poteſtas illa clavium proprie eſt ad aperiendum regnum Cælorum; quum itaque ſola lethalia charitatem auferentia, & unionem cum Deo, excludant a regno Cælorum; ideo ea ſola, quo deleantur, indigent clavium poteſtate. Venialia charitatem non auferunt, ſed tantum minuunt, propterea a regno Cælorum non excludunt, aliiſque cum valeant mediis deleri, neceſſario non indigent per clavium poteſtatem condonari, & propterea neque confiteri neceſſario.

CAPUT V.

Confeſſionis neceſſitas ex praxi, & fide perpetua fidelium propugnatur.

52. Divus Cyprianus in Lib. *de lapſis* agens de fidelibus quibuſdam, qui quum perſecutionis tempore, data judicibus Ethnicis pecunia, libellos ab illis obtinuiſſent, in quibus dicebatur eos ſacrificaſſe, licet revera minime ſacrificarent: proptereaque ſe non adeo peccaſſe exiſtimarent; D. inquam, Cyprianus ita fideles hujuſmodi ad hoc confitendum facinus compellebat: „ Confiteantur ſinguli delictum ſuum, dum „ adhuc qui peccavit in ſæculo eſt, dum admitti ejus „ confeſſio poteſt, dum ſatisfactio cujuſcumque, „ & remiſſio facta per Sacerdotes apud Deum „ grata eſt “. Cogitet quiſque an ita loqui Cyprianus potuiſſet, ſi quodcumque occultum etiam peccatum, quale erat facinus libellaticorum, quod nonniſi maximo ſecreto peragendum erat, ut Ethnico judici quoque tectum foret, confeſſionis ſubjectum non fuiſſet, ſique hujuſmodi confeſſionis, pœnitentiæ, & abſolutionis negotium ſpectaſſet ad veniam in foro tantum exteriori obtinendam, vel utilis ſolummodo, non autem neceſſaria fuiſſet confeſſio ſacramentalis ad remiſſionem peccatorum.

53. Proſequitur Cyprianus: „ quanto, & fide „ majores, & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii, vel libelli facinore convi„ cti; quoniam autem de hoc cogitarunt, hoc „ ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſim„ pliciter confitentur, exomologeſim conſcientiæ „ ſuæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalu„ tarem medelam parvis licet & modicis vul„ neribus exquirunt, ſcientes ſcriptum eſſe: „ *Deus non irridetur* “. Habemus hic exomologeſim non tantum apud Deum, ſed etiam apud Sacerdotes Dei: non modo de publicis, ſed etiam occultis de delictis, & publicæ pœnitentiæ non ſubjectis. Quare id vero? Quia inquit Cyprianus, noverant fideles Deum non irrideri; quod Scholæ phraſi denotat eos occultorum etiam criminum confeſſionem neceſſariam, & divino de præcepto exiſtimaſſe.

54. Ante Cyprianum ita ſcripſerat Tertullianus in lib. de *Pœnitentia* cap. 6. *Satisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur*. Origenes vero hom. 17. hæc habet: „ Si „ revelaverimus peccata noſtra non ſolum Deo, „ ſed & his, qui poſſunt vulneribus noſtris me„ deri atque peccatis, ipſa delebuntur “. Et lib. 3. de principiis cap. I. ſcripſerat: „ qui non „ prius ſuorum pecatorum cognoverit mala, & „ proprii oris confeſſione prodiderit, iſte abſolvi „ non poterit. “ D. Baſilius in regulis brevioribus expreſſe docet neceſſarium eſſe apud illos exomologeſim peccatorum facere, quibus credita ſunt divina myſteria. D. Ambroſius in Exhortatione ad pœnitentiam, non ſolum Deo, ſed etiam Sacerdoti confitenda eſſe delicta conſtituit. D. Gregorius Pontifex hom. 26. in Evangelia ait: „ Videndum eſt quæ culpa præceſſerit, & „ quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam, ut „ quos omnipotens Deus per circumpunctionis „ gratiam viſitat, illos paſtoralis ſollicitudo ab„ ſolvat. “ Anaſtaſius Synaita in oratione de ſacra Synaxi habet: „ Chriſto Domino per Sa„ cerdotes tua confitere peccata. “ D. Hieronymus Comm. in Matth. ad ſæpius allegata Chriſti verba docet, ea ratione, qua illi, qui lepra laborabant, Sacerdotes adibant veteri in lege, quo mundi, vel immundi ab ipſis judicarentur; ita nova in lege adire peccatores oportere miniſtros Eccleſiæ, ut a peccatis ſolvantur, vel in illis, ſi indigni fuerint, remaneant. Atqui veteri in teſtamento leproſi divino jure lepram Sacerdotibus manifeſtare tenebantur; ergo novo in teſtamento pœnitentes divino tenentur jure peccata ſua confiteri Sacerdotibus, & remiſſionem delictorum ab ipſis expectare. Nonnulla Patrum aliorum teſtimonia exſcripſimus, nonnulla opportuno exſcribemus loco; innumera in vulgatioribus tractatibus proſtant, quibus ſi Conciliorum decreta, & Liturgicorum addas preces Codicum, praxim pœnitentialem Eccleſiæ univerſæ habes manifeſtam.

55. Quam egregie vero omnium fidem Chriſtianorum, hac in re ex ipſa eorum praxi probavit Henricus VIII. Rex Angliæ in opere ſuo de ſeptem Sacramentis, quod adverſus Lutherum ſcripſit! inquit ſcilicet: „ Si de confeſſione „ verbum nullum, neque nominatim, nec in fi„ gura legeretur, nec quidquam a Sanctis Patri-

bus

Digitized by Google

„ bus diceretur; tamen cum videam totum populum tot ſæculis peccata ſua patefacere ſacerdotibus; quum ex eare tam aſſiduum videam, tantumque boni proventum; tam nil enatum mali, aliud neque credere, neque cogitare poſſum, quam eam rem non humano conſilio, ſed divino plane mandato & conſtitutam eſſe, & conſervatam. Neque enim ulla humana auctoritate populus unquam potuiſſet adduci, ut occultiſſima ſcelera, quorum tacitam conſcientiam horrebat, quæ ne prodirent in lucem tanti referebat ipſorum, in alienas aures, qui poſſet, quum vellet, prodere tanto cum periculo, tam incunctanter effunderet. Neque fieri potuiſſet, quum tam numeroſi Presbyteri boni, malique, qui promiſcue confeſſionem audiunt, ut audita continerent, etiamſi qui alias nihil continent, niſi Deus ipſe, qui Sacramentum inſtituit, rem tam ſalubrem ſpeciali gratia defenderet. Mihi ergo quidquid ait Lutherus, non ex aliqua populi conſuetudine, nec ex inſtitutione Patrum, ſed ab ipſo. Deo inſtituta, & reſervata confeſſio. “ Huscuſque Henricus Rex de jure divino Sacramentalis Confeſſionis.

56. Obj. 1. Origenes Hom. 1. in Leviticum docet plura eſſe media ad remiſſionem peccatorum in lege Evangelica, ſcilicet Baptiſmum, Martyrium, Eleemoſynam, jejunium, injuriarum condonationem, reductionem peccatorum ad meliorem frugem, vel infidelis ad fidem, charitatis fervorem, & pœnitentiam, in qua non erubeſcit reus indicare ſacerdoti peccatum ſuum, & quærere medicinam; itaque ſi quis erubeſcat id facere, poterit aliis mediis ab Origene indicatis veniam delicti ſui obtinere.

57. Reſp. Origenem rationes omnes numeraſſe, & media, quibus Evangelica in lege tum venialia, tum etiam lethalia peccata remittuntur, necnon originale, quare ad id non valet ille locus, ut ſingulas ejuſmodi obtinendæ veniæ rationes ad quævis expianda delicta Origenem idoneas exiſtimaſſe conſtituamus; alioquin abſque Baptiſmo, ſolam per eleemoſynam, & injuriarum condonationem remiſſio peccatorum omnium obtineretur; ſed ad id valet ille locus, ut ſingula remedia remiſſionem omnium criminum ſuo modo impetrent, conferantque. Baptiſmus quidem, & martyrium Originalis veniam peccati, cæterorumque omnium abſolutiſſimam præſtant remiſſionem. Pœnitentia vero, & confeſſio peccatorum omnium poſt Baptiſma commiſſorum veniam; abundantia charitatis, cum Baptiſmo, & Confeſſionis voto omnia delet crimina, & abſque Confeſſionis voto, & deſiderio ad expurganda peccata venialia ſatis eſt. Eleemoſyna denique, condonatio injuriarum, & converſio peccatorum remiſſionem impetrant venialium: imo extra peccati affectum, & cum aliquo in Deum motu, ſi fiant, ad veniam mortalium in Sacramento obtinendam quodammodo diſponunt.

58. Obj. 2. Si confeſſio facta ſacerdoti eſſet de jure divino, eam non potuiſſet Eccleſia abrogare; ſed eam abrogavit Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, propter ſcandalum occaſione Confeſſionis in Eccleſia exortum, ut referunt Socrates, & Sozomenus; itaque inſtitutionis tantum Eccleſiaſticæ eſt. Id autem confirmatur ex Div. Joanne Chryſoſtomo, qui Nectario proxime ſuccedens, factum ejus de ſublato pœnitentiario, & onere confeſſionis approbare, & commendare videtur, ſignificans eam confeſſionem, quæ ſoli Deo fit ſufficere. Hæc enim ejus ſunt verba homil. 2. in Pſalm. 50. „ Peccata tua quotidie dicito, ut deleas illa; ſed ſi confunderis alicui dicere, dicito ea quotidie, dicito in anima tua; non dico ut confitearis illa conſervo tuo, qui tibi exprobret, dicito ea Deo, qui curat illa; “ homil. autem 31. in Epiſt. ad Hebr. ait: „ Non dico tibi ut prodeas in publicum, neque ut apud alios te accuſes, ſed obedire te volo Prophetæ dicenti: *revela Deo viam tuam*: Ante Deum ergo tua confitere peccata, apud verum Judicem cum oratione delicta tua pronuntia, non lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria, & tunc demum ſpera te miſericordiam poſſe conſequi. “ Idem habet Div. Proſper lib. 6. de vita contemplativa cap. 9. Beda vero lib. 5. in Lucam, & ad illud: *Ite oſtendite vos Sacerdotibus* tantummodo crimen hæreſis & infidelitatis, & Judaicæ perfidiæ, & ſchiſmatis vult referri ad ſacerdotes, cætera vero vitia, inquit, per ſe ipſum interius conſcientia, & intellectu Deus ſanat, & corripit. Denique Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis part. 14. cap. 1. arbitrari viſus eſt, propterea Chriſtum non dediſſe hominibus præceptum confitendi peccata, ne ipſorum confeſſio extorta & coacta videretur.

59. R. Ex facto Nectarii nil ſequi adverſus Catholicam veritatem, & praxim: quemadmodum enim viri præclariſſimi evincunt, Nectarius non Sacramentalem confeſſionem, ſed occaſione ſcandali, publicam abrogavit Pœnitentiam. Eam enim abrogavit Pœnitentiam, cujus ratione ſcandalum obortum, eamque, ut ajunt laudati hiſtorici duo, quæ in Occidentalibus Eccleſiis adhuc perſeverabat per publica jejunia, lacrymas, & gradus pœnitentiales ab iiſdem deſcriptia; itaque nil Nectarius ſtatuit adverſus Sacramentalem peccatorum Confeſſionem, jam ab Apoſtolorum temporibus frequentatam. Nam enim ſi hodierna die in aliqua noſtrarum Eccleſiarum abrogaretur Presbyter Pœnitentiarius, qui Pœnitentes abſolvit a caſibus reſervatis, in eadem Eccleſia Sacramentalem confeſſionem ſuppreſſam quoque intelligi oportere, argumentando colligeſe jure aliquo quis poſſet? Nil profecto minus.

60. Sed fac, quod falſiſſimum tamen eſt, Nectarium, & Chryſoſtomum confeſſionem crimi-

num

num divini juris non exiſtimaſſe, quid inde inferas? Numquid a Chriſto, & ab Apoſtolis eam non eſſe? Cave omnino id inferas. S. Cyprianus cum Africanis, & Cappadociæ Epiſcopis fere omnibus, baptizatos ab hæreticis iterum baptizandos, ſi ad Eccleſiam veniſſent, cenſuit. Eſſe id tamen contra Apoſtolicam doctrinam Eccleſia univerſa declaravit. Falſiſſimum tamen eſſe jure diximus id vel cogitaſſe Nectarium, & Chryſoſtomum. Præterquamquod enim nemo fuit iſto eloquentior in celebranda poteſtate Clavium, & neceſſitate confitendi, ut ex ejus homiliis palam eſt, poſtquam ſucceſſit Nectario, recitatis, accedit ipſum lamentatum numquam fuiſſe de ſucceſſore ſuo, ob abrogatam confeſſionem peccatorum. Dicimus propterea Chryſoſtomum objectis in locis, ſolummodo Pœnitentibus id conſuluiſſe, quod nos etiam Chriſtianis hodie conſulimus, ut nempe quotidie examen conſcientiæ faciant, ut ſecum ſemper de peccatis doleant, ut bono affectu leviorum delictorum veniam impetrare ſtudeant, graviorum vero contritione, & propoſito confeſſionis debito tempore faciendæ. Non dicit Chryſoſtomus: Non ut confitearis ea ſacerdoti; ſed dicit: *ne confitearis ea conſervo tuo*. Sacerdos autem in Tribunali non eſt conſervus noſter, ſed vices Dei gerit. Deinde Chryſoſtomum agere de Pœnitentia publica, patet ex illis verbis: *non ut prodeas in publicum, neque apud alios te accuſes*. Idem dicendum de reliquis ſcriptoribus, quorum ætate, ut in præſens ſolis hæreticis, & Schiſmaticis publica imponebatur pœnitentia. Hugo autem Victorinus non aliud vult, quam non exſtare expreſſum Confeſſionis præceptum in Evangelio, docens interim, illud tacite includi in poteſtate clavium Sacerdotibus conceſſa, quo cognito ſponte debent peccatores per confeſſionem ab illis, tamquam medicis, remedium poſtulare.

CAPUT VI.

Difficultates Dallæi adverſus perpetuam Confeſſionis praxim proponuntur, & diluuntur.

61. Argumentum illius primum inde ſumptum eſt, quod nullus fuerit apud alias vetuſtiſſimas Chriſtianiſmi, præter Latinorum, ſectas, Confeſſionis peccatorum uſus, non apud Ethyopes, Armenios, Jacobitas, & Græcos.

62. Argumentum 2. inde ducit, quod quæſtiones de Confeſſione apud Latinos quidem inſtituantur, eamque & miniſtrant, & docent aſſidue, veluti nobiliſſimi ſui muneris actum; apud veteres vero nil feciſſe uſpiam reperiatur in veteris antiquitatis monumentis.

63. Argumentum 3. eſt, quod inter religioſos quorumlibet fidelium actus, Clericorum, Laicorum, privatorum Principum, necnon mulierum apud Latinos recentiores præcipue, paſſim, & ubique locorum, apud veteres vero Chriſtianos nuſſibi in utrorumque libris reperiatur.

64. Argumentum 4. quod in deſcribendis ſuis, ſuorumque morbis, calamitatibus, naufragiis, bellis, itineribus, & ceteris periculis, confeſſionis ſacramentalis Latini quidem recentiores paſſim, veteres vero nunquam meminerint.

65. Argumentum 5. a temporibus confeſſionis nunc ſolemnibus elicit Dallæus, Paſchate videlicet, Natali, majoribus feſtis, quadrageſima, &c. ad quæ confeſſionis mentionem Latini fere ſemper, veteres fere nunquam facere deprehenduntur.

66. Argumentum 6. ex eo quod ſacramentalem confeſſionem infideles latinis quidem non ſemel, antiquis vero Chriſtianis nunquam vel objeciſſe, vel gratulati eſſe leguntur.

67. Argumentum 7. ex eo quod priſcæ Eccleſiæ Epiſcopis, & Paſtoribus ignota fuerint ovium ſuarum delicta, ut ex Chryſoſtomi, Auguſtini, aliorumque Patrum teſtimoniis patet; fieri quod non poterat, ſi fideles ſoliti tunc fuiſſent occulta ſacerdotibus confiteri peccata.

68. Argumentum 8. ex eo derivatum eſt, quod veteribus indictæ, ignotæque fuerint illæ tam multæ, quæ ex confeſſionis diſciplina neceſſario oriuntur quæſtiones, & diſputationes, & quarum hodie pleni ſunt Latinorum libri.

69. Argumentum denique poſtremum inde ſumptum eſt, quod Patres in libris ex profeſſo de pœnitentia ſcriptis, confeſſionis quidem publicæ, publicæque Pœnitentiæ doctrinam, & canones tradiderint, ſed privatæ Pœnitentiæ, & confeſſionis non meminerint. Tres enim tantum agnovere Pœnitentiæ ſpecies, Antebaptiſmalem, quotidianam fidelium, & publicam lapſorum, quæ a confeſſione hodierna differunt. Sunt hæc ſpecialia Dallæi argumenta contra doctrinam Eccleſiæ Catholicæ: nam cætera ſunt ipſi cum reliquis Proteſtantibus communia.

70. Verum nil facilius eorum ſolutione. Nam ut a poſtremo auſpicemur, quod eſt totius adverſariorum doctrinæ argumentum; perperam credunt ipſi modum Pœnitendi, & confitendi pertinere neceſſario ad eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ. Quamvis enim ſecreta occultorum Criminum confeſſio, & ſecreta etiam Pœnitentia ſemper obtinuerit, ut Orthodoxi evidentiſſime ex auctoritate Patrum evincunt, qui omnia prorſus confitenda eſſe peccata conſtituebant: quum ex oppoſito pro ipſorum Proteſtantium teſtimonio, publicæ Pœnitentiæ aliqua dumtaxat ſubjecta fuerint peccata: attamen illud eſt animadvertendum maxime: ad eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ ſolum pertinere, ut peccata accuſemus noſtra, eaque ſubjiciamus clavibus Eccleſiæ, juxta modum, ritum, & formam ab Eccleſia ipſa conſtitutam, & præſcriptam, ut ab ejus miniſtris abſolutionem impetremus. Modus igitur Pœnitendi,

Digitized by Google

tendi, & confitendi ſive publice, ſive ſecreto, ſive uno, ſive alio ritu, ad diſciplinam pertinet, qui pro ſapienti Eccleſiæ prudentia diverſus eſſe poteſt, quare ſtatim atque antiqui Patres, Dallæo teſte, publicam prædicavere lapſorum pœnitentiam, ſatis quoque ſacramentalem prædicavere peccatorum confeſſionem: quippe quod iidem Patres tam aperte doceant, ſecretam confeſſionem fuiſſe publicæ etiam imponendæ pœnitentiæ regulam, & normam.

71. Jam vero cetera Dallæi argumenta falſis laborant præconceptis. Sacramentalem enim confeſſionem apud Orientales, & Græcos, cæteraſque diverſas a latina gentes obtinuiſſe, non jam oſtendemus ex Goario, Renaudotio, Murino, aliiſque doctiſſimis Catholicis; ſed potius ex ipſis Proteſtantibus, Rigaltio quod ad Græcos ſpectat, Spanhemio quod pertinet ad Moſchovitas, Lacrotio quod ad Abyſſinos, & Mushemio in Eccleſiaſtica hiſtoria Tartarorum, etiamſi non negaverimus, apud nonnullos, uti Malabaricos ante Diamberitanam Synodum in confeſſionum deſuetudinem abiiſſe: quod utique mirum minus contigiſſe apud gentes a centro Chriſtianæ profeſſionis adeo diſſitas, quamquod in aliis a latina Eccleſia alieniſſimis perſeveraverit. Peſſime profecto rebus ſuis conſulunt Proteſtantes, dum in re Sacramentaria de ceterarum gentium conſenſione verba faciunt. Quippe nulla magis in re, quam in ejuſmodi conſenſu Eccleſia Catholica triumphat.

72. Argumentum alterum ab homine procedit ignorare ſimulante, præcipuum, & magis aſſiduum veterum Epiſcoporum exercitium fuiſſe reconciliationem pœnitentium; præcipuas, & ſolemniores illorum temporum quæſtiones fuiſſe de reconciliandis pœnitentibus, ut ex Epiſt. patet inter Cornelium, & Cyprianum, & ex iſtius litteris ad ſuos Presbyteros; præcipuam canonum, & Synodorum illius ætatis materiam fuiſſe circa actus, & diſciplinam pœnitentiæ.

73. Tria quæ ſequuntur argumenta diluuntur duplici teſtimonio, Auguſtini altero Epiſt. 180., quæ eſt ad Honoratum ubi habet. „ Annon cogitamus, quum ad iſtorum periculorum extrema pervenitur, nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſiam fieri ſoleat ab utroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus, aliis baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem, ubi, ſi miniſtri deſint, quantum exitium ſequatur eos, qui de iſto ſæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus eſt etiam luctus fidelium ſuorum, qui eos ſecum in vitæ æternæ requie non ſunt habituri; Quantus denique gemitus omnium, & quorumdam quanta blaſphemia de abſentia miniſteriorum, & miniſtrorum? Si autem miniſtri adſint, pro viribus, quas eis Dominus ſubminiſtrat, alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli dominici corporis communione fraudantur. “ Hucuſque Auguſtinus, cum quo verba fidelium Africæ conveniebant, ob ſuorum exilium Paſtorum, a Victore Uticenſi in lib. de perſecutione Vandalica ita repræſentata: „ Quibus nos miſeros relinquitis, dum pergitis ad coronam? Qui hos baptizaturi ſunt parvulos fontibus aquæ perennis? Qui nobis munus pœnitentiæ collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentia obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturi? quia vobis dictum eſt: *quecumque ſolveritis &c.* “. Intelligit ex his quiſque an veteres Chriſtiani minus ſolliciti fuerint in impetranda a miniſtris Eccleſiæ ſuorum venia delictorum. Quod ſi in privatorum vita, & morte deſcribenda, nihil dicunt veteres de illorum confeſſione, quemadmodum fit in præſens, illud in cauſa eſt, quod actus, & frequentatio confeſſionis in præſens eſt ſignum Orthodoxiæ, quia ſcilicet tot nunc ſunt inter Chriſtianos hæretici confeſſionem omittentes; ex oppoſito olim omnes confitebantur, ideoque neceſſe non erat talem actum memorare. Inter tot Origenis laudes ab Euſebio memoratas, inter tot S. Jacobi encomia ab Hegeſippo celebrata, nulla vel ſemel Eucbariſtiæ ab ipſis perceptæ occurrit mentio: an ideo dicemus illos viros nunquam ad ſacram acceſſiſſe menſam? Minime profecto.

74. Ad 6. Reſpondetur, confeſſionem Paſchalem a decreto ſolum Concilii Lateranenſis, confeſſiones vero Natali Domini, ceteriſque diebus feſtis, a recenti fidelium conſuetudine, & pietate inductas fuiſſe; antiquos vero ſolitos confeſſionem edere, dum opus erat, dum poterant; in periculis, ante mortem.

75. Ad 7. Reſp. falſo præconcipere Dallæum, omnia quæ ipſi Orthodoxa in diſciplina abſurdi, & difficilis habitus videntur, fuiſſe a Paganis reprehenſa; gratis ipſum fingere, omnia Chriſtianæ religionis myſteria, omnia ſacramenta, omnia diſciplinæ capita fuiſſe gentilibus perſpecta, quare ea calumniari, & arguere valerent; quum ex oppoſito valuerit olim arcani diſciplina, ob quam Paganis non ſolum, ſed ipſis etiam Catechumenis occultabantur myſteria. Addimus occaſione confeſſionis excogitatam videri poſſe illam gentilium calumniam, quam Cæcilius Ethnicus apud Minutium Felicem in Octavio ita exprimebat: „ alii Chriſtianos ferunt Antiſtitis & Sacerdotis colere genitalia, & quaſi parentis ſui adorare naturam. “

76. Ad 8. Reſp. aliquorum delicta fidelium eſſe aliquando paſtoribus ignota potuiſſe, licet receptiſſimus fuerit confeſſionis uſus; ſicut & nunc ignota dici poſſunt pleraque; tum quia numeroſiſſimæ Eccleſiæ cuncti fideles Paſtori ſuo confiteri non poterant, quum unus tanto oneri impar eſſet; tum quia plures erant Auguſtini, & Chryſoſtomi temporibus, qui pœnitentiam, &

con-

confeſſionem omittebant, ut in præſens etiam perditi atque impii non pauci; tum quia multi aliqua ſcelera confitendo occultabant: tum denique quia quum cognitione peccatorum ex confeſſione accepta uti Paſtores non poſſent in foro externo ad excommunicationem, vel pœnitentiam publicam infligendam, ideo ea notitia carere teſtabantur, ob quam eos exterius punirent.

77. Denique, ſicut abſque innumeris quæſtionibus de Deo, de Chriſto, ejuſque myſteriis, de Sacramentis, de Eccleſia, quas Theologia Scholaſtica peperit, & quæ in veterum monumentis nullæ reperiuntur, ſtetit duodecim ſæculorum vera de Deo, de Chriſto, de myſteriis, de ſacramentis, de Eccleſia fides; ita abſque illa tam ampla quæſtionum ſylva circa confeſſionem, confeſſio ipſa ab Eccleſiæ exordiis ſemper uſurpata fuit. Habent ſcilicet ſua fata & tempora quæſtiones, & modi eas agitandi, quamvis ſi Bibliothecam Patrum conſulamus, plurima reperiemus, præſertim apud Scriptores medii ævi circa ſacramentalem confeſſionem, eadem prope methodo, qua apud recentiores pertractata.

CAPUT VII.

An aliqui Theologi, & Canoniſtæ Orthodoxi, de neceſſitate Confeſſionis dubitaverint.

78. Calviniani nil magis præſtant, quam objicere Gratianum, magiſtrum ſententiarum, nonnulloſque ſcolaſticos inſignes, de neceſſitate confeſſionis dubitare viſos. Gratianus nempe diſtinct. 5. de pœnit. verſato in utramque partem argumento, ita concludit: „ Cui autem adhærendum ſit, lectoris judicio reſervatur: utraque enim ſententia fautores habet ſapientes, & religioſos Viros, videlicet ea, quæ ſtatuebat ſola cordis contritione, & confeſſione facta Deo, deleri peccata, tum ea quæ oris confeſſionem poſtulabat. Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus in ſuo pœnitentiali ſcripſiſſe objicitur: “ „ Quidam Deo ſolummodo confiteri peccata debere dicunt, ut Græci, quidam vero Sacerdotibus confitenda eſſe cenſent, ut tota fere ſancta Eccleſia. “ Joannes Theutonicus Diſt. 5. de pœnit. poſtquam multa de confeſſione diſſeruit ſubdit: „ Sed melius dicitur fuiſſe inſtituta a quadam univerſalis Eccleſiæ traditione: “ atque inde infert eam neceſſariam Græcis non eſſe, quos Romanæ Eccleſiæ traditio non obſtringit; ſicut neque traditio conſecrandi in azymo. Magiſter denique ſententiarum diſt. 17. 4. libri problematice de confeſſionis neceſſitate agere videtur.

79. Noſtri egregia excogitarunt laudatis ſcriptoribus ab errore vindicandis: alii enim corruptum Gratiani, & Theodori textum; alii ignorantia Theologicarum quæſtionum Canoniſtas facile peccaſſe contenderunt, quippe quod eorum ætate ſcholaſtici ſoliti eſſent diſputare de fundamento dogmatis; aliis ad unum, aliis vero ad aliud Scripturæ teſtimonium; nonnullis ad verbum Dei ſcriptum, nonnullis ad traditum confugientibus: quodque ſcholaſtici ætate illa diſputarent inter ſe an confeſſioni potius cordis, ſive contritioni aſſerenda juſtificatio foret, quam confeſſioni oris.

Nos tamen cum D. Thoma dabimus, nonnullos ſcholaſticos, de neceſſitate aliquando confeſſionis dubitaſſe, ſed id abſque hæreſi in ipſis, quia ante ſolemnem Eccleſiæ definitionem, & abſque ullo dogmatis Orthodoxi præjudicio. Profecto ignorare debet nemo cuncta quidem fidei dogmata, uno eodemque fuiſſe tempore Eccleſiæ divinitus commiſſa, ſimulque a Spiritu Sancto evulgata, quo doctore ea Apoſtoli didicerunt. Verum quamquam omnia pari religione ſervata, non eodem tamen tempore, & modo, neque eadem fuiſſe perſpicuitate fidelibus expoſita, ſed pro varia temporum occaſione, alia citius, alia ſerius, alia manifeſto, alia ſubobſcurius explanata, decretaque fuiſſe: habet enim ſcientia in Chriſto ætates ſuas, ut in lib. de Pudicitia ſcribit Tertullianus.

80. Hac poſita conſtitutaque veritate ad confeſſionis neceſſitatem deſcendamus. Dubitare nemo poteſt ex univerſaliſſima omnium fidelium praxi confeſſionis neceſſitatem fuiſſe ſemper & ubique creditam, quippe eam in moribus non habuiſſent fideles, niſi neceſſariam ad peccata dolenda credidiſſent. Certum quoque tamen eſt, ante definitionem Concilii Lateranenſis, ejuſmodi confeſſionis neceſſitatis publico Eccleſiæ decreto nondum fuiſſe omni perſpicuitate declaratam. Profitebantur veteres ſcholaſtici, juriſque canonici periti, abſolutionem eſſe *Sacramentum* a Chriſto inſtitutum: aliqui ipſorum tamen, non ſibi videre videbantur, inferri inde oportere, confeſſionem eſſe omnibus, qui peccaſſent, jure divino neceſſariam; tum quod iidem, non alium admitterent ſincerum dolorem, quam perfectam contritionem; tum etiam quod ex divina inſtitutione neceſſitatem conſequi negarent; ea ratione, qua Confirmationem, & extremam unctionem a Chriſto inſtitutas propugnamus; neque eas tamen volumus ad ſalutem jure divino neceſſarias. Suo ſcholaſtici certe illi ratiocinio errabant, quia duo iſta Sacramenta vivorum ſunt, Confeſſio autem eſt Sacramentum mortuorum; ſed propterea hæretici non erant, quia quamvis jure divino neceſſaria foret lethalium criminum confeſſio, talem tamen neceſſitatem nondum publice, & ſolemniter declaraverat Eccleſia. Quot, obſecro, indifferentia ante ſynodum Tridentinam habebantur, quæ nunc ſunt definita? quot, quantaque doctiſſimi, ſanctiſſimique Viri ante Concilium iſtud inculpate docuerunt, quæ nunc propugnare nefas eſſet? Quot, quantaque a Patribus nonnullis etiam olim ſcripta, quæ poſt cla-

ram Eccleſiæ definitionem, aut omittimus; aut propugnamus? Sexcenta prope loca hujuſmodi in Origenianis Huetii, & in Theologicis dogmatibus Petavii reperies.

81. Id autem quod ſcholaſtici olim, atque Canoniſtæ de Græcis atque Orientalibus docebant, tum inopiæ monumentorum, qua laborabant, tum inopiæ illorum eruditionis aſſerendum eſt, quemadmodum fuſe oſtendunt Lucas Holſtenius, Ricchardus Simonius, Le-Quienius, Morinus, & recentiores alii bene multi. Dum in Concilio Florentino de Eccleſia Græca cum latina componenda actum eſt, de quonam obſecro, diſputatum eſt? Certe de Primatu Romani Pontificis, de particula *Filioque* Symbolo adjecta, de igne Purgatorii, de azymo, & fermentato, de neceſſitate invocationis Spiritus Sancti in Euchariſtica conſecratione: de Sacramentalis Confeſſionis Inſtitutione, dignitate, neceſſitate, & praxi, diſputatum non eſt, quod eſt certiſſimum conſenſionis hac in re Orientalium cum Occidentalibus argumentum. Petrus Abbas Æthyops, qui ſub Paulo III. Ethyopicam Romæ edidit Liturgiam, ita in Epiſt. nuncupatoria ad Rom. Pont. ſcribebat: „ Non poſſum non maxime dolere, quod „ quidam ea, quæ religionis ſunt, in diverſas „ diſſecent ſectas, eaque quæ omnibus eadem „ ſunt, quærant prorſus diverſa facere; quo factum eſt ut unus idemque Chriſti ſanctiſſimus grex in diverſa abiiſſe credatur, dum „ unuſquiſque noſtrum eos, quos ab Eccleſia deſciviſſe temere reputat, ut hæreticos fugit, „ quando nos Ethyopes, qui Catholici ſumus, „ & eſſe volumus, Chriſti inſtituta atque doctrinam uſque hodie illibatam tenemus, tamquam ſchiſmatici ab omnibus fere Europeis „ judicamur. “ Sic ordinationes Græcorum, & Orientalium ob aliquos ritus a noſtris diverſos ſcholaſtici nonnulli olim irritas habebant, quod ridiculum profecto eſt, & ab hodierna cogitandi ratione alienum. Temporum igitur infelicitati, & odio Schiſmaticorum dandum eſt, quod aliqui olim de Orientalium, & Græcorum fide circa Sacramentalem Confeſſionem minus accurate pronuntiarint.

82. Quod ſi ad aliquos PP. Lateranenſi ſynodo poſteriores animum convertamus quid mirum eorum pauces negligentia & inconſiderantia minus commode locutos? Verum ſi ex tot damnatis, damnandiſque Orthodoxorum, qui poſt Tridentinam ſynodum ſcripſere, propoſitionibus, & tot prohibitis Catholicorum libris cordatus nemo inter Proteſtantes inferri ſibi fas eſſe perſuaſerit, Tridentini doctrinam non eſſe Catholica in Eccleſia univerſaliter receptam, multo minus inferre id poſſunt reſpectu ſynodi Lateranenſis ex ſcholaſticis diſputationibus, vel dubitationibus paucorum, qui abſque pertinacia, ideoque abſque hæreſi errabant, nihilque in fidem, & mores, & praxim populi fidelis influebant; quum aliunde fides Orthodoxa, non ab oſcuris aliquorum ſcholaſticorum diſputationibus, ſed ex divinis litteris, exque divina, & Apoſtolica traditione, ex Conciliorum generalium decretis, ex doctrinis ſummorum Pontificum, ex Sanctorum Patrum conſenſione, ex Libris Euchologicis, & Liturgicis Eccleſiarum, atque ex perpetua fidelium praxi dignoſcenda eſſe conſtet.

CAPUT VIII.

De Contritione.

83. Contritio definitur animi dolor, & deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero. Duplex autem diſtinguitur; altera perfecta eſt, quæ deteſtatio eſt de peccato ex amore Dei ſuper omnia cum propoſito ulterius non peccandi; ex voto confeſſionis; altera imperfecta, quæ attritio appellatur, eſtque dolor, & deteſtatio peccati ex ejus turpitudine, exque gehennæ, pœnarumque metu concepta, cum ſpe veniæ, & voluntate non peccandi. Diſtinctionem hanc Tridentinum conſecravit ſeſſ. 14. contritionem dividens in eam, quæ eſt ex perfecta charitate, & in eam, quæ ex motivo turpitudinis peccati, metuque procedit, hoc inter eas diſcrimen etiam ponens, quod quando contritio eſt ex perfecta charitate, hominem Deo reconciliat, priuſquam Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipiatur actu, tametſi non abſque voto Sacramenti ſuſcipiendi, in contritione perfecta certiſſime incluſo: quando autem imperfecta eſt contritio, vel ſola eſt attritio, non poſſit per ſe, abſque Sacramento perducere hominem ad juſtificationem, quam tunc ſolum obtinet in ſuſceptione Sacramenti.

Fuere Theologi nonnulli, qui non aliam diſpoſitionem ad peccatorum veniam in Sacramento ipſo obtinendam admiſere, quam perfectam contritionem; quapropter ſtatuerant hanc ſimul cum peccato ſtare poſſe, hominemque perfecte etiam contritum, & habentem votum, & deſiderium Sacramenti, non reconciliari tamen cum Deo, niſi per ſuſceptionem Sacramenti, excepto neceſſitatis caſu. Doctrinam hanc Pontifices damnaverunt, noſque eam impugnandam ſuſcipimus hoc pacto.

84. Quum Contritio perfecta ex Charitate proficiſcatur, & charitas ſit perfecta amicitia inter Deum & hominem, impoſſibile eſt peccatorem elicere actum charitatis perfectum, niſi ex parte Dei correſpondeat actus amicitiæ, juxta illud Prov. 8. *Ego diligentes me diligo*; & Joann. 14. *Qui autem me diligit, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum*: atqui amor Dei erga hominem habet adjunctam infallibiliter remiſſionem omnium peccatorum; tum quia talis amor nequit eſſe ſine gratia habituali, quæ cum peccato incompoſſibilis eſt; tum etiam quia talis amor

reddit

Digitized by Google

reddit hominem Deo gratum & acceptum, quod præſtare non poſſet niſi haberet adjunctam remiſſionem peccatorum: quippe quod peccatum reddat hominem exoſum Deo, & abominabilem. Itaque actus perfectæ charitatis habet adjunctam infallibiliter remiſſionem peccatorum, ſi tamen cum Sacramenti deſiderio & voto ſit conjunctus.

85. Ut igitur Contritio ſatis ſit ad gratiam Dei ante Sacramenti ſuſceptionem impetrandam, talis eſſe debet, ut graviſſimum quemcumque dolorem caducarum rerum cauſa ſuſceptum ſuperet. Sicut enim noſter erga Deum amor creatarum rerum amorem longiſſimo antecedere debet intervallo, ita & contritionis dolor, qui ex omiſſo Dei amore naſcitur, omnibus longe doloribus debet anteire. Neque refert quod dolor ejuſmodi minus afficiat ſenſus, quam dolor rerum creatarum, dummodo præ ceteris doloribus afficiat voluntatem; adeo ut quamvis ſenſus alicujus Pœnitentis magis morte Filii ſui percellatur, quam conſideratione peccati; ſi tamen detur optio, Filii ſui mortem, quam peccatum malit, tunc perfectam habet contritionem; talis quippe dolor appellari poteſt dolor æſtimationis, quia non ſenſu corporis, ſed æſtimatione objecti metitur damnum; licet non raro accidat, ut cum dolore voluntatis dolor ſenſus ſe conjungat; imo nulla ſit via tutior ad expendendam contritionis veritatem, quam ſumma doloris intenſio: quod ſi hunc ad gradum contritio non pertingat, peccatorum veniam impetrare non poteſt Pœnitens, niſi adjuncto Sacramento.

86. Obj. 1. Si contritio perfecta Pœnitenti adferret gratiam antequam ad Sacramentum accederet, hoc dici non poſſet neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, nec ullius eſſet momenti Patrum doctrina de neceſſitate clavium ad remiſſionem peccatorum. D. Auguſtinus Tract. 13. in Joann. ſcribebat: „ quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc ſarſinam iniquitatis ſuæ portat, non illi dimittitur niſi cum venerit ad Baptiſma: “ Atqui pro doctrina Orthodoxa ita Sacramentum Pœnitentiæ neceſſarium eſt ad remiſſionem peccatorum actualium; ſicut Baptiſmus ad remittendum originale: itaque ſi perfecta contritio non delet ante Baptiſmum culpam peccati Originalis, eadem perfecta contritio ante Sacramentum Pœnitentiæ actualia peccata non delebit.

87. Reſp. Ideo reſpectu illius, cui ob perfectam contritionem remiſſa ſunt peccata, confeſſionem adhuc, & abſolutionem eſſe omnino neceſſarias, tum quia in contritione perfecta includitur votum, & deſiderium faciendæ confeſſionis, & abſolutionis impetrandæ: quod votum, & deſiderium ſincerum non foret; ſi dum datur facultas, actus non reduceretur; tum etiam quia poſt impetratam a Deo etiam, vi perfectæ contritionis, peccatorum veniam, remanet adhuc obligatio peccata clavibus Eccleſiæ ſubjiciendi, adeo ut, niſi qui perfecte contritus eſt legem ejuſmodi impleverit, novi ſe peccati vinculo obſtringat: quare non eſt omnino liber ſaltem ab onere, & obligatione novi peccati contrahendi, donec a Sacerdotis miniſterio eximatur.

88. Doctrinam hanc illuſtrare poſſumus exemplo. Quum debitor ære obrutus alieno in vinculis detinetur, moxque ſolutionis ſponſione facta, ea lege dimittitur, ut carceri ſe reſtituat, niſi ad certam diem pactam pecuniam repræſentet, ille profecto quamvis vinculis ſolutus, omnia per urbis compita ſpatiatur; cum tamen jus creditori ſit eum rurſus in nervum corripere, niſi promiſſa faciat, ille inquam liber haberi plene non debet, donec ad conſtitutam diem pacto ære ſe liberet, datamque creditori fidem exſolvat: ita qui ope perfectæ contritionis reconciliata cum Deo gratia, in libertatem ſe Filiorum Dei aſſeruit, quum adhuc divina Lege teneatur, peccata, licet condonata, clavibus Eccleſiæ ſubjicere, & niſi pareat, novo ſe piaculo obſtringat, ille, inquam, perfecte liber cenſeri non poteſt, donec Sacerdoti peccata ſua confeſſus, ea obligatione ſolvatur.

89. Perfectius etiam exemplum habemus in Lazaro reſurgente, ſcilicet exemplum a Patribus, Auguſtino, Ambroſio, Gregorio, Eucherio, aliiſque tamquam adumbratio rei, de qua agimus, adductum. Sicut enim Lazarus a morte excitatus, vita plane & ſpiritu fruebatur, antequam Apoſtolorum opera faſciis, & lineis vinculis eximeretur: ita Pœnitens vi perfectæ contritionis, gratiam ſanctificantem, qua Deo vivitur, ante adpiſcitur, quam a ſacerdote abſolutionis beneficio donetur: Verum ſicut vita Lazari non obfuit, quin pro Chriſti præcepto ab Apoſtolis ſolvendus foret; ita juſtificatio Pœnitentis non obeſt, quin pro ejuſdem Domini præcepto, confiteri debeat Sacerdoti.

90. Hæc confeſſionis, & abſolutionis neceſſitas tanto magis a Patribus urgetur reſpectu cujuſcumque Pœnitentis, quanto arduum, difficile, & rarum eſt peccatores ante ſuſceptionem Sacramenti perfectiſſimum elicere charitatis, & contritionis actum; & quia numquam certi eſſe poſſunt, an actum tantæ charitatis, & perfectionis demum elicuerint: qua etiam de cauſa nonnulli verba Auguſtini objecta non efficere exiſtimant, quippe intelligenda de eo, quod communiter evenit, quumque pauci Catechumeni habere videantur poſſe ante Baptiſmum contritionem ex charitate perfectam, quamvis ſatius dixerim, quod ex tota ſerie orationis ejus patet, Auguſtinum, aliorum more Patrum, tunc in eos fuiſſe jure & merito invectum, qui Baptiſma ad mortem uſque differebant. Num vero arbitrabimur in Catechumenis Baptiſmum ita differentibus fuiſſe cum perfecta charitate Baptiſmum ſuſcipiendi votum, atque deſiderium? Minime profecto.

91. Obj. 2. Joannes Morinus in exercitatione hiſtorico-Theologica de contritione, & attritione pluri-

rimos

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nimos adducit veteres ſcholaſticos non aliam admittentes ad Sacramentum Pœnitentiæ cum fructu ſuſcipiendum diſpoſitionem, quam actum contritionis ex perfecta charitate. Jamvero, vel iidem exiſtimabant per contritionem acquiri gratiam ante Sacramentum, vel non. Si non exiſtimabant: itaque cum perfecta contritione peccatum eſſe poſſe in Pœnitente credere debebant: ſi vero gratiam obtineri per contritionem arbitrabantur, ſequitur eos credidiſſe, abſolutionem ſacerdotis eſſe tantummodo declaratoriam: atqui neque prius illud, neque poſterius hoc damnatum eſt in veteribus ſcholaſticis; cur igitur alterum damnabitur in Heterodoxis? Certe ſi per contritionem perfectam obtinetur gratia ante ſuſceptionem Sacramenti, tunc abſolutio data a ſacerdote, niſi declaratoria non eſt.

92. Reſp. Objectam Morini exercitationem opus eſſe poſthumum, nec honori tanti viri eum conſuluiſſe, qui eam edidit, cui poſtremam manum auctor non impoſuit. Erraverat Morinus non animadvertens ab ætate ſolum Tridentini Concilii, & poſtea, vocibus *Contritio*, *&* *attritio* adfixas fuiſſe idoneas & determinatas notiones: apud ſcholaſticos vero veteres, & abs ſe allegatos voces illas fuiſſe ambiguas, & promiſcue uſurpatas. Quorum alii attritionem vocabant quemcumque dolorem, qui anteiret Sacramento: contritionis vero nomen dabant dolori hominis jam per Sacramentum juſtificati: alii dolorem initialem & tenuem vocabant attritionem, contritionem vero dolorem jam conceptum, & intenſum, etiamſi ex ſolo gehennæ metu derivatum: alii dolorem de ſingulari aliquo crimine attritionem, dolorem de omnibus commiſſis contritionem appellabant: alii pro arbitrio nominibus illis utebantur; adeo ut mirum non ſit eos talibus contritionibus non tribuiſſe juſtificationem ante Sacramentum, quum nos ex oppoſito effectum hunc ſoli contritioni tribuamus, & dolori ex perfecta charitate cum voto ſacramenti.

93. Neque tamen inficiabimur, fuiſſe inter veteres ſcholaſticos, qui contritionis nomine dolorem ex perfecta charitate intelligerent: iidemque tamen conſequenter ſtatuebant, non confeſſioni oris, ſed confeſſioni cordis, ideſt contritioni juſtificationem peccatoris eſſe tribuendam, & abſolutionem a Sacerdote impertitam eſſe tantummodo declaratoriam. Quum autem Tridentinum hæc duo, tanquam hæreſes in heterodoxis damnaverit, quia pertinaciter errantibus; ſequitur juſtificationem peccatoris tribuendam communiter eſſe confeſſioni oris, & abſolutioni ſacramentali; ideoque dari contritionis genus, quod ſecundum ſe, & ante ſuſceptionem ſacramenti non adfert veniam, & gratiam in Sacramento conſequendam: ex quo omittenda intelligitur ſcholaſticorum aliquot veterum, certe non pertinaciter errantium, opinio, de contritione perfecta ſolum admittenda tanquam idonea, & neceſſaria diſpoſitione ad beneficium abſolutionis cum fructu obtinendum. Hanc in opinionem cum ſeſe propenſiorem oſtendiſſet Morinus celebri in opere de adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ; æquum duxit clarius explicare mentem ſuam in operis ſui recenſione, ſeque ad Tridentini mentem attemperare. Immunitas igitur a cenſura veterum illorum, qui ante Tridentinum hoc de argumento liberius diſputarunt, veniam illis non adfert, qui poſt dogma in Tridentino explicatum, in priores reciderent ambages.

Ex quo autem perfecta contritio remittat peccata ante ſuſceptionem ſacramenti, non ſequitur, juxta Orthodoxos, abſolutionem eſſe tantummodo declaratoriam remiſſionis peccatorum, quum enim abſolutio ſecundum ſe ſit remiſſiva peccati, & id fiat reſpectu hominis attriti, fit per accidens ſolummodo, ut reſpectu contriti peccata non remittat; quemadmodum in eo, qui diſpoſitionem non habet, abſolutio nihil operatur, non quidem quod ei virtus deſit, ſed per accidens modo, ex incapacitate ſcilicet ſubjecti. Quamvis etiam reſpectu perfecte contriti ſicut confeſſio eſt executiva præcepti, ita abſolutio eſt collativa incrementi gratiæ, & ſanctitatis. Tandem, ut recte docet Trid. quum in contritione perfecta votum inſit confeſſionis, & abſolutionis, remiſſio peccatorum, non tam contritioni, quam ſacramenti voto, ideoque Sacramento ipſi tunc etiam tribuenda eſſe intelligitur.

CAPUT IX.

De Attritione.

94. SUnt inter TT. Catholicos, qui dolorem ex turpitudine peccati ſolummodo, & pœnarum metu conceptum, non exiſtimant ſufficientem eſſe ad Sacramentum cum fructu ſuſcipiendum diſpoſitionem, ſed aliquem ſaltem charitatis gradum cum dolore illo conjunctum eſſe oportere arbitrantur. Varios ipſi ponunt ſpecifice diſtinctos charitatis gradus, propter quos alia appellari poſſit charitas nata, alia provecta, deinde magna, deinde perfecta, cum qua quidem eſſe peccatum non poſſe Theologi ejuſmodi fatentur; bene tamen cum Charitate vix nata, & inchoata, quæ ſacramenti virtute & beneficio indigeat, ut peccatorum veniam conſequatur.

95. Non deſunt tamen, qui theoriam hanc cum philoſophia Divi Thomæ convenire poſſe inficiantur. Nam tametſi gradus intenſionis, & remiſſionis in charitate præconcipiat etiam S. Præceptor, & alius juxta ipſum ſit gradus charitatis incipientium, alius proficientium, alius tandem perfectorum: quia tamen habitus virtutum, pro ipſius doctrina non diſtinguuntur ſpecie, niſi juxta principia eorum activa, ordinemque, quo tendunt in objecta, inde eſt charitatem inchoatam, & perfectam ſpecie non differre, tali in

hypo-

Digitized by Google

hypotheſi, utpote juxta eundem ordinem tendentes in Deum ſummum bonum: ſed differre tantummodo juxta magis, & minus, quæ ſpeciem non variant; ex quo ſequitur, ut ſi perfecta charitas eſſe cum peccato non poſſit, neque eſſe cum ipſo poſſit inchoata charitas, & remiſſa, ex quo utraque, licet in diverſo gradu, ejuſdem ordinis tamen habeatur, eſſentiæ, ſubſtantiæ, & qualitatis.

96. Profecto juxta D. Thom. omnis charitas eſt amicitia cum Deo; omnis charitas habet pro objecto proprio, præcipuo, & formali ſummam Dei bonitatem: charitas etiam minima poteſt reſiſtere cuilibet tentationi: minima gratia baptiſmalis ſufficit ad omnia crimina delenda: denique in 4. Sent. diſt. 17. art. 5. ſunt hæc S. Præceptoris verba: „ Quælibet gratia gratum faciens „ delet omnem culpam mortalem, quia ſimul „ cum ea ſtare non poteſt: ſed quælibet contri- „ tio eſt gratia gratum faciens: ergo quantum- „ cumque ſit parva delat omnem culpam“. Ex quibus aliqui Thomiſtæ, ne ponatur ſemper pœnitentem jam & perfecte juſtificatum accedere ad ſacramentum pœnitentiæ, & hoc ſemper eſſe tantummodo declarativum remiſſionis peccatorum, quemadmodum laudata in Theoria eveniret, ſi attritio aliquem conjunctum habere deberet, & porro haberet ſecum inchoatæ ſaltem charitatis gradum, propterea inferunt, ſatis eſſe ſi pœnitens ſola cum vera attritione, & confeſſione ſincera accedat ad beneficium abſolutionis conſequendum. Sacramentum enim tunc ſupplet id, quod deteſtationi, & dolori peccati deeſt, ex pœnarum metu conceptæ.

97. Porro ejuſmodi metum Tridentina Synodus declaravit eſſe donum Dei, ſed tantummodo moventis, & quo adjutus pœnitens viam ſibi ad juſtitiam parat: quare tametſi per ſe, & abſque Sacramento perducere ad juſtificationem peccatorem nequeat, ad gratiam tamen Dei in Sacramento impetrandam diſponit. Non enim hic ſermo eſt de timore mundano, aut de timore, ut inquiunt TT. ſerviliter ſervili, quo fit ut niſi pœna impediret, peccatum adhuc diligeret, ſed agitur de timore, qui voluntatem peccandi excludat, ſpemque veniæ conjunctam habeat, & ad actum charitatis diſponat.

98. Neque vero idem ſunt attritio, & timor ſervilis, quamvis hic attritionis principium ſit. Timor enim quaſi parens; attritio eſt veluti ejus ſoboles: timor eſt merum donum Dei; attritio eſt actus, quem libere peccator elicit tali dono excitatus, & adjutus. Timor eſt impulſus Spiritus ſancti datus nobis ſine nobis ad excitandam peccatorum contritionem, quam tamen nos poſſumus elicere, & non elicere: attritio autem eſt ipſa formalis deteſtatio peccatorum promanans a tali impulſu. Hinc eſt quod non quilibet, cui donatur a Deo timor pœnarum, elicit actum attritionis; ut D. Th. docet 2. 2. quæſt. 13. art. 9. ubi inquit: „ Timor ſervilis poteſt habe- „ re adnexam peccandi voluntatem, & ideo non „ eſt adnumerandus inter ſeptem dona Spiritus „ ſancti, licet ſit a Spiritu ſancto.“ Non dicit S. D. quod timor neceſſario ſtet cum voluntate peccandi, ſed inquit, quod poteſt cum ea ſtare, ſi videlicet, qui pœnas timet attritionem non eliciat: nam ſi attritionem ex metu elicit, excludit peccandi voluntatem; ſiquidem attritio eſt formalis deteſtatio peccati, & a D. Th. diſplicentia de peccato appellatur, quamvis imperfecta, quia ex metu pœnarum, per ſe quidem juſtificare non valet, bene quidem cum ſuſceptione ſacramenti.

99. Quod ſi quis objiciat attritionem ex metu gehennæ conceptam non auferre affectum ad peccatum, nec peccandi voluntatem, quemadmodum in mercatore evenit ob naufragii metum projiciente merces in mare, qui affectum retinet ad ſuas merces: reſpondent TT. laudati peccatorem inter & Mercatorem eſſe ingens diſcrimen. Mercator enim poteſt evadere naufragium etiamſi cum mercibus non projiciat amorem ad illas, quia hujuſmodi, cum alicujus in nave ponderis non ſit, nec eſt cauſa agens, nec fovens naufragii periculum; non ſic eſt de affectu ad peccatum in peccatore; ſiquidem tam affectus ad peccatum, quam peccatum ipſum intelligitur a peccatore eſſe cauſa damnationis. Itaque quum per attritionem avitare velit efficaciter gehennam, propterea efficaciter non modo peccatum removet, ſed etiam affectum ad illum; quemadmodum Mercator ipſe affectum erga merces in mare projectas abjiceret, ſi noſſet affectum erga merces, futurum fore, vel poſſe eſſe naufragii cauſſam.

100. Sane omnino repugnat Pœnitentem per attritionem etiam ex metu gehennæ conceptam deteſtari peccatum, & ſimul retinere affectum: ad peccatum repugnat pœnitentem in attritione habere ſincerum propoſitum non peccandi de cetero, & ſimul habere voluntatem peccandi. Imo ex quo ſpem veniæ concipiat attritus, non poteſt aliquo modo Deum non amare, ut enim inquit D. Thom. in 1. Sent. quæſt. 11. art. 9. „ Quod per aliquem „ ſperamus nobis poſſe provenire bona, move- „ mur in ipſum ſicut in bonum noſtrum, & ſic „ incipimus illum amare.“ Nimirum acti fide, & ſpe ſupernaturali, & divinis fidentes promiſſis, ad miſericordiam Dei confugimus, ipſumque diligimus tamquam fontem juſtitiæ noſtræ, ſive juſtificationis, & gratiæ beneficio Sacramenti, & poteſtati clavium conſequendæ.

101. Sunt alii Thomiſtæ tamen, qui animadvertentes S. Præceptorem non uno dicere in loco, nullam veram virtutem eſſe ſine charitate, ſolam charitatem imperare omnibus aliis virtutibus, omnia præcepta moralia fundata eſſe in præcepto charitatis, ſub charitate comprehendi omnem aliam dilectionem Dei, hinc virtutes Fidei,

Digitized by Google

dei, & Spei in attritione neceſſarias, imperari oportere credunt ab aliqua, incipiente ſaltem, charitate; ideoque ad eorum accedunt opinionem, qui conjunctam cum attritione initialem petunt amorem Charitatis, quod tanto facilius cum virtute & poteſtate clavium, cum Sacramenti efficacia, & doctrina Tridentini conciliari arbitrantur; quanto permanentem, & juſtificantem charitatis habitum, vel gradum in Pœnitente ad Sacramentum accedente iidem non ponunt, neque præconcipiunt; ſed tranſeuntem poſtulant tantummodo actum inchoatæ charitatis, qui juſtificare non valeat ante ſuſceptionem Sacramenti.

102. Itaque opinio hæc, ſuos Catholica in Eccleſia habet patronos & vindices, neutra a ſuſpecto aliquo ſyſtemate procedit, neutra pro Pontificum decreto damnari tamquam erronea a privatis poteſt, vel debet: ſunt imo, qui utramque verbis potius, quam re, & ſubſtantia diſſentire, ſi a dicendi formulis recedatur, arbitrantur. In praxi utique componi eas crediderim; quantuſquiſque enim eſt vere, & ſincere Pœnitens, qui ad Sacramentum accedens, perfectiorem quam poſſit, elicere non ſatagat actum dilectionis Dei, ſique perfectæ charitatis actum non habeat, eam ſaltem habere animo & deſiderio non cupiat? *(a)*

CAPUT X.

An ſtatim atque peccavimus, pœnitere teneamur.

103. TRiplex hac de re legitur opinio. Patres nonnulli abſque ulla modificatione nos teneri de peccatis pœnitere ſtatim atque in illa lapſi ſumus. Alii opinionem iſtam temperantes, ſtatuerunt, tunc oportere dolere de peccatis, dum peccator animadvertit, & recordatur ſe peccaſſe. Communis, quam ſequimur, opinio eſt, peccatorem abſolute, & per ſe loquendo, atque ex vi peccati non teneri pœnitere ſtatim atque peccavit, vel recordatur ſe peccaſſe, adeout id tunc omittendo novum committat peccatum; ſæpe tamen, & per accidens teneri non omnino differre pœnitentiam.

104. Id autem ita oſtenditur. Præceptum pœnitentiæ eſt affirmativum: hoc autem eſt diſcrimen inter præcepta affirmantia, & negativa, ut docent omnes TT., quod negativa obligant ſemper, & pro ſemper; ad affirmativa vero tenemur quidem ſemper, ſed non pro ſemper. Exempli gratia præceptum affirmativum eſt, honorare parentes, negativum vero illos injuria non afficere. Iſtud obligat ſemper & pro ſemper, numquam enim fas eſt injuria afficere parentes; illud vero obligat quidem ſemper, non tamen pro ſemper; quum honorem parentibus tunc ſolum exhibere tenemur, quum ſeſe occaſio præbet. Ita in hoc caſu præceptum affirmativum eſt dolere de peccatis; negativum vero non complacere ſibi in eiſdem. Ad hoc tenemur ſemper, non vero ad illud, ſed ſolum tum, quum id exigitur a nobis. Sic præceptum negativum eſt Deum non offendere, adeoque ad illud ſemper, & pro ſemper adſtringimur; ex oppoſito præceptum affirmativum eſt, elicere actus amoris, Spei, & Charitatis, ad quos omni inſtanti non tenemur, ut docent omnes TT. Ergo a pari &c. Deſumptum hoc argumentum ex Div. Thom. qui alterum addit argumentum ex Sacramento Baptiſmi multo magis neceſſario, quod tamen illico ſuſcipere non tenemur.

105. Confirmatur ex eo quod ad peccatorum confeſſionem non tenemur ſtatim poſt peccatum, ut docet S. Thom. in ſupplemento qu. 6. art. 5. Nam tametſi præceptum confeſſionis ſit de jure divino, determinatio tamen temporis quo præceptum revera obligat, ad Eccleſiam ſpectat, quod pro hodierna diſciplina cenſet huic præcepto ſatis fieri confeſſione ſaltem paſchali; idque non alia ratione, niſi quia præceptum confeſſionis eſt affirmativum; ergo idem dicendum de dolore, quem tenemur elicere de peccatis perpetratis. Tenetur igitur homo ſtatim deponere affectum peccati, nec ſibi in eo complacere, alias maxime peccat; non tenetur autem per ſe, aut ex vi præcepti elicere actum doloris, quamvis ſæpenumero ad id teneatur, non ex vi præcepti pœnitentiæ, ſed ex aliarum virtutum præcepto, aliis ex circumſtantiis.

106. Cujuſmodi circumſtantias TT. paſſim docent: primumque unanimi conſenſione inquiunt teneri hominem pœnitere in articulo mortis, vel præſumpto, vel vero, quia tunc unuſquiſque tenetur, & ratione Charitatis erga ſe, & ratione ſatisfactionis delictorum erga Deum, perfectam agere Pœnitentiam, Deoque reconciliari, quum aliud tempus ad pœnitentiam non ſuperſit. Tenemur

---

(a) Quamnam ipſe conceperit ſententiam animo Anſaldus noſter hic haud profert, totoque hoc capite problematice graviſſimam quæſtionem hanc pertractat. Celeberrimæ ſiquidem Taurinenſis Academiæ hac ſuper re, leges & inſtituta ac clementiſſimi Regis Conſilium ipſemet noverat Auctor; de quibus omnibus F. Nicolaus Auguſtinus Chignoli ejuſdem Academiæ inſignis alter Theologiæ Profeſſor Ord. Prædicat. itidem alumnus, aperte clareque Vol. VII. pag. 133. Num. XVII. agit, ubi etiam Benedicti XIV. ſapientiſſimi Pontificis ex lib. 7. cap. 13. Operis ſui de Synodo Diœceſana ad inſtitutum noſtrum graviſſima verba exſcribit.

Digitized by Google

nemur etiam non ſemel ad conſtitutionem per accidens, ideſt ex præcepto aliarum virtutum. 1. quia peccator differens pœnitentiam uſque ad finem vitæ videtur Deum offenſum negligere. 2. quia peccator titulo charitatis erga ſe tenetur non ſe exponere morali periculo peccandi; atqui diu differendo pœnitentiam, ſeſe exponeret morali peccati periculo; licet determinari non poſſit tempus hujuſmodi periculi, adeoque tempus obligationis, tamen certum eſt hominem gratia ſanctificante privatum, non poſſe diu a novis peccatis abſtinere, ut docent communiter TT. & fuit decretum in Conciliis Arauſicano, & Milevitano; ergo longo tempore pœnitentiam differendo, exponit ſe periculo peccandi. 3. quia actus Fidei, Spei, & Charitatis per ſe obligare non ſolum in articulo mortis, ſed etiam quoties in vita, imo pluſquam ſingulis quinquenniis, adeo certum eſt, ut oppoſitum damnatum fuerit ab Alexandro VII. in illa propoſitione: „ Homo nullo umquam vitæ ſuæ tempore tenetur „ elicere actus Fidei, Spei, & Charitatis ex vi „ præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinen„ tium. Innocentius vero XI. damnavit tres iſtas „ propoſitiones: 1. An peccet mortaliter, qui „ actum dilectionis Dei ſemel tantum eliceret, „ condemnare non audemus. 2. Probabile eſt ne „ ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis, per ſe „ obligare præceptum Charitatis erga Deum. 3. „ Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtifi„ cari, & non habemus aliam viam, qua juſti„ ficari poſſimus. “ Quorum ratio eſt, quia actus Fidei eſt fundamentum vitæ ſpiritualis, actus Spei eſt quo dirigimur in ultimum finem, actus Charitatis eſt quo Deo ultimo fini conjungimur. Quomodo autem Chriſtianus dici poteſt, qui numquam de fundamento, ordinatione, & fine Chriſtianæ vitæ cogitaret? Quanto autem tempore differri in vita poſſint actus Fidei, Spei, & contritionis, ſive attritionis, relinquendum ajunt TT. judicio prudentum directorum juxta diverſas loci, & temporis, & perſonarum circumſtantias; proindeque jure datur fidelibus conſilium, ut in confeſſione de ejuſmodi omiſſionibus conditionate ſeſe accuſent.

107. Per accidens obligat 1. quoties ſunt adminiſtranda, vel recipienda Sacramenta vivorum. 2. urgente gravi tentatione. 3. in caſu publicæ neceſſitatis, & Pœnitentiæ, ut in bello, in longa & periculoſa navigatione, tempore peſtis, aut terræmotus, vel ſi quis timere, & prævidere poſſet periculum amentiæ quemadmodum etiam, ſi ob tenuitatem memoriæ timere poſſet fore ut lethalium criminum, quæ commiſit, obliviſceretur: mulier item gravida, quando inſtat tempus primi partus, vel etiam ulteriorum, ſi periculum pati ſoleat: addi poſſet periculum carendi confeſſario, quem nunc habes non habiturus tempore neceſſario, & juxta aliquos, dum quis opus aliquod heroicum aggreditur, ex quo publica utilitas, & ſalus pendet.

108. Ceterum etſi præceptum contritionis aliquando ſolum obliget ratione præcepti aliarum virtutum, aliquando ſolum ratione circumſtantiarum, adeout per ſeſe, & abſolute loquendo novum non ſit ſemper peccatum non pœnitere ſtatim; ſatis commendari tamen non poteſt ſumma in hoc negotio diligentia, juxta illud Iſaiæ 55. „ quærite Dominum dum inveniri poteſt; dere„ linquat impius viam ſuam, & vir iniquus co„ gitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, „ & miſerebitur ejus “ & juxta Regii Vatis conſilium: *hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*.

109. Obj. 1. Eccli. 5. “ dicitur: non tardes con“ verti ad Deum, & ne differas de die in diem... Apocalypſis autem dicitur Epiſcopis Epheſio, & Pergameno: „ Age Pœnitentiam, ſin autem „ veniam tibi cito, & movebo candelabrum tuum „ de loco ſuo “ ... Ergo non eſt licitum pœnitentiam differre; ſed ſtatim atque homo peccavit, vel peccati recordatur, dolere debet. Siquidem SS. Patres graviter illos arguunt, qui Pœnitentiam differunt. Auguſtinus ſerm. 59. de tempore ſic ait: „ Pœnitentia quæ ab infirmo peti„ tur, infirma eſt, quæ autem a moriente peti„ tur timeo ne & ipſa moriatur. “ Et ſerm. 91. ad fratres in Eremo inquit: „ Satis alienus eſt „ a fide, qui ad agendam Pœnitentiam tempus ſene„ ctutis expectat “. Eucherius denique Lugdunenſis inquit: „ ſtultiſſimum eſt, ut cauſſa, qua de neceſſitatibus agitur æternis, mutabilibus vitæ deficientis committatur extremis. “

110. Reſp. primum Scripturæ locum eos reſpicere, qui indefinito trahant tempore ad Dominum converti. In altero autem dari præceptum Pœnitendi ſtatim, ideſt prohibendi falſam Nicolaitarum doctrinam, quam Epiſcopus Pergamena in Eccleſia ſpargi negligenter permiſerat: proindeque fidei periculum moram non patiebatur, quemadmodum & peccatorem in fidei periculo exiſtentem nos quoque ſtatim pœnitere oportere dicimus.

111. Teſtimoniis autem Patrum reſpondemus, ipſos de peccatoribus loqui, Pœnitentiam uſque ad mortis tempus differentibus, adeoque nobis non adverſari, quorum mens eſt, præceptum pœnitentiæ non obligare quidem per ſe & vi ſua niſi in periculo mortis; per accidens vero obligare maxime, & quidem frequentiſſime durante vita, ob varias tentationes, pericula imminentia, vel propter aliqua præcepta, niſi poſt Sacramentum Pœnitentiæ non adimplenda.

112. Obj. 2. Quod licitum eſt aliquando facere, licitum eſt velle: ſed ſi vera eſt Theſis, licitum aliquando eſt non pœnitere: ergo licitum eſt aliquando eſt velle non pœnitere; ſed hoc eſt abſurdum. Ergo &c.

113. Reſp. Videri in objecto maxime erratum, ponendo quod differre Pœnitentiam ſit aliquid agere; quum talis dilatio potius ſit non agere. Deinde cum Sylvio animadvertendum eſt, quod dum dicitur licitum aliquando eſſe non pœnitere, intelligitur licitum eſſe differre pœnitentiam per modicum temporis, dummodo pœnitendi præceptum non urgeat: non autem intelligitur licitum eſſe eam differre etiam dum aliqua de cauſa urget præceptum. Qui non facit eo tempore, quo faciendum eſt, peccat, & dicitur tardare; qui non facit ſtatim ac poteſt, ſi nullum urget præceptum, differre dicitur, & tunc non peccat.

114. Contra. Si quis de peccato ſuo recordatus dicat intra ſe: nunc nolo pœnitere, illud propoſitum vel bonum eſſe debet, vel malum; actus enim indifferentes in individuo ſchola Divi Thomæ non admittit. Sed bonum non eſt, quia non habet motivum honeſtum. Ergo.

115. Reſp. propoſitum ejuſmodi pro diverſa temporis, loci, & perſonarum circumſtantia, vel malum eſſe poſſe, vel bonum. Si quoquomodo urgeat præceptum, certe propoſitum eſt malum, ſi vero præceptum nullum urgeat, qui dicit, nunc nolo pœnitere, intra ſe cogitans tamen de Pœnitentia opportuno tempore peragenda, tunc tale propoſitum aliquando videtur eſſe bonum. Sed ſic eſſe etiam malum, dum nullum urget præceptum, eo in caſu eſt veniale tantummodo peccatum. Nos autem hic quærimus, an ſemper novum lethale peccatum committat ille, quem non pœnitet ſtatim, idque abſolute loquendo, & ſepoſitis præceptis aliarum virtutum, & quibuſdam circumſtantiis tantummodo negamus.

116. Contra eſt, quando aliquis peccati commiſſi, quod non fuerit deteſtatus, recordatur; vix fieri poteſt, ut negative ſe habeat, ideſt nec placeat ei, nec diſpliceat peccatum ſuum. Si igitur non diſpliceat, ergo placet; ſed complacere ſibi de peccato commiſſo novum eſt peccatum; ergo &c.

117. Reſp. talem eſſe intrinſecam peccati turpitudinem, ut nemo prope hominum ſit, qui de peccato ſuo recordetur, & non triſtetur veluti, & erubeſcat: quia tamen id non ſemper facit ob finem ſupernaturalem, ob Deum videlicet offenſum, ob amiſſam beatitudinem, ob gehennæ metum, ideoque tunc etiam dum de peccato ſuo triſtatur, & erubeſcit, dicitur non pœnitere, quia non dolet, & pœnitet, ut oportet. Unum eſt genus peccatorum majoris profecto quam cetera turpitudinis, illud videlicet, quod eſt contra ſextum Decalogi præceptum, de quo periculum eſt, ne recordando complaceamus. Si quis præconcipiatur tamen ita affectus, ut dum peccati ſui recordatur, de eo ſibi complacere ſoleat, tunc reſpectu peccatoris ejuſmodi per accidens obligat præceptum pœnitentiæ. Ideoque tenetur tunc ſtatim pœnitere, ut docet D. Th. in ſupplemento.

118. Obj. ultimo. D. Thom. 22. quæſt. 62. art. 8. „ Manifeſtum eſt, quod nec per modicum „ quidem tempus licet in peccato morari, ſed „ quilibet tenetur ſtatim peccatum deſerere: “ ergo &c.

119. Reſp. aliqui, D. Thomam loqui de affectu ad peccatum, quem nec per modicum quidem tempus licet retinere. Alii melius dicunt, loqui D. Thomam retentionis rei alienæ, invito Domino, quod quum ſit præceptum negativum obligat ſemper, & pro ſemper. Nec inde tamen ſequitur peccare eum, quem ſtatim non pœnitet, ex eo quod injuſte detinet gloriam Deo debitam. Aliter enim læditur homo per injuſtam retentionem rei ſuæ, aliter offenditur Deus per peccatum. Ille quippe patitur damnum in propriis, Deus vero non privatur re ſibi utili. „ Quid enim, inquit Jobus capite XXII., pro„ deſt Deo ſi juſtus fuerit?“ & pœnitentia ordinatur in bonum noſtrum, quam tamen ſtatim, ac poteſt homo elicere debet, ne diutius protrahendo, clementia Dei in ſuum damnum abutatur.

CAPUT XI.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

120. Conſtat materiam Sacramenti hujus eſſe contritionem ſive perfectam, ſive imperfectam, confeſſionem & ſatisfactionem. Quare quum hucuſque de prioribus egerimus, ad poſteriorem accedendum foret; quum tamen pro hodierna Eccleſiæ diſciplina confeſſis abſolutio ante ſatisfactionem concedatur, hinc de abſolutione agendum prius duximus, quam quum ſoli impertiantur Epiſcopi, & Sacerdotes, in quæſtionem proinde revocatur an ipſi ſoli ſint Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtri. Affirmative vero reſpondetur contra Valdenſes, & Wiclephitas, qui a bonis laicis potius, quam a malis Sacerdotibus obtineri poſſe peccatorum abſolutionem contendebant; imo & contra Lutherum olim affirmantem, ſpectato jure Divino, fidelem quemlibet poſſe credentes abſolvere, quamvis apud Lutheranos laici revera non abſolvant, ſed ipſorum ſoli miniſtri, tamquam ab Eccleſia deputati, quibus poteſtatem, & auctoritatem miniſtri a communitate concreditam ſtatuunt, & docent.

121. Oſtenditur vero Catholica veritas hoc pacto. Chriſtus non omnibus credentibus, ſed Apoſtolis tantum dixit: *Accipite Spiritum Sanctum &c.* atqui ſoli Epiſcopi, & Sacerdotes miniſterio Apoſtolorum ſucceſſerunt: itaque ſoli Epiſcopi, & Sacerdotes ſunt legitimi Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtri.

122. Accedit Patrum auctoritas. Siquidem D. Cyprian. in lib. de lapſis docet remiſſionem fieri per Sacerdotes, quod idem repetit in ſuis

Epiſto-

Digitized by Google

Epiſtolis D. Baſilius in regulis brevioribus ait: peccata Sacerdotibus eſſe aperienda, quoniam ipſis eſt credita diſpenſatio divinorum myſteriorum. D. Ambr. libro de pœnitentia cap. 2. de poteſtate diſſerens abſolvendi a peccatis, inquit: *jus hoc ſolis permiſſum eſt Sacerdotibus*. S. Auguſt. ſermone 351. inquit: ut ſolvantur peccata veniendum ad Antiſtites per quos in Eccleſia claves miniſtrantur. S. Joan. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio cap. 5. demonſtrat Sacerdotii a Chriſto inſtituti præſtantiam, ex eo quod Sacerdotibus tantum novæ legis dictum ſit: *quæcumque ſolveritis &c.* ideoque Sacerdotes ipſi, non lepram corporis, ſed immunditiam animæ purgandi acceperint poteſtatem. Innocentius I. in Epiſtola ad Decentium ſcripſit: „ Ceterum de pondere extimando delictorum, Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & tunc jubeat dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem. " His autem ſi addimus Eccleſiarum omnium Euchologia, & Ritualia, quæ quoties reconciliationis peccatorum præſcribunt formam, nemini quam Epiſcopo, & Sacerdoti miniſterium illud adſcribunt, conſequi oportet, eos ſolos eſſe legittimos Sacramenti Pœnitentiæ miniſtros.

123. Obj. 1. D. Jacobus in ſua canonica Epiſtola cap. 5. ait: *confitemini alterutrum peccata veſtra*; cum ergo indefinite loquatur Jacobus, neceſſe non eſt ſolis Sacerdotibus confiteri.

124. Reſp. allegata verba iſtis immediate conjuncta eſſe: „ infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & ſi eſt in peccatis, remittentur ei "; ex illis igitur verbis eruitur confeſſio non cuicumque, ſed Sacerdotibus ſolis facienda. „ Confitemini alterutrum, inquit Hugo a S. Victore, hoc eſt homines hominibus, oves paſtoribus, ſubjecti prælatis, laici Sacerdotibus, ii qui peccata habent iis qui habent dimittendi poteſtatem. " Itaque Jacobi verba non ſunt ſumenda per integram reciprocationem, ſed per diminutam; quemadmodum 1. Petri IV. hoſpitales invicem, ad Rom. XV. ſuſcipite invicem, ſcilicet firmi infirmos; ad Epheſ. V. ſubjecti invicem, videlicet uxores viris, filii parentibus, ſervi dominis: non enim vult Apoſtolus viros etiam ſubjectos uxoribus, parentes filiis, dominos ſervis. Ita porro interpretes omnes qui Jacobi verba ſacramentali de confeſſione intelligi poſſe arbitrantur. Quod ſi cum aliis dicamus Jacobum allegato in loco loquutum eſſe de injuriis condonandis invicem, utque omnes fateamur peccata noſtra, eaque non diſſimulemus, non excuſemus, neque occultemus, ut nempe pro nobis invicem apud Deum oremus, tunc ejus verba non ſunt ad ſacramentalem confeſſionem referenda.

125. Obj. 2. Inter opera Damaſceni habetur Epiſtola de confeſſione, in qua reſpondetur ad quæſtionem; quonam jure Monachi qui non eſſent Sacerdotes, confeſſiones fidelium exciperent, eoſque pronunciata abſolutione conciliarent; illius autem Eccleſiæ moris nonnullas affert cauſas Epiſtolæ illius auctor, & inter cetera ait: populos ob frequentia ſchiſmata, & hæreſes, quas Epiſcopi, Presbyterique ſui identidem amplectebantur, nec non propter ipſorum imperitiam, & inordinatos mores propter quos omni Eccleſiaſtico gradu, & auctoritate privandi, ſecundum Canones fuiſſent, his neglectis, ſæculares Monachos ſatius duxiſſe convenire, a quibus, ut ſpiritualioribus vitæ mundandæ rationem, & documenta addiſcerent: quin & in fine Epiſtolæ mentionem facit magiſtri quondam ſui, quem licet Sacerdos non eſſet, propter eximias tamen virtutes, & animi dotes vere habuiſſe ait poteſtatem ligandi & ſolvendi.

126. Reſp. Epiſtolam laudatam non eſſe D. Joannis Damaſceni, ut in admonitione prævia ad eamdem egregie evincit Lequienius Damaſceni Editor, hac ipſa de cauſa, quod S. ille Pater in libro de hæreſibus inter Meſſalianorum errores hunc refert, quod cum Aſceticam ipſi oſtentarent vitam, eos qui variis criminibus obnoxii ad ſe accederent, nulla Sacerdotali auctoritate muniti, omni peccati a ſe mundatos pollicerentur. Quare auctorem illius Epiſtolæ nec Syrum fuiſſe, nec Palæſtinum infert Lequienius, ſed alterius Regionis, quæ Patriarchæ Byzantino ſubeſſet, eadem æque de cauſa, quod nullo conſtare poſſit monumento, Orientales Chriſtianos perturbationem hanc ordinis Eccleſiaſtici toleraſſe, tum Catholicos, tum Neſtorianos, & Jacobitas. Quaſi apud aliquos Aſiaticos abuſus iſte aliquando invaluerit, non inde colligendum eſt jus Monachis non Sacerdotibus fuiſſe audiendæ confeſſionis conceſſum, tum quod abuſum hujuſmodi tot Canones illorum temporum reprehendunt, ut legere eſt in allegata admonitione prævia ad Epiſtolam de qua agimus, tum præſertim quod ipſe Epiſtolæ illius auctor peccata remittere ſolos poſſe Sacerdotes profiteatur in eadem Epiſt.

CAPUT XII.

An poteſtas abſolvendi data fuerit immediate toti Eccleſiæ, an potius Epiſcopis ſolis, & Presbyteris.

EDmundus Richerius, in libro de Eccleſiaſtica & politica poteſtate, quem ſecuti ſunt Queſnellius, & Queſnellianorum Exaplorum conditores, in ea fuere opinione, ut docuerint, poteſtatem clavium prius, immediatius, eſſentialius toti Eccleſiæ fuiſſe a Deo datam. Epiſcopis vero, & Sacerdotibus inſtrumentaliter tantum, miniſterialiter, & quod ſpectat ad executionem; in eo a proteſtantibus diverſi, quod iſti de Eccleſiis cogitent tamquam de Collegiis, & Soda-

litatibus libere coactis, & radicalem abſolvendi poteſtatem ad laicos etiam extendant, quum ex oppoſito Queſnelliani animum extendant in Catholicam Eccleſiam, & in Epiſcopos modo, & Presbyteros ſtatuant poteſtatem clavium ab Eccleſia derivatam.

128. Nos contra Richerium, Queſnellum, & eorum aſſeclas ita diſputamus. Chriſtus non toti Eccleſiæ, ſed Apoſtolis ſolum dixit: *Accipite Spiritum Sanctum &c.* Itaque ipſis immediate, & eorum ſucceſſoribus dedit poteſtatem abſolvendi, non vero mediante cœtu fidelium, & tota Eccleſia. Apoſtolus Actorum 2. non toti Eccleſiæ, ſed Presbyteris Epheſi dixit: „ Attendite vobis „ & univerſo gregi, in quo vos Spiritus San„ ctus poſuit regere Eccleſiam Dei “. Itaque Apoſtolis immediante dedit Spiritus Sanctus poteſtatem regendi Eccleſiam, ideoque adminiſtrandi claves poteſtatem ipſi ab Eccleſia non accipiunt. Div. Cypr. in Epiſtola ad Antoninum ſcribit: „ Chriſtus poſt reſurrectionem ad Apoſtolos lo„ quitur dicens: *Accipite Spiritum Sanctum*, „ quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, „ unde intelligimus nonniſi in Eccleſia præpoſi„ tis, ex Dominica ordinatione fundatis licere ba„ ptizare, & remiſſam peccatorum dare, nec „ poſſe quemquam extra Epiſcopos & ſacerdotes „ uſurpare ſibi aliquid quod non ſit ſui juris, „ & poteſtatis. “ Si a Chriſto id jus conceſſum eſt Epiſcopis & Sacerdotibus, itaque id non habent ab Eccleſiæ poteſtate. D. Ambroſ. facultatem peccata dimittendi expendens lib. 1. de pœnitentia cap. 2. ſcribit: „ Hoc jus ſibi vindicat „ Eccleſia, quæ veros ſacerdotes habet, hæreſis „ vindicare non poteſt, quæ ſacerdotes Dei non „ habet. “ Hæc verba mihi videntur peremptoria contra Queſnellianos. Quippe ſi ideo abſolvendi jus in Eccleſia eſt, quia ipſa veros habet ſacerdotes; igitur non ex Eccleſia in ſacerdotes deſcendit ejuſmodi poteſtas, ſed ex Deo in ſacerdotes derivata eſt ob utilitatem, & beneficium Eccleſiæ. „ Denique S. Leo M. Epiſt. 82. „ ait: Chriſtus hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit „ poteſtatem, ut & confitentibus Pœnitentiæ actio„ nem darent, & eoſdem ſalubri confeſſione pur„ gatos ad communionem Sacramentorum per ja„ nuam reconciliationis admitterent. “ Si præpoſitis Eccleſiæ poteſtatem tradidit Chriſtus; itaque eam non toti Eccleſiæ, ideoque eam a tota Eccleſia non accipiunt Epiſcopi, & ſacerdotes: nomen ſiquidem Eccleſiæ aliquando quidem univerſam denotat fidelium ſocietatem, ſed aliquando etiam ſolos Præſides, & Sacerdotes, ut legere eſt apud Svicerum quamvis heterodoxum in Lexico. Diſtinguenda propterea Eccleſia docens, regens, abſolvens, ab Eccleſia edocta, directa, abſoluta. Si verba Chriſti apud Matth. 18. Dic Eccleſiæ, quæ forum tantummodo externum reſpiciunt, interprete Chryſoſt. Hom. 60. in Matth. & Theophilacto in iſtum locum, denotat ſolos Præſides Eccleſiæ, quanto magis ad ſolos Eccleſiæ Paſtores pertinebit abſolutio in foro interiori pendens a ſacro charactere, qui ſolis datur Epiſcopis, & Sacerdotibus? Iſti igitur, etiamſi reſpectu Chriſti poteſtatem abſolvendi miniſterialiter, & inſtrumentaliter exerceant, non reſpectu tamen totius Eccleſiæ quæ prius, immediatius, eſſentialius talem habuerit a Chriſto poteſtatem.

129. Obj. 1. Tertullianus capite Scorpiaci I. ait: „ Si adhuc clauſum putas Cælum, memen„ to claves ejus hic Dominum Petro, & per „ eum Eccleſiæ reliquiſſe, quas hic unuſquiſ„ que interrogatus, & confeſſus fert ſecum. “ Div. Auguſtinus Epiſtola ad Generoſum ſcribit: „ Petro totius Eccleſiæ figuram geſtanti Domi„ nus ait: quodcumque ligaverit &c. “ D. Fulgentius libro de Fide ad Petrum cap. 3. ait: „ Pœnitentia peccatori tunc prodeſt, ſi eam in „ Eccleſia Catholica gerat, cui Deus in perſona „ Beati Petri, ligandi, ſolvendique tribuit po„ teſtatem. “ Ergo &c.

Reſp. recte dici a Tertulliano claves a Domino per Petrum Eccleſiæ conceſſas, quia intelligitur per Petrum non tamquam legatum, ſed tamquam ſub Chriſto Eccleſiæ Paſtorem, & moderatorem; quum vero, quod in Principe communitatis eſt, quia in communitatis gratiam id ipſi tribuitur, communitati quoque illud idem conceſſum dici poſſit, propterea poteſtas Clavium Petro & Apoſtolis data jure dici potuit ipſi Eccleſiæ conceſſa, quia Petro, & Apoſtolis conceſſa ob Eccleſiæ utilitatem; quod addit Tertullianus, quas claves unuſquiſque interrogatus, & confeſſus fert ſecum, ſignificat, unumquemque martyrio ita poſſe ſua delere peccata, ſicut ſi poteſtate clavium abſolveretur, quod veriſſimum profecto eſt; neque vero unumquemque fidelium, laicos ſcilicet, & fœminas poteſtatem habere abſolvendi, ipſi cogitant aut ferre poſſunt Queſnelliani.

130. Ad Auguſtini locum dicimus, Petrum dum accepit ligandi, & ſolvendi poteſtatem geſſiſſe figuram Eccleſiæ non caſu quodam, aut quia Eccleſiæ delegatus eſſet, ſed quia caput Eccleſiæ futurus erat, & ſingulari modo eam exhibebat. „ Ita enim Auguſtinus ipſe in Pſalm. 104. „ quædam dicuntur, quæ ad Apoſtolum Petrum „ proprie pertinere videntur, nec tamen habent „ illuſtrem intellectum, niſi cum referuntur ad „ Eccleſiam, cujus ille agnoſcitur in figura ge„ ſtaſſe perſonam propter primatum, quem in „ diſcipulis habuit; ſicut eſt: tibi dabo claves „ Regni Cælorum. “ Et Tract. 124. in Joannem „ ita iterum S. Pater: Eccleſiæ Petrus Apoſtolus, „ propter Apoſtolatus ſui Principatum gerebat fi„ gurata generalitate perſonarum; quod enim ad „ ipſum proprie pertinet, natura unus homo „ erat, gratia unus Chriſtianus, abundantiore gra„ tia unus idemque primus Apoſtolus. “ Petrum igitur figuram geſſiſſe Eccleſiæ nihil aliud eſt,

eſt, juxta Auguſtinum, quam caput fuiſſe Eccleſiæ, atque in ea ædificatam fuiſſe Eccleſiam ipſam. Nam ſi Petrum in figura tantum expreſſiſſe Eccleſiam, eique Eccleſiæ nomine dictum fuiſſe a Chriſto: ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, putaſſet Auguſtinus, lapſus profecto pueriliter fuiſſet, propterea quod exiſtimaſſet ſuper Eccleſiam fundatam fuiſſe Eccleſiam, qua re nihil dici poteſt abſurdius. Ideo igitur ea quæ dicta Petro ſunt, illuſtrem habent ſignificationem, dum ad Eccleſiam referuntur, quia Petro dicta non fuerunt tamquam alicui Chriſtianorum, ſed tamquam ſummo Eccleſiæ Capiti, & Paſtori, quemadmodum ea, quæ de Rege dicuntur, illuſtriorem habent ſignificationem, ſi referantur ad Regnum, quia quidquid Rex poſſidet ſplendoris, & majeſtatis, id in Regni decus & commodum vergit; imo non alia ratione Rex nomine populi gladium ferre dicitur, niſi quia quidquid habet poteſtatis, & virtutis, hoc totum ad Reip. utilitatem, & defenſionem debet convertere, & referre.

131. Eadem fuit Div. Fulgentii mens: nam quod ſtatuit, Beato Petro, hoc eſt Eccleſiæ fuiſſe ligandi, ſolvendique poteſtatem datam, non eo ſtatuit, quo omnibus Eccleſiæ membris id juris tributum, univerſamque proinde Eccleſiam hac tanta auctoritate præditam eſſe arbitretur; ſed quod ſciret ligandi, & ſolvendi vim & facultatem Petro, & Apoſtolis a Chriſto datam, divina inſtitutione, atque voluntate in ceteros Chriſtianorum Præſides manaſſe, dicique propterea poſſe, Eccleſiam habere, ſive eſſe in Eccleſia poteſtatem illam, quod præſides ipſi ſacrorum, quibus eadem ineſt, potiorem Eccleſiæ partem conſtituant. Quare ſi libro 2. cap. 2. de peccatorum remiſſione ſcripſit eam fuiſſe Beato Petro; hoc eſt Eccleſiæ poteſtatem tributam; id certe Epiſtola 2. ad Gallam ita explicavit, ut ſe de poteſtate quæ in Eccleſia ſit, non quæ ab univerſis Eccleſiæ membris obtinetur locutum fuiſſe oſtenderet. Nam ſi regno publicæque rei jus eſſe dicimus, quod uni in abſoluta Monarchia Regi, in Ariſtocratia vero ſolis primatibus competit, quid eſt, quod Eccleſiæ Fulgentius illud tributum dicere nequiret, quod Petro, & Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus tributum novit, & credidit.

132. Obj. 2. D. Gregorius lib. 6. Commentariorum in hiſtoriam Regum ſcripſit. „ quod antiquis numquam dicitur, modo univerſali Ec„ cleſiæ dicitur: quodcumque ligaveris &c. “ Div. Thom. 3. part. quæſt. lib. 4. art. 8. inquit: „ Miniſter Sacramenti agit in perſona totius Ec„ cleſiæ cujus eſt miniſter: in verbis autem, quæ „ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſuf„ ficit ad perfectionem Sacramenti. “ Ergo poteſtatem ligandi, & ſolvendi in miniſtros ſuos, ſcilicet in Epiſcopos, & Sacerdotes transfert Eccleſia.

133. Reſp. Libros Commentariorum in hiſtoriam Regum Gregorio auctore ſcriptos, & publicatos fuiſſe negare ſummo jure nos poſſe, cum idem ipſe S. Pater, injuſſu ſuo conſcriptos fuiſſe proteſtetur in Epiſtola ad Joannem Subdiaconum ſcribens: quæ commentaria, cum mihi Claudius legiſſet, inveni dictorum meorum ſenſum valde inutilius fuiſſe permutatum; juſſit quidem Gregorius, ut ad ſe il libri transmitterentur, ut, ſi publicandi eſſent, emendatius publicarentur; ſed id ne præſtiterit nuſquam indicat: immo vero quum eſſe quædam in his commentariis liqueat, quæ cum Gregorii doctrina nullo modo componi poſſe videntur, ut oſtendunt poſtremi Editores Operum S. Patris Tom. 3. part. 2. magno id quidem argumento eſſe debet, ut ab eo Pontifice multis curis, adverſaque valetudine impedito, emendatos numquam fuiſſe arbitremur. Sed fac a Gregorio ſcripta fuiſſe, quæ objiciuntur, ex contextu rectam ſuſcipiunt interpretationem cum aliorum Patrum dictis & mente concordem.

134. Denique, quod ſpectat ad phraſim Divi Thomæ, apud ceteros etiam Theologos frequentem, reſpondemus eam nihil aliud denotare, quam Miniſtrum Sacramenti agere loco Chriſti Sacramentorum Eccleſiæ inſtitutoris, & in verbis, quæ profert miniſter, exprimere intentionem Chriſti, & repræſentare ritum, & intentionem Chriſti, & miniſterii in Eccleſia univerſa inſtituti, quæ quidem Sacramenti operatio, & expreſſio facta ab illo qui ob characterem eſt miniſter Chriſti in Eccleſia, ſatis ſit ad perfectionem ſacramenti. Quotieſcumque revera apud Orthodoxos ſermo eſt de ordinibus Hierarchicis, miniſter Eccleſiæ nihil aliud vere & proprie eſt, quam miniſter Chriſti in Eccleſia, quippe vices agit Chriſti in Eccleſia, Et quamvis miniſtri Chriſti inferiores, nempe Presbyteri poteſtatem clavium immediate per ſacram ordinationem a Chriſto acceptam exercere nec debeant, nec poſſint, niſi dependenter a ſuperioribus Chriſti miniſtris, videlicet Epiſcopis, quia ſic Dominus inſtituit, omniaque ſint oportet in Eccleſia Dei ordinata, ut magis oſtendemus agentes de diſcrimine inter poteſtatem ordinis, & juriſdictionis: ex hoc tamen nequaquam ſequitur, quod contendunt adverſarii, nam niſi quis nobis imaginariam, inviſibilem, & methaphyſicam Eccleſiam obtrudat, non invenimus in tota Eccleſia niſi oves, & paſtores. Ovibus nulla fuit data abſolvendi poteſtas, remanet igitur quod data ſit immediate ſolis paſtoribus, proindeque falſum eſſe talem poteſtatem prius, immediatius, & ſpecialius fuiſſe toti Eccleſiæ conceſſam.

CA-

CAPUT XIII.

An Diaconi aliquando Sacramentaliter abſolverint.

135. ANſam huic quæſtioni dedit S. Cyprianus, qui in Epiſtola 18. quum ob perſecutionem abſens eſſet ab Eccleſia, ad Presbyteros ſuos ſcripſit, ſtatuens, ut ſi qui lapſorum in extremo periculo conſtituti eſſent, poſſent a Presbytero quocumque, vel ſi Presbyter inventus non fuerit, a Diacono, ad exomologeſim admitti, ut eis manu a Presbytero, vel Diacono in Pœnitentiam impoſita, ire poſſent ad Dominum cum pace.

136. Albaſpinæus Aurelianenſis Epiſcopus lib. obſervationum Eccleſiaſticarum 2. num. 29. ut id cum Orthodoxo dogmate conciliaret exiſtimavit lapſos ejuſmodi a quopiam Martyre jam fuiſſe abſolutos, idque colligi ex Cypriani verbis poſſe, quia in Affricana Eccleſia invaluerat, ut veniam lapſis indulgere poſſent, præſertim quum plerique, qui in fodinis, & triremibus detinebantur, eſſent *Sacerdotes*, & Presbyteri. Hos itaque jam a Martyribus abſolutos non indiguiſſe ulla manus impoſitione, ut a peccatis abſolverentur; fuiſſe tamen Presbyteris, & Diaconis manus impoſitionem injunctam, ut cæremonia Eccleſiaſtica ſatisfacerent, non in remiſſionem peccatorum.

137. Hanc tamen interpretationem plane abhorrere ab ipſis Cypriani verbis arbitramur: neque enim præconcipit ipſe, lapſos a quopiam Martyre fuiſſe abſolutos, ſed a Martyribus tantum interceſſiones accepiſſe: Imo quum quidam Confeſſores, ac Martyres, ſua qua pollebant auctoritate abutentes, dare lapſis cenſerentur abſolutionem, id vehementer improbatum eſt a Cypriano, ut patet ex ejus Epiſtola 21. Non igitur credendum eſt S. Patrem præconcepiſſe id, quod adeo improbat, ſique illud præconceptum habuiſſet, non erat cur lapſos Exomologeſim facere delicti ſui præſcriberet, multoque minus cur Presbyteros, aut Diaconos ipſis manus in pœnitentiam imponere juberet.

138. Aliter hunc ſatagit, ut ſolvat nodum Emanuel Schelestratius Diſſertatione 2. de Eccleſia Affricana, præconcipiens, Cyprianum cum tota Eccleſia Affricana credidiſſe remiſſionem lapſis ſoli Deo reſervatam per merita Martyrum a Divina pietate impetrari potuiſſe: quumque in hujus rei ſignum lapſorum aliquis libellum pacis afferebat, non abſolviſſe cum Eccleſia, ſed eum tamquam a Deo abſolutum ad communionem Eccleſiæ ab Epiſcopo admiſſum manu impoſita, idque in defectu Presbyteri Diaconos quoſque facere potuiſſe.

139. At enim vero hypotheſim hanc nemo admiſerit, præterquamquod enim nullo nititur fundamento, accedit, juſtos quidem, Sanctos, & Martyres, imo etiam cælites, impetrationis via haberi poſſe media ad reconciliandos peccatores; quum Chriſtus tamen via judicii, & ſacramenti conſtituerit hos ad poteſtatem clavium confugere miniſtris ſuis traditam, cur exiſtimabimus ſolis Martyrum meritis veniam lapſis abſque ullo poteſtatis clavium uſu fuiſſe conceſſam? Rurſus cur ſi Martyres ſuis tantum precibus impetrare lapſis veniam peccatorum potuiſſent, eos adhuc Epiſcoporum miſericordiæ commendaſſent. Cur Cyprianus vota, & deſideria Martyrum veluti minus benigna aliquando repuliſſet, ut ex Epiſtolis ejus conſtat? Orare igitur Epiſcopos pro peccatoribus Martyres poterant, imo & ſolebant, ſed veniam illis ſacramentalem dare nullo modo poterant.

140. Morinus, Rigaltius, Dupinus, aliique plurimi hanc difficultatem enodare ſtuduerunt; arbitrati Diaconos caruiſſe quidem ſemper poteſtate clavium, attamen olim ex conceſſione Epiſcoporum, earum uſum, & exercitium in caſu neceſſitatis habuiſſe, quod quidem oſtendunt, 1. quia Cypriani verba, niſi violenter ea interpreteris, eum ſenſum exhibent. 2. quia pro veteri Eccleſiæ more nonnullæ plebes, ſive parvæ Eccleſiæ Diaconis committebantur gubernandæ, ut ex ipſo Cypriano patet, Concilio Illiberitano, Gregorio Magno, aliiſque, unde Diaconiæ ortæ ſunt; proindeque tales Diaconi, ex Epiſcoporum commiſſione, & indulgentia clavium, ſaltem in caſu neceſſitatis exercitium habere debuerunt. 3. quia non ſolus Cyprianus, ſed aliæ ſynodi, & quidem multæ idem ſtatuiſſe intelliguntur, videlicet aliqui Canones Londinenſes, Turonenſes, Eboracenſes, Rothomagenſes, aliique paſſim a Scriptoribus citati. Quumque ſecutis temporibus alia decreta lata fuerint, quibus Diaconis interdictum eſt, ne deinceps Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrarent, certum indicium videtur eſſe eos antea in neceſſitatis caſu id præſtitiſſe, & quemadmodum Epiſcopi omnem uſum, & omne clavium exercitium Diaconis tandem prohibuerunt, ita hoc illis aliquando in caſu neceſſitatis permiſiſſe credendum eſt, quod innuere videtur canon 32. Illiberitanus, qui ſtatuit id poſſe Diaconum facere, *ſi ei juſſerit Sacerdos*. Videtur igitur tunc Diaconos non fuiſſe niſi interpretes Epiſcoporum abſolutionem concedentes pœnitentibus, veluti ab Epiſcopis ipſis & Presbyteris per eorum canalem traditam & conceſſam: quemadmodum enim valebat juxta præſtantiſſimorum opinionem Theologorum confeſſio, & abſolutio per Epiſtolam, vel internuncium facta, & data, antequam a Sancta Sede prohiberetur, ita validam fuiſſe ajunt TT. ejuſmodi abſolutionem datam a Diaconis in neceſſitatis caſu, veluti ab Epiſcopis ipſis, & Sacerdotibus per Diaconorum medium in Pœnitentes derivatam.

141. Hæc tamen explicatio non prorſus nobis arridet. Nam primum ſi de Cypriano loquimur,

certam

certum eſt hunc S. Patrem in Epiſtola ad Rogatianum de Diaconis ſcripſiſſe: „ meminiſſe autem Diaconi debent, quoniam Dominus Apoſtolos, ideſt Epiſcopos, & Presbyteros elegit, „ Diaconos autem poſt Aſcenſionem Domini in „ Cælum Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus „ ſui, & Eccleſiæ miniſtros. “ Si non Chriſti ſed ſolius Eccleſiæ, & Epiſcoporum miniſtros eſſe Diaconos Cyprianus putabat, & aliunde ſexcentis in locis poteſtatem clavium ſolis Epiſcopis, & Presbyteris datam prædicavit ſic S. Pater: itaque numquam credere potuit, eos miniſterialiter etiam, & inſtrumentaliter potuiſſe talem exercere poteſtatem.

142. Ad hæc Morinus ipſe, qui præceteris allegatam illuſtravit explicationem, quam tamen in recenſſione ejuſdem ſui operis de adminiſtratione Sacramenti, Pœnitentiæ deferendam ducit, Morinus, inquam non ſolum candide fatetur ſe nihil tale unquam legere, aut factum reperire potuiſſe apud Græcos, verum etiam eas ſynodus, illoſque ſcriptores, qui permittebant Diaconis in caſu neceſſitatis reconciliationem pœnitentium, aperte proteſtatos tamen eſſe, Diaconos clavium poteſtatem omnino non habere: Si hanc poteſtatem a Chriſto non habuerunt, Eccleſia non poterat eis uſum, & exercitium Diaconis permittere, quum pro effato Theologorum, ea quæ ſunt ordinis hierarchici, non poſſint committi niſi ei qui habet ordinem ideſt characterem, atque poteſtatem, ad differentiam eorum, quæ ſolius ſunt juriſdictionis, cujus partem & exercitium poteſt Eccleſia cui vult permittere, quippe quod juriſdictio verſetur etiam circa diſciplinam, quæ ex Eccleſia diſpoſitione pendet, atque voluntate.

143. Seligenda eſt eorum igitur interpretatio, qui docent Diaconos, in allegatis caſibus, vel exteriorem tantum contuliſſe Pœnitentibus reconciliationem, & reſpectu Eccleſiæ, quæ licet per ſe Sacramentum ſit vivorum, poteſt per accidens tamen primam gratiam conferre, iis videlicet, qui perfecte contriti, in ſacerdotis inopia, votum habent tamen, & deſiderium Sacramenti Pœnitentiæ, & abſolutionis. Ejuſmodi certe erant lapſi, de quibus agit Cyprianus, utpote per ipſas Martyrum preces inchoata pœnitentia tale votum; ac tale deſiderium ſe habere oſtendiſſent; quare nihil erat reliquum, niſi ut, in ſacerdotis inopia, a Diaconis exteriori in foro abſolverentur, quo intelligerent fideles, in pace, & communione Eccleſiæ, objiſſe & proillis preces ad Dominum fundi poſſe, & quibus patet, Diaconus numquam veram habuiſſe peccata interiori in foro dimittendi poteſtatem.

CAPUT XIV.

De Confeſſione facta Laico.

144. NON defuerunt qui ita diſputarent: Quamvis ordinarius Sacramenti Baptiſmi miniſter ſit ſolus ſacerdos, attamen in neceſſitatis caſu poteſt etiam Laicus baptizare: itaque etſi ordinarius abſolutionis miniſter ſit ſacerdos, quare in caſu neceſſitatis non poterit laicus abſolvere? Et ſane Martinus V. in ſua bulla ita ſtatuit: *Confitendum ſoli Sacerdoti, & non laico*, ſi ſit *copia Sacerdotis*. Multique veteres Theologi docuere, poſſe pœnitentes, laicis in caſu neceſſitatis confiteri. Eos inter ſunt, Magiſter ſentent. Petrus Cantor, Albertus Magnus, Alexander Alenſis, Sanct. Bonaventura, & S. Thomas, qui in 4. ſent. diſt. 17. qu. 3. art. 4. docet in extrema neceſſitate utilius eſſe confiteri laico præſenti, quam ſacerdoti abſenti: aliquæ etiam ſynodi id videntur præcepiſſe ut legere eſt libro 7. Capite 17. de ſynodo Diœceſana Benedicti XIV. Itaque laicus in caſu neceſſitatis eſſe poterit miniſter Confeſſionis; cujus in confirmationem rei exempla adduci poſſunt infinita, illorum, qui in vitæ exitu, quum ſacerdotis copiam non haberent, confeſſi ſunt laico peccata ſua, qua de re a graviſſimis celebrati ſunt viris.

145. Reſp. ad primum tamen; diverſam eſſe Sacramentorum Baptiſmi, & Pœnitentiæ rationem. Nam ut ait D. Thom. in ſuppl. quæſt. 8. art. 1. Baptiſmus eſt magis Sacramentum neceſſitatis, quam Pœnitentia, quantum ad Confeſſionem & abſolutionem, quia quandoque Baptiſmus prætermitti non poteſt ſine periculo ſalutis æternæ, ut patet in pueris qui non habent uſum rationis; ſed non eſt ita de confeſſione, & abſolutione, quæ tantum ad adultos pertinent, in quibus contritio cum propoſito confitendi, & deſiderio abſolutionis ſufficit ad liberandum a morte æterna. Hæc D. Thomas. Loquendo autem de miniſtro Sacramentorum non eſt conſideranda ſolum Sacramenti neceſſitas; ſed magis voluntas illius qui Sacramentum inſtituit, qui pro divina poteſtate ſua, & voluntate poteſtatem cui voluit fecit ea adminiſtrandi.

146. Ejuſmodi porro inſtitutoris Sacramentorum voluntas, niſi ex Eccleſiæ Traditione, & conſuetudine dignoſci non poteſt, cujus veritatis exemplum ex ratione agendi habemus SS. Patrum, qui Baptiſmum Hæreticorum in forma Eccleſiæ vindicarunt. Agebatur ſiquidem, an hæreticus poſſet valide Baptiſmum in forma Eccleſiæ conferre. Cenſes ne id Patres comparationibus & analogiis inveſtigaſſe? nil profecto minus; ſed ad ſacram anchoram, ad ſummum & tutiſſimum perfugium confugerunt, ſcilicet ad traditionem, quam jure ac merito ab Apoſtolis profe-

ctam

Digitized by Google

ctam autumabant. Jam vero ſi Patres contra Donatiſtas ex verbo Dei ſcripto non recte intellecto de valore, & miniſtro Baptiſmi diſputantes, dogmatis veritatem ſtatuebant ex verbo Dei tradito, cogita num probari hoc argumentandi genus poſſit: Laicus in caſu neceſſitatis poteſt Baptizare; ergo in caſu neceſſitatis poterit abſolvere? Probari id certe non poteſt; primum ſiquidem ex traditione Eccleſiæ habemus, alterum non habemus.

147. Quod ſpectat ad verba Martini V. reſpondemus, non ita ea ſe habere, ſicut objectio ſupponit, ſed eſſe hujuſmodi: *Habita copia idonei Sacerdotis, ex neceſſitate ſalutis confiteri tenemur, & non Laico:* “ ubi verba illa: *habita copia Sacerdotis idonei*, afficiunt id quod proxime ſequitur: *Soli ſacerdoti ex neceſſitate ſalutis confiteri tenemur*: non autem id quod remotius eſt: *Et non laico*: Senſus enim eſt; quod cum haberi poteſt ſacerdos, neceſſarium eſt illi confiteri, non unquam autem laico; ſicut ſi diceretur; ſi pauperes ſunt, danda eſt ipſis eleemoſyna, non divitibus, non ſequeretur certe, quod ſi non ſint pauperes, danda ſit divitibus.

148. Fatemur, plurimos copiam Sacerdotis non habentes, in exitu vitæ ſuæ confeſſos fuiſſe laicis peccata, immo etiam fœminis, ſed negamus Confeſſiones illas eſſe Sacramentales: negamus inde ſequi poſſe ſolos ſacerdotes non eſſe miniſtros Sacramenti Pœnitentiæ; nam quum quæritur an ſolus ſacerdos ſit miniſter Confeſſionis, idem eſt ſi quæratur an ſolus ſacerdos ſit miniſter abſolutionis. Hujus autem concedendæ facultatem laici certe numquam habuerunt, niſi forte abſolutionem deprecatoriam quia recitaret, aut impetratoriam. Confeſſio igitur in caſu neceſſitatis facta laicis obtinere poteſt reconciliationem cum Deo; non ex opere operato, ſed ex opere operantis, ſcilicet ob animi demiſſionem, humilitatem, & erubeſcentiam, qua flecti Deus ad uberem largiendam peccatori gratiam, qua excitentur ad perfectam contritionem, & juſtificetur præſertim quum ita vehementiſſimum oſtendat votum, & deſiderium Sacramentalis Confeſſionis, & abſolutionis, quod ſatis eſſe, dum non poteſt haberi ſacerdos, jam conſtituimus. Hæc eſt mens & ſententia TT. omnium, præſertim Div. Thom. qui cum loco citato afferat Confeſſionem factam laico non eſſe Sacramentum, eamque comparet Baptiſmo flaminis, & iterandam moneat, ſi fiat copia ſacerdotis: immo non ſemel ſtatuat in caſu neceſſitatis ſufficere ſolam Contritionem cum voto Confeſſionis, neque confeſſionem, & abſolutionem ejuſdem neceſſitatis eſſe doceat, cujus eſt Baptiſmus, ſequitur ipſum neque Sacramentalem, neque neceſſariam exiſtimaſſe Confeſſionem laico factam.

149. Verba etiam magiſtri Sententiarum lib. 4. quæſt. 17. Sunt ejuſmodi. „ Tanta eſt vis Confeſſionis, ut ſi deſit Sacerdos, confiteatur pœnitens proximo, & ſi ille cui confitebitur poteſtatem ſolvendi non habeat, fit tamen dignus ex deſiderio veniæ ex deſiderio Sacerdotis, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis “ eodemque ſeſe exprimunt modo reliqui veteres citati, qui proinde volunt confeſſionem factam laico in caſu neceſſitatis eumdem habere effectum ac confeſſionem factam Sacerdoti, non niſi ex parte illius qui eam facit, quia ſic contritionem oſtendit, votum, atque deſiderium veræ abſolutionis.

150. Quod ſi ex errore, aut malitia, aut ignorantia aliquis hac in re abuſus evenit, aut hierarchici ordinis perturbatio obſtitit ſtatim ſolertiſſime Eccleſia; quare Innocentius III. Pont. *Extra de Pœnitentiis* in hunc modum reſcripſit: Nova quædam noſtris ſunt auribus intimata, quod Abbatiſſæ proprias moniales benedicunt; ipſarum quoque Confeſſiones in criminibus audiunt, & legentes Evangelium præſumunt publice prædicare. Quum igitur id abſonum ſit pariter, & abſurdum, mandamus quatenus id de cetero ne fiat curetis firmiter inhibere, quia Beatiſſima V. Maria, etiamſi excelſior fuerit Apoſtolis univerſis, non tamen illi, ſed iſtis Dominus claves Regni Cælorum commiſit. Hæc ſummus ille Pontifex, cujus in Decreto fulget ratio potiſſima, & potiſſimum immo Catholici Dogmatis fundamentum.

151. Denique quod ad conſtitutiones illas Synodales ſpectat, quæ confeſſionem laico faciendam in caſu neceſſitatis inſinuabant, vel præcipiebant, certum eſt Confeſſiones ejuſmodi numquam præceptas fuiſſe tamquam neceſſarias & ſacramentales, ſed ſolum tamquam pias, & bonæ voluntatis, veræque confeſſionis deſiderium oſtendentes, pro more illorum temporum qui, ut allegato libro docet Bened. XIV. perduravit ad initium uſque ſæculi XVI. ſed juſtis de cauſis pedetentim remitti cœpit, donec tandem penitus abrogatus eſt; nunc vero etiamſi aliqui TT. confeſſionem illam damnare nolint, præſertim ſi eo fine fieret, ut laico injuria affecto peteretur reconciliatio, vel ut publici criminis ſcandalum ſatisfactione aliqua compenſaretur, vel quia morti proximus indigeret conſilio, quod poſtularet criminis revelationem: attamen propter multa damna, quæ imminere ejuſmodi ex confeſſionibus obſervatum eſt, & quia quum a laico obtineri non poſſit abſolutio ſacramentalis, & ſufficiat illo in caſu contritio cum voto confeſſionis, adeoque nulla ſit neceſſaria cauſa cur penitus ſeipſum infamet, & præſertim quia poſt exortas hæreſes in materia Sacramenti Pœnitentiæ; qui laico confiteretur, aliis occaſionem fortaſſe præberet de ſe ſuſpicandi, quod hæreſibus illis adhæreret; hinc infert Pontifex, 1. nullam in præſens eſſe talem confeſſionem. Neque tamen aliquid mirari oportet, nonnulla aliquando in Eccleſia, probata, & commendata poſtea rejecta damna-

Digitized by Google

damnataque fuiſſe: immo quemadmodum animadvertit Albaſpineus obſervationum Eccleſiaſticarum lib. 1. cap. 9. vix unus error, vel hæreſis in Eccleſia fuit, quæ ex ſpecioſo veterem ſequendi diſciplinam obtentu non prodierit, quam quum juſtis gravibuſque de cauſis mutandam duxerit Eccleſia, eam nihilominus hæretici mordicus & tenacius tueri, & retinere voluerunt.

CAPUT XV.

An præter poteſtatem ordinis neceſſaria ſit in Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ poteſtas juriſdictionis.

152. CErtum de fide eſt, in miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ duplicem requiri poteſtatem, ordinis ſcilicet, & juriſdictionis. Quare miniſter ejuſdem eſſe tantum poteſt, vel Epiſcopus, vel Sacerdos, qui delegatam aut ordinariam habet juriſdictionem. Hæc enim neceſſaria eſt non modo ut licite, ſed etiam ut valide a peccatis abſolvat. Nam ut ait D. Th. in ſuppl. quæſt. 8. „ Sicut ille qui non eſt Sacerdos non „ poteſt hoc ſacramentum conferre, ita nec ille „ qui non habet juriſdictionem; quum enim Sa„ cerdos non abſolvat niſi obligando ad aliquid „ faciendum, ille ſolus poteſt abſolvere, qui po„ teſt per imperium ad aliquid faciendum obli„ gare. “ Hanc veritatem declaravere Concilia Lateranenſe, Florentinum, & Trident., quod hæc habet ſeſſ. 14. cap. 7. Quoniam natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos tantum feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe, quam Sacerdos in eum profert, in quem non habet ordinariam, aut ſubdelegatam poteſtatem, quibus verbis non modo veritas, ſed ratio etiam veritatis exhibetur. Nam ſacramentum Pœnitentiæ eſt eſſentialiter judicium, & ſacramentalis abſolutio nihil aliud eſt quam prolatio ſententiæ: atqui natura & ratio judicii illud expoſtulat, ut ſententia niſi in ſubditos non feratur: itaque in miniſtro hujus Sacramenti nedum poteſtas ordinis, ſcilicet character requiritur, ſed ulterius etiam poteſtas juriſdictionis. Hancque diſtinctionem admiſerunt etiam Lutherani, ut ex Apologia patet confeſſionis Auguſtanæ, in qua ſic loquitur Melancton, agens de poteſtate Eccleſiaſtica „ Placet nobis vetus par„ titio poteſtatis in poteſtatem ordinis, & poteſtatem juriſdictionis “.

153. Præter poteſtatem ordinis requiri poteſtatem juriſdictionis ad abſolvendum valide a peccatis, duaſque illas poteſtates eſſe realiter diſtinctas, & diverſas, vetera fidem nobis faciunt monumenta, quibus eas intelligimus fuiſſe aliquando ſeparatas. Revera Concilium Carthaginenſe 3. Canone 31. ſic ſtatuit „ Presbyter ſine „ voluntate Epiſcopi non reconciliet pœnitentem, „ niſi neceſſitas cogat, & abſente Epiſcopo. „ Concil. Iliberitan. cap. 22. ita habet: Si quis „ gravi lapſu in ruinam mortis inciderit, pla„ cuit agere pœnitentiam non debere ſine Epi„ ſcopi conſultu, ſed potius apud Epiſcopum „ agat: cogente tamen infirmitate neceſſe eſt „ Presbyterum communionem præſtare debere. “ S. Cypr. pluribus in locis poteſtatem faciebat Presbyteris ſuis, ut non expectata præſentia ſua, abſolverent pœnitentes: atque ſexcentæ adduci poſſunt ejuſmodi facultates, a Synodis, & ab Epiſcopis conceſſæ Presbyteris, ut peccata remitterent.

154. Hujus autem rei imaginem habere poſſumus militaribus in dignitatibus. Dum enim Rex aliquem conſtituit legatum in exercitu, vel Magiſtratum Equitum, non idcirco poteſt hic ſtatim copias educere e caſtris, & ducere in ſaltus, vel ex una ſtatione in aliam transferre, vel milites præmiis afficere, aut pœnis; ſed oportet adhuc, ut a Rege, vel a ſupremo totius exercitus Duce deputetur ei numerus determinatus militum, cui præſit, jubeatque, cujus ordines ducat, quem judicet, quem puniat. Neque ullam dignitatis ejus rationem, vel imperii haberent milites niſi iidem noſſent legatum illum ſibi eſſe determinate præfectum, ſeque ad parendum ipſi eſſe deſtinatos. Ita ſimiliter Sacerdotes, licet per characterem accipiant poteſtatem habitualem abſolvendi a peccatis, illam tamen reducere ad actum non poſſunt, nec debent, niſi Eccleſia ipſi ſubditos tribuerit, in quos eam poſſit exercere. Jam vero cum ſtatuit Eccleſia abſolutionem eam nullius eſſe momenti quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, vel delegatam non habet juriſdictionem, poteſtates illas vere ſeparavit, ſcilicet ordinem a juriſdictione; quomodo autem potuiſſet ſeparare, niſi fuiſſent inter ſe realiter diſtinctæ? nullum certe magis realis aliquarum rerum diſtinctionis argumentum, quam eorum realis ſeparatio.

155. Obj. 1. Nullus eſt ſacerdos, cui in ſua ordinatione non detur poteſtas abſolvendi a peccatis: in ordinatione ſiquidem ſacerdotis Epiſcopus in perſona Chriſti profert verba illa: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata: &c.* ex quibus & non aliis verbis tribuit Chriſtus integram Apoſtolis poteſtatem juriſdictionis in foro interiori: ergo poteſtas juriſdictionis non eſt diverſa a poteſtate ordinis, ſive characterem ſacerdotali.

156. Reſp. Sacerdotes ex vi ſacræ ordinationis accipere poteſtatem abſolvendi a peccatis, non moralem, in qua conſiſtit poteſtas ordinis, ideſt accipere poteſtatem realem, ſpiritualem, abſolvendi a peccatis; non tamen deſtinationem, & deſignationem ſubditorum a ſuperiore factam a qua oritur in ſacerdote poteſtas juriſdictionis. Licet

Digitized by Google

autem Apoſtoli ſimul cum ordinatione ſacerdotali, & Epiſcopali juriſdictionem univerſalem in Chriſtianos omnes acceperint, eam tamen non receperunt ex vi talis ordinationis, nec ex vi verborum illorum: *Accipite Spiritum Sanctum* &c. Sed ex illis: *Euntes docete omnes gentes*, quæ legimus Matth. 28. quod ſane fuit ex ſpeciali privilegio ratione neceſſitatis Eccleſiæ inſtituendæ, & dignitatis Apoſtolicæ illis conceſſæ, ideoque nec ſimplicibus ſacerdotibus, nec etiam Epiſcopis communicatæ.

157. Contra eſt: ſacerdotes ex vi illorum verborum conſtituuntur judices; ſed judiciaria poteſtas eſt quid morale, non phyſicum; ergo ex vi illorum verborum accipiunt poteſtatem moralem, ſcilicet juriſdictionis.

Reſp. Sacerdotes ex vi illorum verborum conſtitui judices habitualiter, & aptitudinaliter in actu primo, non autem in actu ſecundo. Scilicet vi illorum verborum accipiunt poteſtatem ordinis, cujus ratione reputantur apti ad ferendam ſententiam: attamen actu non evadunt judices, niſi quando eiſdem ab Eccleſia tribuuntur, & aſſignantur ſubditi, quibus ſententiam ferant: ea ratione qua ſi aliquem Rex conſtitueret judicem, ſed illi nec ſubditos, nec cauſas judicandas aſſignaret, velletque ea illi tribui a Pro-Rege, vel Senatu, poſſet quidem dici honorarium illum eſſe judicem, nempe habere judiciariam poteſtatem: attamen poteſtatem actu judicandi non haberet, niſi tunc quum Senatus, aut Pro-Rex ſubditos illi, cauſaſque judicandas aſſignaret.

158. Contra eſt: Si ſacerdos juriſdictionem acciperet ab Eccleſia, abſolveret Eccleſiæ nomine, & auctoritate: atqui abſolvit auctoritate Chriſti: itaque per ſacerdotalem Chriſti characterem habet & juriſdictionem.

159. Reſp. vim, virtutem & efficaciam juriſdictionis procedere a poteſtate ordinis, quæ aliquid phyſicum, & ſpirituale eſt, videlicet character in anima impreſſus, per quem ſacerdos Chriſto aſſimilatur ſeipſum offerendo Patri, Eccleſiam regenti, eamque mundanti. Verum, ut poteſtas hujuſmodi producatur in actum, requiritur juriſdictio, quæ eſt quid morale conſiſtens in deſignatione ſubditorum facta a ſuperiore. Sic quod Tribunus militum in exercitu dignitatem habeat, qua ipſorum parti jubere poſſit, eſt ex charactere Tribuni, quem accipit a Rege: ſed quod tali militum copiæ de facto imperet eſt ex nova deputatione ipſi a Rege, vel a ſupremo Duce exercitus facta; judexque inferior, de quo mox dicebamus non judicat niſi poteſtate a Rege accepta; quamvis ſi nullus ſit a Senatu, vel a ſuperiore judice ipſi deſignatus populus, aut locus in quo judicium ferat, nullum de facto poteſt judicium exercere.

160. Obj. 2. Poteſtas ordinis conſiſtit in charactere ſacerdotali; ſed antequam Epiſcopus in ſacra Ordinatione proferat verba illa: *Accipe Spiritum Sanctum* &c. Sacerdos charactere ſacerdotali jam inſignitus eſt per impoſitionum manuum, & traditionem ſacrorum inſtrumentorum: ergo ex vi verborum: *Accipe Spiritum Sanctum* &c. accipit poteſtatem juriſdictionis abſolvendi a peccatis, adeoque vi ſolius ſacræ ordinationis completæ & perfectæ accipit non tantum poteſtatem ordinis, ſed etiam poteſtatem juriſdictionis. Ergo &c.

161. Reſp. Verba illa: *Accipe Spiritum Sanctum* &c. pronunciari ab Epiſcopo ad majorem expreſſionem ordinis, characteris, & poteſtatis jam collatæ ordinato in priori manuum impoſitione; non autem in ſignum alicujus juriſdictionis. Et ſane poſtremæ manuum impoſitionis, & verborum de quibus agimus nullam mentionem faciunt plurima vetera Pontificalia a Martenio laudata, aut ſcriptores: præſertim illi, qui Eccleſiaſticos ritus referendos, enucleandoſque in ſe ſuſceperunt, Iſidorus, Amalarius, Rabanus, Michrologus; Ivo Carnotenſis, Hugo Victorinus, aliique. Vide quæ ad rem proferuntur in diſſert. de Ordine.

162. Contra eſt: Sicut ſacerdos miniſter eſt Sacramenti Pœnitentiæ, ita & Euchariſtiæ: ſed quilibet ſacerdos poteſt Euchariſtiam conficere; ergo quilibet ſacerdos poterit adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ.

163. Reſp. S. Thom. qu. 8. ſuppl. art. 8. quod Sacramentum Euchariſtiæ non requirit imperium in hominem aliquem; ſecus autem evenit in Sacramento Pœnitentiæ. Addimus, in Paſchate de jure Eccleſiaſtico fas non eſſe Euchariſtiam ſumere niſi a proprio Sacerdote, vel ejus delegato, quamvis verum foret Sacramentum ab alio ſuſceptum.

164. Videtur Urbanus II. Roman. Pontif. qui floruit ſæculo XI. primus fuiſſe qui prohibuit, ne deinceps liceret uni Sacerdoti quemlibet alteri commiſſum abſque ejus facultate ad pœnitentiam recipere: ſed id non eveniſſet, niſi quilibet Sacerdos haberet poteſtatem juriſdictionis vi ſuæ ordinationis; ergo poteſtas ordinis non eſt diſtincta a poteſtate juriſdictionis.

165. Reſp. Oppoſitum evidentiſſime docere vetera omnia monumenta, & canones, & reſcripta Pontificum, & Patrum, Ignatii præſertim, Tertulliani, Cypriani, Concilia, Nicænum I. Illiberitanum; Carthagin. III. aliaque antiquiſſima; ſcilicet abſque Epiſcopi facultate neminem Sacerdotem pœnitentiam imponere, aut impertiri abſolutionem auſum fuiſſe. Multo igitur ante Urbanum II. non licebat fidelibus alteri, quam Sacerdoti ordinariam, vel delegatam juriſdictionem habenti confiteri, ut colligitur etiam ex Epiſt. 2. Decretali Calixti I. apud Gratianum. Quare Urbanus veterem diſciplinam ſolum confirmavit, niſi dicamus illius tempore abuſum abſolvendi pœnitentes alienæ juriſdictionis aliquo

in lo-

Digitized by Google

in loco irrepſiſſe. Deinde ex quo quilibet Sacerdos quemcumque abſolviſſet aliquando pœnitentem, non ſequitur diſtinctam non eſſe poteſtatem juriſdictionis a poteſtate ordinis. Non enim id præciſe fuiſſet vi ordinationis ſuæ, ſed ex conceſſione ita volentis Eccleſiæ, ſicut nunc vult Eccleſia, ut Sacerdos quicumque poſſit quemlibet pœnitentem in articulo mortis conſtitutum ab omnibus peccatis abſolvere, quod decretum eſt in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 9.

166. Ejuſmodi ex principiis fluit jus, quod habent Eccleſiaſtici ſuperiores aliqua ſibi reſervandi peccata, ut advertit S. Th. quemadmodum, & conſtituendi pœnitentiarium majora crimina abſolventem. Ut enim Petavius animadvertit in ſuis adnotationibus ad Hæreſim Novatianam, Epiſcopi primum omnia quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent adminiſtrabant: aucto vero fidelium numero, vicarium ſibi conſtituerunt Presbyterum, qui majorum criminum reos audiret atque abſolveret. Quamvis enim abſente nonnunquam Epiſcopo reconciliari a Presbyteris pœnitentes ſolerent, extraordinarium tamen erat illud jus, & identidem ab Epiſcopo mandatum, non ordinarium, vel certis hominibus in perpetuum attributum. Quare, ut apud Romanos capitalium cauſarum cognitio primum a Senatu, quoties opus erat, conſulum alteri, vel ambobus, aut aliis magiſtratibus committebatur; poſtea quæſtione duplici conſtituta ſingulis criminibus, quæ quidem atrociora eſſent, ſuus fuit judex, & Prætor appoſitus; ſic in Eccleſia.

CAPUT XVI.

De Sigillo Confeſſionis Sacramentalis.

167. Quum privata & ſecreta confeſſio ſemper in uſu fuerit, de ejus ſigillo agunt TT. ſcilicet de obligatione, qua adſtringitur Confeſſarius ad ſervandum ſecretum, quam triplici ex præcepto derivatam tuentur, naturali, divino, & humano; naturali quidem quia de jure naturæ eſt ſervare ſibi commiſſum alterius depoſitum, tueri famam proximi, neque alteri facere, quod tibi fieri non vis. Divino, quia cum ſine ſigillo prope impoſſibilis evaderet confeſſio, ſi Deus illam præcipit, ea quoque præcepiſſe cenſendus eſt, ſine quibus exiſtere illud præceptum non poſſet. Humano denique, quia Eccleſia graviſſimis pœnis illos ſubjecit, qui tale ſigillum frangere auderet. Quare talis tantaque eſt ſigilli Confeſſionis obligatio, ut ne quidem in periculo boni communis, aut quantacumque in neceſſitate fas ſit illud violare. Id omne ita demonſtratur: Nec in periculo boni communis, nec quantacumque in neceſſitate fas homini eſt agere id, quod eſt ſuapte natura, & intrinſece malum: ſed id præſtaret, qui violaret ſigillum confeſſionis, quia alteri faceret quod ſibi fieri non vellet, quia proximum ignominia afficeret, quia commiſſum ſibi depoſitum non ſervaret; ergo nullo in caſu fas ipſi eſt ſecretum violare.

168. Deinde ſi impio agente pœnitentiam obliviſcatur Deus omnium peccatorum, ut habemus Ezechielis 18., quanto minus eorum recordari debet homo, qui non ut homo, ſed ut Deus illa novit? Recte D. Th. in ſuppl. q. 2. art. 1. ſcripſit: In ſacramentis quæ exterius geruntur, ſunt ſigna eorum, quæ interius contingunt: & ideo confeſſio, qua quis Sacerdoti ſe ſubjicit, ſignum eſt interioris ſubjectionis, qua quis ſubjicitur Deo: Deus autem peccatum illius, qui ſe ſubjicit per pœnitentiam, tegit, unde & oportet, ut homo illud tegat in ſacramento Pœnitentiæ. Quare etiamſi per excommunicationem cogeretur ut peccatum revelaret, non teneretur tamen illud revelare, nec excommunicationem incurreret, quia non eſt ſubjectus ſuperiori ſuo niſi ut homo; peccatum autem non novit, ut homo, ſed ut Deus. Hæc D. Th.

169. Summam revera ſemper fuiſſe ſigilli religionem erui ex Tertulliano poteſt, Ambroſio, Baſilio, Paulino, eamque aperte præcipit Concil. Carthagin. III. Can. 54. cujus decretum omnis amplectitur Eccleſia, ut colligere eſt ex omnibus canonum collectoribus, Balſamone, Zonara, Brucardo, Aimone, & Gratiano; Concilium autem Lateranenſe IV. ſub Innoc. III. ita ſtatuit. „ „ Caveat autem omnino Sacerdos, ne verbo, „ aut ſigno aliquo, quovis modo, aliquatenus „ prodat peccatorem: ſed ſi prudentiori conſilio „ indiguerit, illud abſque ulla expreſſione per„ ſonæ caute requirat; quoniam qui peccatum in „ pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſe„ rit revelare, non ſolum a Sacerdotali officio „ deponendo decernimus, verum etiam ad agen„ dam pœnitentiam in arctum Monaſterium „ detrudendum „ . . . In eo itaque conveniunt cum ſacra, & Eccleſiaſtica, tum civilia etiam Tribunalia, ſive jure veteri, ſive novo, ut exquiſitis utantur pœnis adverſus ſacrilegos tanti ſecreti violatores, qui contra naturæ legem, contra tremendam divini myſterii ſanctitatem, & bona pœnitentium fide, & ſacra abutuntur auctoritate.

170. Sub hoc autem ſacramenti ſecreto cadunt non omnia ſolum peccata, mortalia, & venialia, eorum objecta, & circumſtantiæ, ſive neceſſario connexæ, ſive non; verum etiam quidquid per ſe vel per accidens directe, vel indirecte poſſet verecundiam, confuſionem, malam ſuſpicionem, vel aliquod aliud nocumentum generare pœnitenti ex peccato confeſſo, ſive ſit natalium, aut quicumque naturalis defectus occaſione peccati declaratus, ſive locus, ſive tempus, & ſimilia, per quæ peccatum cognoſci poſſet, & perſona confitentis, ſive eam abſolverit Sacerdos, ſive etiam dimiſerit ſine abſolutione. Denique animadvertendum, in fractione ſigilli non dari parvitatem

materiæ, quia in revelatione minimi etiam peccati venialis involvitur gravis irreverentia in Sacramentum, in quam qui labitur, graviſſimum committit ſacrilegium.

171. Obj. 1. Sicut ſecretum Confeſſionis eſt de jure divino, ita & ejus integritas: ſed aliquibus in caſibus, licet rariſſimis, licet facere confeſſionem non integram: ergo aliquo extraordinario in caſu licebit quoque ſigillum frangere.

172. Reſp. Negando paritatem: licet enim illa duo præcepta ſint de jure divino; præceptum tamen de integritate eſt affirmativum, quod ſolum obligat quando, & quomodo fuerit expediens, atque ideo, in extremo aliquo periculo ſollicitationis, aut mortis licitum eſſet facere non integram Confeſſionem cum voto faciendi integram, ſtatim atque adeſſet facultas. At ex oppoſito præceptum de ſecreto confeſſionis non revelando, eſt negativum; ideoque ſemper obligat, & omni in caſu nullo prorſus excepto, quum ejuſmodi ſit natura negantium præceptorum.

173. Obj. 2. Revelatio Confeſſionis poteſt interdum avertere grave aliquod damnum Reipublicæ aut Eccleſiæ; ſed bonum commune præferri debet bono particulari; ergo tum fas eſt confeſſionem revelare.

174. Reſp. Quodcumque damnum Reipublicæ aut Eccleſiæ futurum ſemper fore inferius damno quod contingeret ex fractione ſigilli ſacramentalis; quia ſic deſtrueret ſacramentum cujus conſervatio majus bonum eſt quocumque alio ſive in Rep. ſive in Eccleſia. Et vero revelatio confeſſionis non eſt medium idoneum, & ordinatum ad ſuccurrendum neceſſitatibus Reipublicæ aut Eccleſiæ. Deinde quod eſt intrinſece malum ſicut eſt violatio ſigilli ſacramentalis numquam poteſt aſſumi, ut medium ad procurandum aliquod bonum, vel ad evitandum malum, non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona, vel ut alia mala evitentur. Quin etiam, quum pœnitentiæ ſacramentum inſtitutum ſitut medium ad ſalutem neceſſarium, abeſt adeo, ut violatio ſigilli poſſit ducere ad bonum Reip. ut potius ex inviolabili hujus ſigilli obſervatione ejus pendeat conſervatio.

165. Fallumur autem illi maxime, qui ſigillum confeſſionis obligare credunt ob particulare bonum, quum potius ob bonum commune, & quidem ſpirituale, quod præferendum ſemper eſt cuicumque bono communi temporali, ſervandum ſit, ne ſcilicet lædatur Sacramentum, & ab eo fideles avertantur. Nam ſi peccatores revelari delicta confeſſa noſſent, aut timerent, ab illis confitendis abſtinerent, ſicque periret ſacramentalis Confeſſio, quo majus vix excogitari poteſt animarum detrimentum. Sicut igitur commune bonum præferri debet bono particulari, ita commune bonum ſpirituale præferri debet cuicumque communi bono temporali, proindeque ſigillum confeſſionis ſtet oportet, quum eo fracto, dum aliquis etiam populus, aut Reſpublica conſervari poſſet, odioſa tamen efficeretur ſacramentalis confeſſio: ab eaque averterentur fideles, & commune illimum afferretur univerſæ Chriſtianorum ſocietati damnum, & malum.

176. Contra eſt. Contingere poteſt, ut nolens revelare confeſſionem ſit in periculo vitæ amittendæ: ſed nemo tenetur ſervare famam proximi ſui cum diſpendio vitæ propriæ: ergo &c.

177. Reſp. hic non tam quæri de defenſione famæ proximi, quam ne fiat injuria Sacramento; ne odioſa reddatur confeſſio, ne ab ejus uſu fideles avertantur, adque vitanda mala quælibet potius ſubeunda eſt mors, ut ſtrenue fecit D. Joannes Nepomucenus.

178. Solum igitur volente, & libere, expreſſeque conſentiente pœnitente poteſt Sacerdos, magna tamen cum cautela, & maxima ſolum in neceſſitate, pœnitentis peccatum revelare: tum quia volenti non fit injuria, tum quia hac in hypotheſi Sacerdos non ut Deus tantum, ſed etiam ut homo pœnitentis peccatum cognoſcit. Quare nec etiam in confeſſione alicujus pœnitentis, ut confeſſionem ejus reddat integram, poteſt Sacerdos complicis peccatum revelare, licet id poſſit pœnitens, quia iſte utitur jure ſuo, nec ullo tenetur inviolabili ſecreto, ut tenetur Sacerdos, quia nullum jus habet in peccata ſibi ut Deo, non ut homini detecta. Nec peccat Sacerdos, ſi pœnitens integram non dat confeſſionem; ſacrilege peccaret autem ſi in favorem integritatis confeſſionis pœnitentis, ipſe ſecretum revelaret, cujus præceptum gravius eſt præcepto integritatis confeſſionis.

179. Quod ſi quæras, quomodo cum ſigillo confeſſionis conciliari poſſit antiqua publicæ pœnitentiæ diſciplina: pluribus animadverſionibus, quæ id componere valent, omiſſis, reſpondetur, neminem ob ſecretum peccatum coactum fuiſſe publicam ſubire pœnitentiam ſed hortatum ſolum a ſacris miniſtris, ut id faceret; nec invitos ad eam fuiſſe coactos, niſi eos, quorum peccatum jam erat manifeſtum. Inducto autem ſequiori ætate in Eccleſiam pœnitentiali Theodori Cantuarienſis, & ſimilibus, quibus pro quolibet peccato determinatæ & ſpeciales conſtitutæ erant pœnitentiæ, datus eſt quoque per indulgentias earum commutationi locus in alia opera, proindeque nec tunc occulta peccata innotuere, quum minora numquam fuerint opera pœnitentialia, quam determinatis illis pœnis conſtitutis: qua de re legendus Ludovicus Muratorius Diſſert. 64. inter eas, quæ ad Italicas pertinent antiquitates.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

180. VEteres Scholaſtici diſputabant, an forma hujus ſacramenti eſſe poſſet deprecatoria; an ſolum eſſe deberet abſoluta. Verum hodierna die TT. præſtantiores in eo conveniunt, formam ſacramentalis abſolutionis, ex inſtitutione Chriſti, & natura ſacramenti eſſe quidem oportere actum judicii, ſed quibuſnam verbis exprimi tale judicium debeat, an impetratoriis, an indicativis, vel imperativis, & abſolutis, ſua inſtitutione Chriſtum non determinaſſe: ſed Eccleſiæ ſuæ determinandum reliquiſſe, proindeque ad ſubſtantiam ſacramenti, unum idemque eſſe, ſive deprecativis ſive indicativis, vel imperativis terminis abſolvat Sacerdos: quia ejus verba ex judiciali ſua poteſtate, atque ex certiſſima Chriſti promiſſione & voluntate, vim & virtutem habent purgandi pœnitentes a peccatis.

181. Et Græci quidem; quemadmodum olim ita & nunc formam ſacramentalis abſolutionis verbis deprecativis expreſſerunt. Quam quidem formulam apud eos valere, ſummi Pontifices declararunt. Talis forma declarativa in uſu etiam fuit apud latinos, penes quos ita perſeveravit uſque ad XII. ſæculum, quo ineunte, ut Morinus fuſe oſtendit, forma indicativa deprecatoriæ acceſſit, donec tandem, adulto ſæculo XIII. ſola indicativa in Occidentis Eccleſiis ita prævaluit, ut ex generali conſuetudine, & receptiſſimo uſu conſecrata demum fuerit. Quare apud nos in præſens ſola eſſentialis, & neceſſaria eſt; non modo quia apta, idonea, conveniens, & prorſus optima: ſed quia, pro Concilii Florentini præcepto aliam uſurpare hodierna die non licet; & niſi juxta ritum Eccleſiæ non debent nec poſſent ſacramenta miniſtrari.

182. Eſt igitur hodierna formula: *Ego te abſolvo a peccatis tuis &c.*; circa quam nonnulli curioſius differentis, ſibi videre viſi ſunt, particulam demonſtrativam *Te* non ita neceſſario pronunciandam eſſe, ſicut neceſſario pronunciari debet in Baptiſmo. Quorum tamen opinionem ſenſui Eccleſiæ contrariam arbitramur: Etenim Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. ait ſacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ejus vis ſita eſt, in illis miniſtri verbis poſitam eſſe *Ego te abſolvo &c.* quam definitionem explicat Catechiſmus Rom. parte 2. Cap. V. de ſacramento Pœnitentiæ ubi inquit: „ *Eſt* autem forma: *Ego te* „ *abſolvo*: quam non ſolum ex illis verbis li„cet colligere; *quæcumque ſolveritis ſuper ter*„*ram, erunt ſoluta & in cælis*; ſed ex eadem „ Chriſti Domini doctrina ab Apoſtolis tradita „ accepimus. Ac quoniam ſacramenta id ſignifi„cant, quod efficiunt; & illa verba *Ego te ab*„*ſolvo* oſtendunt peccatorum remiſſionem hujus „ ſacramenti adminiſtratione effici; planum eſt „ hanc eſſe Sacramenti Pœnitentiæ perfectam for„mam"; Ita Catechiſmus. Quare omnes fere DD. tum Dogmatici, tum Scholaſtici, tum Morales, exponentes doctrinam Concilii docent, excepto pronomine *Ego*, quod ſufficienter in verbo primæ perſonæ includitur, nihil adimi poſſe, quia omnino oportet exprimi actionem ſacramentalem, quæ exercetur per miniſtrum, proindeque inferunt, oportere quoque deſignari perſonam cui Sacramentum impenditur. Eſt hæc praxis totius Eccleſiæ; non enim reperire eſt in omnibus Euchologicis Orientalibus, vel Ritualibus latinis libris, alio modo exprimi formam Sacramenti Pœnitentiæ quam per expreſſionem perſonæ cui confertur Sacramentum; eodem modo, quo exprimitur in forma Baptiſmatis.

183. Sane eſſentialia cujuſcumque Sacramenti verba, talia ſint oportet quæ exprimant, & ſignificent, quod efficiunt: Verbum autem *abſolvo* abſolute poſitum abſque expreſſione perſonæ, quæ abſolvitur, nullo modo abſolutionem ſignificat, liberationemque a peccatis, quæ in Sacramento efficitur: niſi enim per expreſſionem perſonæ quæ abſolvitur, determinatur verbum illud *abſolvo* ad ſignificandam abſolutionem hujus perſonæ cui impenditur, nullo pacto poteſt eam ſignificare, quandoquidem ex illo verbo *abſolvo* ſic abſolute prolato non eruitur neque ſignificatur qui abſolvendus ſit.

184. Denique particula *Te*, vel ſaltem æquivalens neceſſario exprimitur in Conciliis, ſcilicet vel ſub tertia perſona, vel ſub proprio pœnitentis nomine, vel indicando perſonam in particulis ſubſequentibus, quemadmodum ſi diceret *abſolvo a peccatis tuis*; vel alio modo huic correſpondente.

185. Quod ſi quis quærat, an abſolutionis formula, quæ diverſa foret a conſtituta, ſed tantummodo æquivalens, a Sacerdote fortaſſe data, nunc eſſet valida; ſunt qui reſpondent talem abſolutionem nec licitam eſſe, nec validam, quia Sacramenta tunc tantum valent, quum ſunt in forma Eccleſiæ adminiſtrata. Alii tamen licitam quidem negant, ſed valere adhuc crederent talem abſolutionem, in hypotheſi præſertim, qua eam valere crederet miniſter Sacramenti, qui æquivalentibus tunc vellet terminis uti ad exercendam poteſtatem Clavium, & ſolvendum revera pœnitentem: quamvis ejuſmodi TT. Simul proteſtentur, aſſeri id tantum poſſe in ſenſu ſpeculativo, non in practico, tum quod Sacramenta numquam ſunt niſi in ritu Eccleſiæ adminiſtranda, tum quia in re Sacramentaria numquam fas eſt probabilem opinionem, multoque minus dubiam ſequi, probabiliori & tutiori relicta.

CA-

CAPUT XVIII.

De Subjecto Sacramenti Pœnitentiæ.

186. SOlos veros pœnitentes eſſe ſubjectum hujus Sacramenti nemo dubitat; ſed inquiritur, ille ne etiam ſit idoneum illius ſubjectum, cui jam ſemel, iterumque remiſſa fuerunt peccata poſt confeſſionem; an vero ille ſolum qui prima vice ad Sacramentum accedit. Nam qui poſt recuperatam in Sacramento gratiam, iterum iterumque in peccata relabitur, illum non videtur recte pœnituiſſe de peccatis, ideoque nec eſſe capacem novæ abſolutionis. Scribit enim D. Auguſtinus Sermone de tempore: *Iſta eſt vera pœnitentia, quando ſic convertitur quis, ut non revertatur, quando ſic pœnitet, ut non repetatur*: „ Divus autem Gregorius Magnus „ hom. 34. in Evangelia inquit: *Pœnitere eſt anteacta peccata flere, & flenda non committere*. Denique S. Iſidorus lib. 2. de ſummo bono cap. 16. inquit. *Iſaias de peccatoribus dicit: lavamini & mundi eſtote; lavatur & mundus eſt, qui præterita plangit, & flenda iterum non committit. Lavatur & non eſt mundus, qui plangit quæ geſſit, nec deſerit, & poſt lacrymas ea quæ defleverat repetit.* “

187. Qui igitur peccata ſemel dimiſſa iterum committit, ille vere pœnitens non eſt: ſi autem vere pœnitens non eſt, eſſe profecto non valet Sacramenti Pœnitentiæ ſubjectum, quod a Patribus appellatum ſemper fuit unica poſt naufragium tabula, vel ſecunda poſt primam, nempe Baptiſmum: ideoque ea ratione qua ipſe non repetitur, & homo Baptizatus legitimum non eſt Baptiſmi ſubjectum, ita homo per abſolutionem ſemel reconciliatus eſſe legitimum non poterit Sacramenti Pœnitentiæ ſubjectum. Ejuſmodi tamen meditatio adverſatur doctrinæ Chriſti, & Eccleſiæ: Chriſti quidem qui non dixit, *ſolvite ſemel & iterum*, vel ſemel & iterum, & tertio remittite, ſed dixit indefinite *quæcumque ſolveritis &c. quæcumque remiſeritis &c.* Quare in gratiam peccatoris cum vere pœnituiſſet voluit paratum ſemper eſſe remedium, hoc nimirum Sacramentum. Eccleſiæ vero doctrinæ adverſatur, quia cum pro Dogmate Catholico caritas in via ad differentiam caritatis, quam in patria habebimus, ſit amiſſibilis, propterea eſt etiam recuperabilis, ideoque & iterabilis eſſe debet pœnitentia, cujus ope caritas, & gratia recuperatur. Hanc igitur iterationem Sacramenti Pœnitentiæ reſpectu ejuſdem relapſi peccatoris cum probet, ſemperque probaverit Eccleſia, ſequi debet, peccatorem cui jam fuere peccata remiſſa, eſſe iterum poſſe legitimum Sacramenti Pœnitentiæ ſubjectum. Revera D. Irenæus libro 4. contra Hæreſes cap. 4. de Cerdone ſcripſit „ Cerdon Romam profectus, & perſæpe „ pœnitentiam agens ita præſtitit, ut nonnunquam furtim ſuum Dogma ſpargeret, nonnunquam rurſus pœnitentiam ageret. “ Lib. autem 1. cap. 9. loquitur de quibuſdam mulieribus a Marco Hæretico deceptis, quæ ſæpe ad Eccleſiam redierunt. Eadem habet de Hæreticis Marcione, & Valentino Tertullianus lib. de præſcriptionibus cap. 30., qui ſcilicet ſemel & iterum ab Eccleſia rejecti, tertia etiam vice ab Eccleſia recepti ſunt per pœnitentiam. Erant iſti omnes publici, & manifeſti peccatores: poſt recuperatam adhuc tamen gratiam, & remiſſionem capaces habiti fuere novæ reconciliationis. Quanto igitur magis occulti peccatores, ſi ceciderint rurſus in peccata, poterunt legitimum eſſe iteratæ pœnitentiæ ſubjectum.

188. Non negabimus eam fuiſſe olim aliquarum Eccleſiarum Diſciplinam, ut publicam pœnitentiam nollent iterari, ſed nullum reperietur Eccleſiaſticum monumentum, quo oſtendi poſſit privatam pœnitentiam, & abſolutionem non fuiſſe iteratam. Hoc docent & prædicant inſtitutis in locis Sancti Patres; nec alia de cauſſa ipſi vocant pœnitentiam unicam poſt naufragium tabulam, niſi quia adhuc poſt peccatum baptizari iterum non poſſumus; quia nullum eſt aliud recuperandæ gratiæ, & caritatis medium, quam Pœnitentia; quare objecta SS. Patrum loca ſunt de illis accipienda, qui ab illo ipſo tempore, quo pœnitentiam de peccato agunt, illud iterum committunt: de illis, quos dum pœnitet, verum non habent non peccandi deſiderium; & quia nullum evidentius ſignum eſt veræ pœnitentiæ, quam ſi quis amplius non peccet.

189. Rurſus vera pœnitentia dupliciter ſumitur, & prout habet veras Pœnitentiæ conditiones, & prout habet integrum Pœnitentiæ effectum, id eſt nos perducit ad vitam æternam. Sic Caritas, Juſtitia, Fides, cæteræque virtutes, ſi per peccatum fuerint abruptæ, vel interruptæ non propterea dicendum eſt eas non fuiſſe veras virtutes; ſed ſolum jure dicitur eas non ita fuiſſe veras, ut perſeveraverint uſque ad finem, quod eſt de virtutis perfectiſſimæ ratione. Hanc conditionem ſi non habet Pœnitentia relapſorum, perfectiſſima quidem pœnitentia dici non poteſt, ſed tunc quum verum eliciebat non peccandi de cetero deſiderium veram fuiſſe Pœnitentiam nemo negare poterit.

190. Quare autem iterari poſſit Sacramentum Pœnitentiæ, Baptiſmus autem non item convenientiſſimas fert rationes S. Thom. col. 3. p. tum in 4. ſent. ſcribens: Cauſſa quare pœnitentia iteretur, quum non iteretur Baptiſmus eſt quadruplex. Prima eſt, quia Pœnitentia non imprimit characterem, ſicut Baptiſmus; character enim indelebilis eſt. Secunda quia, Baptiſmus eſt contra morbum non iterabilem ſcilicet originale peccatum: pœnitentia autem contra peccatum actuale, quod iteratur. Tertia cauſa, quia Baptiſmus unus eſt, ſed pœ-

ni-

Digitized by Google

nitentia etiam requirit actum noſtrum proindeque ratione ejus iterationem recipit. Denique Baptiſmus eſt regeneratio ſpiritualis; ſed pœnitentia eſt ſpiritualis veluti ſanatio: ſemel autem aliquis generatur, ſed pluries ſanari curarique poteſt.

CAPUT XIX.

De effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.

191. PRoprius hujus Sacramenti effectus eſt remiſſio peccatorum, quæ fit, non per hoc, quod non amplius imputentur nobis peccata, aut ea veluti tegantur, qui error Heterodoxorum eſt, a Catholicis in Tractatu de juſtificatione impii refutatus (a) ſed per hoc fit, ut in nobis divina gratia infundatur; gratia, inquam, habitualis juſtificans, ſanctificans, & gratum faciens; quare peccata auferantur prorſus, deleantur, & quaſi nunquam commiſſa fuiſſent, habeantur.

192. Accedit per abſolutionem, & ſtatum gratiæ recuperatum reviviſcere bona noſtra opera facta in gratia, quæ fuerant per peccatum mortificata: de quo quidem inter Orthodoxos convenit, licet diſſentiant in gradu definiendo, quoque talia opera, & merita, quæ per peccatum fuerant mortificata, redeant atque reviviſcant poſt reditum in gratiam. Opinio D. Th. eſt, ejuſmodi opera, & merita quæ homo habuit antequam peccaret, reviviſcere majori, vel minori in gradu, juxta majorem, vel minorem gradum contritionis, pœnitentiæ, caritatis atque gratiæ quam habet dum reſtituitur ad gratiam, & quam habebat dum deceſſit. Ita ſane S. Præceptor 3. p. q. 88. art. 2. ubi aperte docet pœnitentem abſolutum aliquando recipere gratiam ſive caritatem æqualem ei antequam peccaret; aliquando majorem, aliquando minorem, propterea quod gratia, ſive caritas ſit habitus, & qualitas, quæ gradus multiplices habet, quæ creſcere valet, & decreſcere, imminui, & augeri, proindeque varios illius gradus hominibus per Sacramenta tribui, pro varietate illius præparationis & diligentiæ, quam adhibent: eſſe enim hæc neceſſarias ad gratiam diſpoſitiones. Hujuſmodi præuntes conatus aliquando tales eſſe, ut ad minorem gratiam, illa, qua antea præditi erant, acquirendam, viam hominibus muniant: aliquando vero ad æqualem, aliquando ad uberiorem perducant: propterea peccatorem quando reſurgit, gratiam recipere modo majorem, modo æqualem, modo minorem illa, quam poſſidebat priuſquam caderet.

193. Sancti Doctoris veſtigiis inſiſtentes Concilii Tridentini Patres ſeſſ. 6. cap. 9. docent, homines, ſive primum juſti fiant, ſive amiſſam ſanctitatem recuperent, iis gratiæ, & ſanctitatis gradibus divinitus donari, qui illorum præparationi, conatibuſque reſpondent: ita quippe ſtatuunt: Juſti vere nominamur & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes, unuſquiſque ſuam ſecundum menſuram, quam ſpiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundam propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem. Si itaque peccator dum juſtus fit, minorem ea quæ ornatus fuerat antequam caderet gratiam, & caritatem aliquando habet merita ejus mortificata in minori gradu reviviſcunt, ſi æqualem in æquali gradu; perfectiori demum in gradu, ſi perfectiorem habet contritionis atque caritatis gradum: quamvis negandum non ſit, juſtitiam ſive caritatem virtute Sacramenti reſtitutam poſtmodum ad majorem excreſcere poſſe perfectionem quemadmodum exempla docent Davidis, Petri, aliorumque qui poſt lapſum reconciliati, multo perfectiori amore Deo adhæſerunt, quam ante peccatum.

194. Hinc vero ſolvitur eorum fundamentum, qui contenderent in pœnitente reconciliato merita ſemper reviviſcere majori in gradu, propterea quod Lucæ 15. legimus: „ Gaudium erit in Cœ„ lo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, „ quam ſuper nonaginta novem juſtis, qui non „ indigent pœnitentia. “ Quare enim id, obſecro? certe quia, ut docet D. Gregorius Pont., tum in Epiſtola ad Secundinum, tum Hom. 38. in Evangelia, agitur tunc de illo pœnitente, qui damna præcedentia ſtudet lucris ſubſequentibus compenſare. Majus itaque de peccatore converſo ſubdit S. Pater, quam de ſtante juſto gaudium ſit in Cœlo, quia & Dux in prælio plus eum militem diligit, qui poſt fugam reverſus hoſtem fortiter premit, quam illum, qui nunquam terga præbuit, ſed nunquam aliquid fortiter geſſit.

195. Neque vero objicere hic quis debet, eamdem exerceri reſpectu cujuſque peccatoris poteſtatem clavium, eamdemque eſſe reſpectu omnium oportere poteſtatis clavium vim, virtutem efficaciam. Minus inquam, id officit, quemadmodum enim ignis, cujus ad calefaciendum vis eſt maxima, non eo tamen modo circumſpecta corpora calefacit, ſed alia magis alia minus, pro illorum varia diſpoſitione, propinquitate, & natura; ita poteſtas clavium, & Sacramentum Pœnitentiæ quæ per ſeſe homines quamlibet ſanctos, juſtoſque, & Deo gratos efficere Divina virtute poſſunt; attamen hominibus, nonniſi pro varia illorum diſpoſitione, modo majorem, modo

(a) Agit hac de re Gazzaniga noſter Vol. VI. ſuarum Prælectionem Part. II. diſſ. II. cap. 3. pag. 384. & ſeq.

Digitized by Google

do minorem, modo amiſſæ juſtitiæ æqualem tribuunt gratiam, & ſanctitatem.

CAPUT XX.

De ſatisfactione Sacramentali.

196. ACcedimus ad magis neceſſariam hujuſce Tractatus diſputationem, nempe ad ſatisfactionem, quam non modo averſantur Calviniani, qui omnem Sacramenti Pœnitentiæ doctrinam, & morem eliminaverunt, ſed ipſi etiam Lutherani ceteroquin in reliquis pœnitentiæ Sacramentalis partibus ad nos hodie accedentes. Etſi enim quid de Sacramento Pœnitentiæ ſenſerit Lutherus facile non ſit ſtatuere, ob inconſtantiam viri loco umquam ſtare neſcientis; certum tamen eſt Auguſtana in Confeſſione, & in ejus Apologia, a Melanctone ſcripta, confeſſionis, & abſolutionis ritum retineri, ut pene in omnibus Lutheranorum Eccleſiis, qui ſuæ communionis aſſeclas hoc ritu non utentes vocant Cripto-Calviniſnos: immo hac poſteriori ætate Lutheranorum nonnulli argumentum hoc ita illuſtrarunt, ut quod ſpectat ad doctrinam huc uſque traditam, nobiſcum prope convenire videantur. Eorum alii namque divinam Confeſſionis Sacramentalis originem, editis libris, vindicarunt; alii poteſtatem clavium miniſtris Eccleſiæ unice, & privative tribuendam, quorum nomina, & opera ſatis nota ſunt.

197. Verum ſtatim atque de ſatisfactione agitur nullum jam amplius diſcrimen eſt inter Lutheranos, & Calviniſtas: utrique nobis aperte opponuntur, quum ſatisfactionum noſtrarum oppugnatione totum ſitum ſit ſyſtematis ipſorum fundamentum. Everſa ſiquidem Catholica hac de re ſententia, corruat omnis neceſſe eſt de propitiatorio Miſſæ Sacrificio, de indulgentiis, de ſanctorum interceſſionibus, de votis, jejuniis, cæteriſque Eccleſiæ ritibus, & operibus pietatis doctrina. Ideo neceſſe eſt totam mentis aciem in poſtremam hanc diſputationem intendere.

198. Jam vero ſatisfactionis nomine intelligimus compenſationem illam, qua homo pro peccatis commiſſis Deo aliquid perſolvit, ſive ſolutionem pœnæ temporalis indictam a judice ſpirituali ad ſatisfactendum, bonis operibus, & corporis animique afflictionibus, injuriæ Deo per peccatum illatæ. Hujuſmodi ſatisfactionis neceſſitatem negant Heterodoxi, quod arbitrentur, firmiſſima in Chriſtum fiducia noxam omnem, & omne pœnæ debitum nobis remitti, propterea quod Chriſtus cumulatiſſime, & pleniſſime ſatisfecerit. Quum autem negare non poſſint uſum pœnitentiarum in Eccleſia primitiva; pœnitentiæque actus intelligant ſacris in litteris eſſe peccatoribus inſinuatos, & præceptos, ita interpretantur, ut pœnitentiam illam, illoſque actus, non ad compenſationem aliquam Deo reddendam ordinatos dicant, ſed ad teſtimonium publicum emendationis exhibendum Eccleſiæ, & ad mitigandas vitæ hujus calamitates. Ex oppoſito Catholici Sacramentalem ſatisfactionem dicunt neceſſariam eſſe; tum quod remiſſa culpa remaneat luenda pœna; tum quod ſatisfactio potius reſpectu Dei imponatur, quam reſpectu Eccleſiæ; tum etiam mediante ſatisfactione a Sacerdote impoſita, peccator non modo alleviatur ab hujus vitæ incommodis; ſed præcipue Deo pro injuriis, quas ipſi per peccatum intulit aliquid rependit.

199. Et vero remiſſa etiam culpa, & æterna pœna, plerumque remanere pœnam aliquam temporalem, oſtenditur 1. ex his quæ legimus 2. Regum cap. 12. ubi quum David peccati ſui admonitus a Nathan Propheta; dixiſſet: *peccavi Domino*, & a Propheta audiviſſet: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris*: adjunxit Nathan. „ Veruntamen quia blaſphemare feciſti inimicos Dei propter verbum hoc, „ filius, qui natus eſt tibi, morte morietur. “ Hæc autem fuit pœna temporalis Patris puniti in morte filii. Multa alia exempla adducuntur ex Teſtamento Veteri idem oſtendentia, & valent ad hujus doctrinæ probationem ea ſcripturæ teſtimonia, quibus etiam juſti fatentur pro peccatis ſuis, affligi, ut Tobias, tres pueri in fornacem miſſi, Machabæi Fratres, ut generaliter docet Apoſtolus ad Hebr. 10., citata ex Proverb. 10. Sententia, Deum flagellis quibuſdam caſtigare filios ſuos, ideſt juſtos: Correptio enim caſtigatio, & flagellatio, punitionem pro peccatis ſignificat. Quare manifeſtum eſt remanere ſolvendas pœnas temporales, ab illis etiam quibus culpa cum æterna pœna remiſſa fuit in Sacramento Pœnitentiæ.

200. Sane Adamo remiſſum fuit primo tranſgreſſionis peccatum, ut ex libro ſapientiæ, & SS. PP. traditione certum eſt. Nihilominus tamen tota cum poſteritate, ærumnis, miſeriiſque in pœnam ſceleris, non ad exercitium virtutis tantum, ſubjectus fuit, quod clare oſtendunt verba illa Gen. 3. *Quia audiſti vocem uxoris tuæ & comediſti de ligno, in ſudore vultus tui veſceris pane tuo*. Legimus Exodi 32. Dominum intercedente Moyſe placatum fuiſſe ſuper populum Iſrael, qui vitulum aureum in deſerto adoraverat: & nihilominus poſt veniam conceſſam, proteſtatus eſt Deus, ſe viſitaturum illud eorum peccatum. Numer. 12. Maria ſoror Moyſis, pro qua frater deprecatus fuerat Deum, juſſa tamen eſt abeſſe diebus ſeptem extra caſtra, ut rubore ſuffunderetur, quod eidem Moyſi detraxiſſet. Et cap. 14. ejuſdem libri teſtatur Deus, ſe dimiſiſſe culpam populo obmurmuranti, & tamen ait neminem eorum, qui Dominum tentaverant viſurum fore Terram Palæſtinæ omniumque cadavera in ſolitudine Terræ mandatum iri, exceptis tantum Joſue, & Caleb. Notum eſt quantum acceptus fuerit Aaron Deo, qui tamen pro-

miſ-

Digitized by Google

miſſam Terram ingredi non potuit, eo quod incredulus fuerit ad aquas contradictionis. Quid clarius denique, quam mortem ſtatutam fuiſſe in pœnam peccati originalis, ut legimus Gen. 2. & declarat Apoſtol. ad Romanos 8. & ad Corinth. 15. & tamen moriuntur etiam illi, quibus per Baptiſmum peccatum originale dimiſſum eſt. Immo non ſolum mors, ſed etiam hujus ſæculi ærumnæ ſunt illius peccati pœnæ, quibus tamen omnes renati ſubjiciuntur, non adulti modo ſed etiam parvuli: adeoque non ad virtutis exercitium tantum, ſed etiam in remiſſi peccati vindictam a Deo immiſſæ proindeque remiſſa culpa, & æterna pœna, aliqua adhuc remanet ſolvenda pœna temporalis.

201. Obj. 1. Deus apud Ezech. cap. 18. ita loquitur: *Impietas impii non nocebit et quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua*: & Pſalmo 31. legimus: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*: itaque deleta culpa non remanet ſolvenda pœna temporalis: ſecus enim peccatum etiam poſt converſionem noceret peccatori, nec peccatum revera deletum foret. Et ſane Apoſtolus ad Rom. 8. *Nihil* inquit, *damnationis eſt illis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*: ideſt nulla damnatio, punitio nulla.

202. Quibus tamen argumentis reſpondent TT. Noſtri. Et priori quidem deſumpto ex Domini verbis apud Ezechielem non recordaturum ſe inquientis iniquitatis, a qua pœnitendo quis receſſerit, verborum ſenſum ex adjectis eſſe intelligendum: ſubditur namque utrobique, *vita vivet, & non morietur*, quæ perpetua ſcripturarum phraſis eſt ad denotandam juſtificationem animæ, ſtatum gratiæ, fruitionem æternæ vitæ & liberationem ab æterna pœna. Dicit itaque Deus non recordaturum ſe iniquitatum illius, qui receſſerit a via ſua mala, quia ipſi remiſerit debitam æternæ mortis pœnam. Revera Davidi etiam dictum fuerat: *Non morieris*, poſt quod tamen verbum Prophetæ pœnas ſubiit temporales. Tale vero tantumque diſcrimen eſt pœnam inter æternam, & temporalem, ut æterna remiſſa, etiamſi temporalem exigat Deus, jure dicatur oblitus iniquitatum: præſertim quum æterna mors proprium ſit ſtipendium peccati, ſicut propria juſtitiæ merces eſt vita æterna. Adde temporales pœnas, ad utilitatem ejus, qui infliguntur infligi, quare dicitur non nocebit ei impietas ſua, ideſt mortem ipſi æternam non afferet, ſed ſalutarem ſolum pœnitentiam.

203. Hinc reſponſio patet ad ſubjecta teſtimonia. Tegit ſiquidem Deus peccata, tametſi temporaliter puniat, quia non ſic videt, ut pro iis mortem æternam, quam merebantur, velit infligere, nec imputat ad debitam mortis pœnam; quare & nihil damnationis æternæ eſt in iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, ut inquit Apoſtolus, qui quum de renatis, & ſtatim baptizatis loquatur, quorum corpus morti obnoxium eſſe illo etiam in loco docet, palam eſt, damnationem tunc ipſum accipere pro reatu ad pœnam æternam.

204. Obj. 2. Duo ex ſacris litteris memorantur genera ſuppliciorum; alterum quod infligitur impiis, & Dei inimicis, unde illud Davidis: *effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt*: alterum quo Deus tamquam amantiſſimus Pater exercet amicos, & filios, ſuos, juxta illud: *Deus quos diligit caſtigat*. Primum reſpicit immorigeros, impœnitentes & contumaces; alterum innocentes. Itaque ſcripturæ, quum de ſuppliciis loquuntur, præconcipiunt vel non fuiſſe commiſſum; ideoque ex ſuppliciis a Deo irrogatis non eruitur remiſſa culpa adhuc aliquam eſſe luendam pœnam.

205. Reſp. Integram perfectamque non eſſe hujuſmodi ſuppliciorum diviſionem a Calvino excogitatam. Siquidem præter ea, quibus afficiuntur contumaces, & impœnitentes, eaque, quibus juſti erudiuntur quæ tamen propriæ ſupplicia non ſunt, vel quotidianis culpis, quibus obnoxii ſunt juſti, rependuntur: dicimus inquam dari adhuc ſupplicia, quæ ob jam remiſſa peccata perferri debent, ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, & ad emendationem labilis vitæ, ut loquitur Auguſtinus, cujus generis fuiſſe ſupplicia ex ſcripturis jam memorata abunde patet: namque illa dicuntur immiſſa propter peccatum, eoque remiſſo perſeveraverant. Quare ſicut Eccleſia propoſitionem 69. Baji damnavit, dicentis, omnes impiorum afflictiones eſſe ultiones peccatorum, quia nempe aliqua etiam ſunt ad exercitium modo virtutis; ita & Heterodoxorum reprobat doctrinam, ſtatuentium, omnes ærumnas juſtificatorum eſſe ad exercendas virtutes tantum, quia plurimæ earum ſunt etiam divinæ juſtitiæ effectus in ſatisfactionem injuriæ Deo per peccatum illatæ.

CAPUT XXI.

Idem Argumentum ex SS. Patribus.

206. Conſtat in hoc dogmate SS. PP. doctrina: ſiquidem Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 8. ſcripſit: *Satisfactio Confeſſione diſponitur, Confeſſione pænitentia naſcitur, pænitentia Deus mitigatur*. Origenes hom. 6. in Exodum habet: *Peccator non uſquequaque deſperet, pænitendo, flendo, ſatisfaciendo deleat quod amiſſum eſt*. S. Cyprian. lib. de lapſis inquit: *Dominus orandus eſt, noſtra ſatisfactione placandus*. D. Auguſtinus in Pſalm. 50. ſcribit: *Aliquando Deus cui ignoſcit in futuro ſæculo, corripit eum de peccato in iſto ſæculo*. Et in Pſalm. 51. addit. *Non ſufficit mores in melius mutare, & a factis malis recedere, niſi etiam de his quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo*: Denique Tractat. 129. in Joann. ait. *Temporaliter hominem detinet pœna, quem jam ad ſempiternam* mor-

Digitized by Google

mortem detinet culpa. S. Ambroſ. in Pſal. 39. *Qui pœnitentiam agit, offerre ſe debet ad pœnam*. S. Gregorius Pont. ſcribit lib. Moralium 9. cap. 17. *Si peccatum David Dominus tranſtulit, quid eſt, quod poſtmodum tanta toleravit? Sed procul dubio Deus delictum ſine ultione non deſerit*. Tandem D. Joan. Chryſoſt. hom. de pœnitentia & confeſſione hac habet : *Ne poſt peccata efficeremur deteriores, ſi inulta ea relinqueret, nobis Deus ſupplicium non remiſit, ſed vidit hoc manifeſte, quod peccatis ipſis damnoſum ſit non puniri; propter hoc imponit pœnam*.

207. Ex ejuſmodi SS. PP. deſumunt TT. rationes Dogmatis, quod vindicant, nempe, parva putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna. Nunc enim parvam cenſebimus eorum culpam, qui gratiæ Dei, quam in Baptiſmo acceperunt ingrati, ſpiritum Sanctum contriſtavere, & templum Dei violare veriti non ſunt? Certiſſimum autem eſt ſummam in Deo eſſe juſtitiam, ab ejus infinita clementia minime diſtinctam, cujus cauſſa non minus amandus, quam timendus eſt Deus. Itaque ea ratione, qua ob ſummam Dei Clementiam fit, ut quicumque peccatum vere deteſtatur, & deſerit, veniam miſericorditer obtineat; ita ob divinam juſtitiam fit, ut peccatores ſeveritate aliqua puniantur, præſertim quum omnimoda peccatorum immunitas eos procliviores ad peccatum redderet, Divinæque juſtitiæ, & majeſtatis contemptores. Hinc Eccleſia pro veteri traditione & diſciplina ſolita ſemper fuit uberiorem gravioribus pro peccatis, tametſi occultis injungere ſatisfactionem, non in remedium tantum pro futuro, vel ad Eccleſiæ ædificationem, ſed pro compenſatione etiam injuriæ Deo pro crimine irrogatæ: præſertim quod etſi per gratiam remittatur culpa, tollatur averſio a Deo, tollatur reatus pœnæ æternæ, non tolluntur tamen reliquiæ omnes peccati, ſcilicet pravi quidam affectus, & habitus, ex præcedentibus actibus deordinatis derivati, eo modo, quo manet in renatis fomes peccati, ſive concupiſcentia ex peccato orta, & ad peccatum inclinans. Remiſſa igitur culpa, remanet adhuc in homine inordinatio veluti quædam in relatione, quæ intercedit ipſum inter & Deum, quam inordinationem poſtulat rectus ordo, proportionaliter ſaltem, & quantum poſſibile eſt ab homine auferri, vel temporalem omnem ſuſtinendo pœnam, vel mitiorem adimplendo a Sacerdote diſpenſatore veniæ injunctam in compenſationem graviori peccato debitam & in aliquam ſatisfactionem injuriæ per peccatum Deo illatæ.

208. Obj. 1. D. Auguſt. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 14. hujus vitæ ærumnas ante remiſſionem quidem docuit eſſe ſupplicia peccatorum, poſt remiſſionem vero certamina, exercitationeſque juſtorum. In Pſal. vero 31. & 54. dicit peccatum tunc tegi, quum Deus non vult illud punire. Ex eodem objiciunt illud vulgare: *Impium eſt dimidiam a Deo ſperare veniam*: quod lib. de vera & falſa pœnitentia cap. 9. habetur. Chryſoſt. in 1. ad Corinth. habet. Si noſtra tantum voluerimus agnoſcere peccata, liberos futuros ab hujus & futuri ſæculi pœnis. Similia habent alii *SS. PP.*

209. Reſp. Mentem Auguſtini fuiſſe, ærumnas hujus vitæ, ante remiſſionem peccatorum eſſe tantum ſupplicia, & pœnas, poſtea vero non ſolum ſupplicia, & pœnas pro peccatis quantum ad culpam remiſſis, ſed exercitationes etiam, & certamina juſtorum, in quibus dum verſamur, proficimus in virtutibus, Deumque magis promeremur. Revera S. Auguſtinus in Enchiridion num. 66. animadvertit parvulos poſt lavacrum regenerationis in diverſorum afflictione malorum cruciari, reſpectu quorum mala certe illa, nec paternæ admonitiones dici poſſunt, nec virtutis exercitationes; ſed ſolum pœnæ originalis peccati. Recte ſanctus iſte Pater libro 13. de Civitate Dei cap. 6. ait: „ Et mors quæ eſt pœna naſcentis, ſi proprietate, & juſtitia pendatur, fit gloria renaſcentis, neque aufert vocabulum pœnæ, quod auget meritum patientiæ; “ Libro autem de Civit. Dei cap. 1. ſcribit : Homines plerumque aperte, ſemper occulte luunt pro ſuis factis divinitus pœnas, ſive in hac vita, ſive poſt mortem; „ & cap. 20. Conſtitutum a Deo, ait, ut qui non erant paſſuri æterna tormenta, temporaliter, vel pro ſuis quibuſcumque vel quantuliſcumque peccatis affligerentur, vel propter intentas virtutes exercerentur malis: & libro 21. ejuſdem operis cap. 13. inquit: pœnas temporarias alii in hac vita tantum, alii poſt mortem, alii & nunc & tunc, veruntamen ante judicium illud ſeveriſſimum, & noviſſimum patiuntur; “ Itaque ex quo Auguſtinus præſentis ſæculi ærumnas eſſe dicat probationes, & exercitationes patientiæ, non inde tamen negat eſſe effectus etiam juſtitiæ.

210. Nullius tamen momenti eſſe teſtimonium deductum ex libro de falſa, & vera pœnitentia nonnulli ajunt, quod Auguſtino perperam tribuatur ille liber. Multi tamen eruditione inſignes eumdem Auguſtino aſſerendum eſſe autumant, ut legere eſt apud Labbæum in Diſſertatione hiſtorica de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Bellarminus, qui illum Auguſtino ſubducit, negari tamen non poſſe ait, ipſum antiqui, & probati eſſe Scriptoris. Dicimus ergo quod ſi integer inſpiciatur allegatus locus, patet apertiſſime, auctorem de illis loqui, qui quum in aliquo crimine perſeverarent, de alio tamen, vel de aliis criminibus veniam ſibi a Deo promittunt, quod cum fieri omnino non poſſit, propterea monentur, impium eſſe dimidiam a Deo ſperare veniam.

211. Similiter S. Joan. Chryſoſt. ſi conſulatur, evidentiſſime intelligetur, nihil aliud ipſum docere, quam hominem ſpontanea caſtigatione effugere temporalem peccati punitionem in hoc

vel

Digitized by Google

vel futuro in ſæculo infligendam. Contendit S. Pater punitionem hujus ſæculi, ſi cum altera, quæ nos in futuro manet, conferatur, vix punitionis nomen mereri; punitionem ideo temporalem futuri ſæculi vix aliquid eſſe, ſi cum ſupplicio gehennæ comparetur. Immo Chryſoſt. Catholicam doctrinam confirmat. Quum enim animadvertat, Davidem, poſt remiſſum peccatum, adhuc miſericordiam imploraſſe ne ſæviret judicium: itaque ſenſit peccato jam translato ne æternam ſubiret mortem, adhuc pœnam ſupereſſe temporalem juſto Dei judicio exigendam, niſi miſericordiæ imploratione, vel tota, vel ex parte avertatur. Statuunt igitur omnes Patres ad menſuram Divinæ erga pœnitentem miſericordiæ ceſſare pœnam peccato debitam, ſed numquam contendunt, ceſſante culpa, nullam reliquam eſſe ſubeundum pœnam.

212. Obj. 2. Peccata remittuntur virtute meritorum Chriſti; merita autem Chriſti ſufficientiſſima ſunt ad abolendam non ſolum culpam, ſed etiam omnem pœnam peccati: itaque nihil pro ea remanet ſolvendum: ſecus ſi Chriſtus non aboleret culpam ſimul & pœnam, plus nobis obfuiſſet inobedientia Adæ quæ culpam ſimul & pœnam invexit, quam profuerit obedientia Chriſti, quæ culpa remiſſa, pœnam relinquit ſolvendam.

213. Reſp. Merita Chriſti ſufficientiſſima quidem fuiſſe ad abolendam, non ſolum culpam, ſed etiam pœnam omnium peccatorum. Verum id non fieri, niſi illa nobis applicemus per Sacramentum, Baptiſmum præſertim, & pœnitentiam, quæ includit punitionem & caſtigationem in vindictam injuriæ Deo illatæ, quemadmodum docent Scripturæ, Traditio, Concilia, Patres. Chriſtus itaque Sanguinem ſuum pro omnibus fundens, univerſumque genus humanum redimens, cauſſam communem aſſumpſit, inſtituitque pro omnium ſalute remedia, quæ bonis operibus & pœnitentia a nobis poſtulant applicari. Neque verum eſt hoc pacto plus obfuiſſe nobis inobedientiam Adæ, quam profuerit obedientia Chriſti. Nam ut Paulus ait ad Rom. 8.: *Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Id enim quod in præſenti momentaneum eſt. & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, ut ſubdit Apoſtolus 2. ad Corinth. 4. Quapropter quum tolerata a nobis temporalis pœna, divinæ juſtitiæ debita, vel computata in ſatisfactionem ſacramentalem, anima non ſolum noſtra, ſed & corpus, ob Chriſti merita, coronam adeptura ſit immarceſcibilem, & incontaminatam in Cælis, hinc fit nobis plus profuiſſe obedientiam Chriſti, quam obfuerit Adæ inobedientia.

214. Contra eſt. Per remiſſionem culpæ homo redit in gratiam & amicitiam Dei; ſed amicus non exigit pœnam ab amico, cui injuriam condonavit: ergo multo minus Deus, cujus opera ſunt perfecta, & propterea cujus ipſe miſeretur, totaliter miſeretur.

215. Reſp. Quamvis amicus non exigat ab amico pœnam illam, quam condonavit, non eſt tamen contra amicitiæ legem, ſi ab eo quem recipit in amicitiam exigat id, quod juſtitia requirit. Etſi igitur Deus ablata culpa faciat ſibi hominem amicum: quum tamen ordo providentiæ & juſtitiæ poſtulet, ut temporalem aliquam ſaltem pœnam exigat ab eo, cui miſericorditer condonavit æternam, inde fit, ut tam felici permutatione hominis totaliter miſereatur, quum temporalem etiam pœnam facile ad eo redimere poſſimus ſacramentalis ſatisfactionis beneficio. Ex his autem patet reſponſio ad ſequens heterodoxorum argumentum. Si remiſſa culpa remanet adhuc ſolvenda pœna, quomodo Catholici docent, Sacerdotes recepiſſe a Chriſto poteſtatem abſolvendi ab omni culpa, & pœna? Reſpondetur enim, jure optimo dici Sacerdotes eam poteſtatem habere quia remittunt non tantum culpam, ſed etiam pœnam æternam peccato debitam, quin etiam in Sacramento Pœnitentiæ temporalem pœnam remittunt, ipſius commutatione in ſalutares aliquas pœnitentias, quæ adhuc relaxari per indulgentias poſſunt.

CAPUT XXII.

An revera homo poſſit, & debeat pro peccatis Deo ſatisfacere.

216. Loquimur hic de ſatisfactione imperfecta & inadæquata; certum enim eſt nullam creaturam, quamvis gratia, meritoque exornatam poſſe exhibere Deo perfectam, & adæquatam ſatisfactionem pro peccato, quod infinitam habet labem & turpitudinem, ob infinitam majeſtatem Dei offenſi derivatam. Sola Chriſti ſatisfactio pro nobis fuit perfectiſſima, quia ipſa ſola habuit conditiones ad exactam ſatisfactionem requiſitas. Sermo igitur eſt de ſatisfactione ſecundum qualitatem alicujus proportionis, quæ vel gratiam alterius includit, vel nulla rei & operis æqualitate nititur, ſed ſolum ejus qui læſus eſt miſericordia & liberalitate.

217. Hoc autem in ſenſu poſſe Deo pro peccatis hominem ſatisfacere, oſtendimus ex ſacris literis Proverb. 17. legimus. „ *Miſericordia & veritate redimitur iniquitas*; “ Danielis 4. „ *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* “ D. Paulus 1. ad Corinth. 11. *Si nos ipſos judicaremus, non utique judicaremur; dum judicamur autem, a Domino corripimur: ut non cum hoc mundo damnemur*; „ Jacob. 2. *Videtis igitur quod ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide ſolum*; “ hucque pertinent infinita ſcripturarum loca, quæ a peccatoribus præter converſionem mentis, & vitæ novitatem, exigunt

pœnitentiæ, & ſatisfactionis opera cujuſmodi ſunt jejunium, eleemoſyna, fletus, planctus, ceteraque quibus homines vindictam malefactorum exigere a ſe ſolent.

218. Sancti Patres de pœnitentialibus operibus tractantes utuntur vocibus, ſatisfactionis, redemptionis, ſolutionis, & compenſationis. Si voces iſtæ literaliter ſunt uſurpandæ dum agitur de ſatisfactione Chriſti, ut nobiſcum adverſus Socinianos contendunt Proteſtantes, cur literaliter accipiendæ non erunt dum agitur de ſatisfactionibus noſtris? Quod enim Chriſti merita fuerint infinita, noſtra vero prorſus exigua, id efficit quidem, ſatisfactionem a Chriſto oblatam, fuiſſe perfectiſſimam, omnino completam, & ſuperabundantem, ipſumque ſatisfeciſſe pro peccatis totius generis humani, & pro æterna pœna peccato debita: Verum id non efficit, noſtras ſatisfactiones, licet imperfectas, non eſſe tamen ex maritis Chriſti, ex liberalitate Dei, & virtute ſacramenti proprie tales, eo modo quo virtutes, & perfectiones quæ ſunt in homine, imperfectiſſimæ quidem ſunt, ſi conferantur cum Divinis perfectionibus, adhuc tamen habent veræ virtutis & perfectionis rationem.

219. Denique ut miſſos faciamus infinitos Canones, quibus præſcribuntur ſatisfactiones pro peccatis, unico contenti erimus D. Thomæ ratiocinio. Illud quod a nobis Deus exigit, non modo poſſibile eſt, ſed præſtari ab homine debet: atqui præcipit Deus, ut homo pro peccatis ſatisfaciat juxta illud Matth. 3. *facite fructus dignos pœnitentiæ*. Ergo homo poteſt, & debet pro peccatis ſatisfacere.

220. Obj. 1. Remiſſio peccatorum eſt omnino gratuita juxta illud Apoſt. ad Rom. 8. *Juſtificati gratis per gratiam ejus, per Redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu*: ergo pro ea nihil ſolvendum remanet, nec ſatisfaciendum, alioquin gratis omnino non haberetur. Revera nuſquam legimus Chriſtum & Apoſtolos ſatisfactionem aliquam pœnitentibus injunxiſſe. Hinc Ambr. lib. 10. in Lucam ſcribit: *lacrymas Petri lego, ſatisfactionem non lego*. Immo & ſatisfactionem excludere videtur Theophilactus in illud Apoſtoli ad Epheſ. 4. *Qui furatur, jam non furetur*; ubi ait: Non dicit Apoſtolus puniatur qui furtum fecit, ſed a malo deſinat; punire enim eſt fori judiciarii: dehortari vero a vitiis eſt Chriſti doctrinæ. Ergo neceſſaria non eſt ſatisfactio aliqua pro peccatis.

221. Reſp. Catholicos omnes profiteri gratuitam eſſe juſtificationem, quia gratis habemus a Deo, non ſolum Fidem, Spem, Charitatem, ſed etiam timorem, dolorem, deteſtationemque, dilectionem, & gratiam; vim & virtutem aliqua faciendi opera Deo per Chriſtum grata juxta illud ipſius Chriſti apud Joan. 4. *Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Opera vero ejuſmodi aliquo modo dicimus ſatisfactoria pro peccatis noſtris, & quia non acceptantur a Deo niſi per Redemptionem a Chriſto operatam, ideo dum conamur Deo pro peccatis ſatisfacere, adhuc tamen ab ipſo gratis juſtificari credimur, & fatemur.

222. Falſum vero eſt, nuſquam legi Apoſtolos ſatisfactiones aliquas pœnitentibus injunxiſſe. Numquid Paulus in actis Apoſtolorum non dicebat de ſe: Judæis & Gentilibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Dominum digna pœnitentiæ opera facientes? Nonne idem Apoſtolus 1. ad Corinth. 5. in nomine Chriſti Corinthum inceſtuoſum tradidit Satanæ in interitum carnis, juxta Ambroſium, Pacianum, Hieronymum, & Auguſtinum ſignificans pœnitentiæ labores, & moleſtiam, caſtigationes carnis & membrorum. Nonne D. Petrus in Actis Apoſtolorum capite 2. dicit Simoni Mago: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua*; & roga Deum ſi forte remittat &c. Deinde non omnia ſcripta ſunt, quæ Chriſtus & Apoſtoli geſſere, ſicut Evangelio, & Patribus admonemur: atque in rebus hujuſmodi Apoſtolica traditio, ſicut in ceteris maximam habere debet auctoritatem.

223. Ad Ambroſii locum reſpondemus ſatisfactionis nomine ibi intelligi debere excuſationem, ſive defenſionem facti: ejuſmodi ſiquidem in ſignificatione vox illa uſurpatur frequenter a latinis ſcriptoribus, & ſacris in literis. Revera poſt allegata verba ſubdit Ambroſius: *Quod defendi non poteſt, ablui poteſt*. Vult igitur Ambroſius Petrum ſe minime excuſaſſe, non negat vero ipſum egiſſe pœnitentiam. Teophilactus denique, ſi antecedentia, & conſequentia ejus verba conſulantur, ſtat pro catholico dogmate. Ea quippe ratione, qua Apoſtolus poſtquam dixiſſet: *qui furatur, jam non furetur*: mox ſubjunxit: *magis autem laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti*; quod ſane ad ſatisfactionem pertinet, ita Teophilactus in commentario poſt objecta verba ſubdit: „ Operetur bonum, neque id ſimpliciter, verum cum labore, ut conterat corpus, „ quod antea ex torpore mala didicerat, ac imperitatur aliis, ubi ante hac aliena ſublegerat: jamque aliis beneficentiam exhibeat; " quæ profecto verba apertam continent ſatisfactionis commendationem. Itaque dum Teophilactus docet noluiſſe Paulum puniri furem, de punitione loquitur, quæ fit a judice ſecundum leges civiles. Hujuſmodi punitionis genus non pertinet ad juriſdictionem interni fori, & Sacerdotum.

224. Obj. 2. Chriſtus pleniſſime ſatisfecit pro culpa, & pœna temporali etiam: ergo abſque injuria ſatisfactioni Chriſto non poteſt ſtatui humana ſatisfactio, præſertim quum bis non puniat Deus, & debitum plene ſolutum iterum exigi videatur injuſtum.

225. Reſp. Opera noſtra ſatisfactoria nonnun-

quam

quam derogare perfectiſſimæ ſatisfactioni Chriſti, quum pleniſſime quidem Salvator ſatisfecerit pro culpis, & pœnis totius generis humani, quantum ad ſufficientiam, non autem quantum ad efficientiam, quum non omnibus pretium ſanguinis ipſius applicetur, ſi: m enim pretium illud, quamquam per ſe ſe ſufficiens non applicatur Incredulis, & non pœnitentibus ad remiſſionem culpæ; proindeque nec ullius pœnæ. Sic nec pœnitentibus ita ſemper applicatur, ut totam deleat pœnam peccato debitam: ſed juſtitia Dei partem adhuc ſervat temporalem, remiſſa culpa ſæpenumero ſolvendam, niſi pro ea homo ipſe ſacramentali pœnitentiæ ſatisfaciat, atque hoc pacto compatiens Chriſto, conformis ipſi efficiatur. Audiamus D. Paulum ad Coloſſ. ſcribentem cap. 10. *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus quod eſt Eccleſia*. Non dicit Apoſtolus ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti In Chriſto; nihil quippe deeſt ipſi, quominus infiniti fuerint valoris: ſed dicit: *quæ deſunt in carne mea*, quia ſcilicet ut applicetur pretium paſſionis Chriſti requiritur conformitas membrorum cum capite. Paulus Colomeſius Anglicanæ Eccleſiæ vir, obſervationibus ſacris in Genevenſem ſcripturæ interpretationem, animadvertit græcum Pauli Teſtum verti debere potius, & poſſe: adimpleo ea quæ ſuccedunt paſſionibus Chriſti in carne mea; quo ſane loquendi modo veritas noſtra confirmatur; ſcilicet poſt ſolutum a Chriſto Redemptionis noſtræ pretium, ſuccedat oportet ipſius nobis applicatio quæ fit, dum poſt Chriſtum patimur, ut cum ipſo glorificemur. Neque illud urgendum eſt, quod eadem peccata iterum non puniat Deus; ſi quidem Chriſti punitionem, & ſatisfactionem pro nobis valituram eo ſolum facto, eaque lege acceptavit æternus Pater, ut ipſi nobis talem ſatisfactionem per bona opera & pœnitentiæ labores applicemus.

226. Ex difficultatibus imo duabus, quas hic adverſus nos opponunt Calviniani, ita contra ipſos argumentamur: Deus nobis remittit gratis peccata, & tamen Chriſtus pro peccatis noſtris ſatisfecit; Rogamus: nonne hæc pugnare dicunt Sociniani, ſcilicet peccata gratis a Deo remitti, & Chriſtum vere ſatisfeciſſe pro illis? Non pugnare tamen reſpondent Calviniani, quia Deus nobis gratis Chriſtum dedit, qui pro peccatis noſtris ſatisfaceret: itaque & nos non pugnare dicimus, gratis remitti nobis peccata, & adhuc nos ſatisfacere pro temporali pœna ipſis debita, quia Deus ex meritis Chriſti dat nobis vim, & gratiam ſatisfaciendi. Ex quo Chriſtus ex propriis atque indebitis ſatisfecerit pro culpa, & æterna pœna, ejus ſatisfactio fuit infiniti valoris, & ad ſtrictos juris apices exacta: at nos quum quidquid facimus operemur ex mera Dei per Chriſtum acceptantis liberalitate, & aliunde adeo imperfecti ſimus, propterea ſatisfactiones noſtræ pro ſola etiam temporali pœna inadæquatæ ſunt, imperfectæque licet veræ ſatisfactiones.

CAPUT XXIII.

Utrum unus poſſit pro altero ſatisfacere.

227. Affirmative reſpondetur ab omnibus Orthodoxis, quorum fundamentum eſt In communione ſanctorum, quam in ſymbolo fidei noſtræ confitemur. Efficit enim ejuſmodi communio, ut quemadmodum evenit in corpore naturali, fideles tamquam membra ejuſdem corporis myſtici, ſibi mutuo ſubſidia, actiones, & officia communicent, ut docet Apoſtolus 1. ad Corinth. 12. ideoque, & alii pro aliis ſatisfacere poſſint: quare idem Apoſtolus ad Galat. 6. inquit: *Alter alterius onera portate*. Et ad Corinth. 8. *In preſenti veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, ut ex illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum*. Et ad Coloſſ. 1. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus quod eſt Eccleſia*. Quem ſane locum Chryſoſtomus eum in ſenſum interpretatur, ut dicat paſſiones Pauli etiam poſt ejus mortem membris Chriſti prodeſſe. Et ſane Chriſtus Dominus Lucæ 16. monet divites, ut faciant ſibi amicos a quibus cum defecerint, recipiantur in æterna tabernacula. Et Matth. 10. ait: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet*. Ex quibus ſententiis Auguſtinus libro 21. de Civitate Dei cap. 9. docet quædam eſſe peccata, quæ ſic impediunt perventionem ad Regnum Dei, ut tamen ſanctorum Dei amicorum meritis impetrent indulgentiam, quod & Chryſoſtomus a priori ſententia facit homilia 35. in Geneſim.

228. Fuit autem hujuſmodi doctrina jam inde a primis Eccleſiæ Sæculis adeo recepta, ut Tertull. in libro de pudicitia, quem ſcripſit Montaniſta factus, nimiam hac in parte exprobraverit Catholicis indulgentiam, quod apud ipſos Martyrum merita, & paſſiones ſibi communicari paſſim ac temere auderent peccatores, aut in Idololatriam lapſi. Poſt Tertullianum vero Cyprianus ſermone de lapſis, quum de ſatisfactionibus ageret, aperte ſe credere fatetur, apud Deum judicem, plurimum pro ipſis valere merita Martyrum, & opera juſtorum. Hoc idem docuit Origen. hom. 10. in Numeros, proferens ejuſmodi ſcripturas: Libentiſſime impendar, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris, 2. ad Corinth. 2. Et ego jam immolor 2. ad Timoth. 4. Pro iis ergo, inquit Origenes, quibus ſcribebat impendi ſe, & immolari dicit Apoſtolus: Hoſtia autem quam immolatur ad hoc immolatur, ut eorum, pro quibus jugulatur, peccata purgentur. Et homil. 24. teſtatur, ſicut

ſicut agnum ad Chriſtum, ſic & cetera animalia purificationi deſtinata, referri poſſe ad aliquas perſonas, quæ per meritum Sanguinis Chriſti, purificationis aliquid humano generi conferunt. D. Gregorius Nazianzenus Orat. 20. quæ eſt in Machabæos, loquens de Martyrio Eleazari ſenis: prius quidem; inquit, pro populo ſacrificabat, & orabat; nunc autem ſemetipſum hoſtiam Deo perfectiſſimam ad totius mundi expiationem. Ambr. libro 5. in Lucam ita ſcribit: Si grave peccatum eſt quod pœnitentiæ lacrymis ipſe lavare non poſſis, fleat pro te Mater Eccleſia, quæ pro ſingulis, tamquam pro unicis filiis vidua Mater intervenit. Et libro 2. de Abel & Cain cap. 3. de Levitis ait: ſcriptum eſt, quod ſint Redemptiones eorum, eo quod & Sanctitate vitæ ſuæ, & oratione peccata plebis lavarent. Nec aliud voluit Auguſtinus quando infinitis prope in locis docuit peccata pœnitentibus remitti per ſpiritum Columbæ, ideſt per lacrymas, preces, & afflictiones piorum fidelium, qui ſunt in Eccleſia. Addi poſſet mos vetus, quo fiebat interdum, ut ſi quis periculo proximus pœnitentiam faciendi tempus non haberet, abſolveretur tamen a peccatis, ſatisfactionem vero, quam ſubire ille debuiſſet, in ſe reciperent cognati ejus qua ab iſtis peracta, non cogebatur iterare pœnitens illam, ſi forte convaluiſſet. Poteſt igitur unus pro alio ſatisfacere.

229. Obj. 1. Nemini redundant ſua merita juxta illud Matth. 28. *Ne forte deficiant & nobis, & vobis*; & illud Proverb. 11. *juſtus vix ſalvatur*. Chriſtus ipſe Lucæ 19. inquit: *Quum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus*. D. Paul. ad Rom. 8. ſcribit: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Accedit opera etiam juſtorum eſſe imperfectiſſima, juxta illud Pſalmi 142. *Non intres in judicio cum ſervo tuo Domine, quia non juſtificabitur omnis caro coram te*. Ergo nequit unus pro alio ſatisfacere.

230. Reſp. Nemini ſuperfluere, aut redundare opera ſua bona, in eo ſenſu, quo vitæ æternæ ſunt meritoria: inquantum enim ejuſmodi, quiſque plenam pro iis mercedem recepturus eſt, vitam ſcilicet æternam verum quatenus talia opera ſunt afflictiva, ſive penalia ac proinde idonea ad ſatisfaciendum pro peccatis, poſſunt eo ſenſu redundare, ſi ea juſtus ſubeat; aut innocens, & offerat pro fratris peccato, quemadmodum Chryſoſt. docuit homil. 22. ad populum Antiochenum ſcribens: Si major eſt lapſus tuus, major ſit lacrymarum tuarum torrens: ſi vero puritatem retines, aliis mutua lacrymas tuas, & pro lapſo fratre plora. Tunc autem ejuſmodi magis valet applicatio, quum fit per opera Eccleſiæ ſcribente S. Leone Pontifice ſermone 30. de jejunio decimi menſis: pleniſſime peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Eccleſiæ una eſt oratio, & una Confeſſio.

231. Neque oppoſitum evincunt ſcripturarum, aut PP. teſtimonia: vel enim loquuntur de illis qui adhuc peccant nihilque agunt, ut aliorum bona opera ſibi proſint, vel de operibus præceptis, non de ſpontaneis, & in proximi auxilium perpetratis, vel de juſtorum operibus, quatenus ſunt meritoria vitæ æternæ, non autem quatenus ſunt ſatisfactoria pro peccatis, vel de juſtitia noſtra procedente a viribus naturæ, non vero ab auxilio Divinæ gratiæ; vel de natura hominis vitiata peccato Originali, non vero ſanctificata donis Chriſti, vel de oblationibus, & ſacrificiis populi Judaici Idololatriæ ſcelere polluti; vel de ſpe & fiducia in operibus hominum improborum nullaque Chriſti gratia, & promiſſione fultis, vel de ſanctitate, & puritate noſtra relate ad immutabilem ſanctitatem, & puritatem Dei, & Angelorum. Denique ad avertendam ab hypocritis ſuperbiam, & inſinuandam etiam juſtis humilitatem. Ita, inquam intelligenda ſunt, quæ objici ſolent teſtimonia. Certum quippe eſt ſacras litteras, & SS. Patres frequentiſſime docere, multos peccatores ex Sanctorum Dei amicorum meritis, eam, quam ipſi ex ſe non poterant, conſequi indulgentiam.

232. Obj. 2. Nequit unus pro alio conteri; ergo neque ſatisfacere.

233. Reſp. cum D. Th. non eſſe parem rationem, eo quod ſatisfactio conſiſtat in actu exteriori, ad quem aſſumi poſſunt inſtrumenta, inter quæ ſunt etiam amici: Verum contritio actus eſt interior, ideoque ad ſolum contritum poteſt pertinere. Diſcrimen adhuc tamen inter eas tradere ex acutiſſima poſſumus D. Th. doctrina, ſcribentis, aliquas virtutes reſpicere tantummodo modum rationis; illas ſcilicet, quæ ordinantur præciſe ad rectificandam rationem operantis, quales ſunt virtutes ordinatæ ad temperandam iram, & concupiſcentiam; & ejuſmodi virtutes atque actiones taliter ordinantur ad efficiendum ſubjectum in quo ſunt, ut ab ipſo ſolum effici poſſint & debeant; nequeant vero ab alio ſuppeditari: At virtutes illæ quæ reſpiciunt etiam medium rei, habent operationes verſantes circa materiam exteriorem, quæ proportionem habeat ad externam perſonam. Hujuſmodi autem medium illud eſt, quod reſpicit juſtitia, cujus actus eſt ſatisfactio: ideoque poteſt unius juſtitia pro altero ſatisfacere; ponendo æquale, quemadmodum fit in pecuniario debito, non obſtante lege, quæ ſolutionem non exigit, niſi ab illis, qui debent. Nonne Chriſtus pleniſſime ſatisfecit pro æterna pœna peccatis debita? Itaque proportionaliter, poterunt juſti ſatisfacere pro aliqua temporalis pœnæ parte adhuc ab illis debita, qui in gratiam redierunt.

234. Obj. denique. Inter damnatas ab Alexandro VII. propoſitiones 15. ſic habet. Pœni-

tens.

Digitized by Google

tens propria auctoritate poteſt ſibi ſubſtituere alium, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat. Sed ſi poſſet unus pro alio ſatisfacere, non videtur quare damnanda foret iſta propoſitio. Ergo &c.

235. Reſp. ad hujus rei intelligentiam animadvertendum eſſe in Sacramentali pœnitentia duo diſtingui; & quatenus hujuſmodi pœnitentia ſatisfactoria eſt, & quatenus eſt medicina. Hac ratione nequit unus pro alio eam adimplere, ut recte docet D. Th. in ſupplemento. Bene vero quatenus ſatisfactoria eſt; ſi tamen auctoritate propria id non faciat pœnitens loquendo de Sacramentali pœnitentia, qui eſt ſenſus propoſitionis a Pontifice damnatæ; ſed de mandato, vel conſilio Confeſſarii, quæ etiam in re moderatione in confeſſariis opus eſſe graviſſime monet D. Th. Itaque ſenſus in propoſitione damnatus non ferit Catholicum dogma. Præſertim, quod non videtur probabile, Deum acceptare velle ſolutionem unius pro alio, ſi non etiam ille, qui pœnæ debitor eſt, ſaltem conetur pro modulo infirmitatis ſuæ Deo ſatisfacere velle ex parte, non ita in aliorum ſatisfactione confidens, ut ipſe quum poſſit, nihil agat, vel ita parum, ut pro nihilo reputetur. Ita quippe operans divino obedire non vult præcepto, ideoque ex aliorum paſſionibus fructum nullum percipere poteſt.

CAPUT XXIV.

De Tempore, modo, qualitate, & quantitate ſatisfactionis.

236. QUum de tempore, ſatisfactionis agimus, id præſtamus, ut intelligamus, num probe & rite conferatur abſolutio ante ſatisfactionem. Id nonnulli negavere, propterea quod olim ſatisfactum fuiſſe ante Sacramentalem abſolutionem, ſibi videre viſi ſunt publica in pœnitentia. Sed præter quam quod non mediocris imprudentia eſt, ut inquit Melchior Canus, ea quæ publica in pœnitentia erant præſcripta, ad hanc noſtram ſecretam accommodare penitus; & omiſſa eorum etiam opinione, qui publicæ pœnitentiæ ſubjectos, duplici abſolutione donatos fuiſſe tuentur, altera a peccatis, ante ſatisfactionem, altera a pœnis poſt opera ſatisfactoria; nonne & publici ipſi pœnitentes ſæpe numero ante decurſum pœnitentiæ, ſatisfecere abſolutioni, ob aliquam Eccleſiæ auctoritatem? Non igitur exiſtimabat Eccleſia valorem abſolutionis pendere a ſatisfactione jam peracta.

237. Revera, etiamſi votum, & deſiderium ſatisfaciendi pertineat ad eſſentiam Sacramenti, quia includitur in contritione, & attritione: actualis tamen ſatisfactio ad Sacramenti ſolum pertinet integritatem. Pro quo namque ſatisfacimus? Nil profecto minus: utraque enim nobis de peccato dolentibus, & habentibus propoſitum adimplendi mandata, ex infinito Chriſti merito & virtute clavium gratis remittitur, & condonatur. Satisfacimus igitur pro temporali pœna peccato remiſſo adhuc debita, itaque ſatisfactio noſtra culpam remiſſam præſumens, cur non poterit poſtponi abſolutioni? Jure igitur ac merito, quemadmodum in Synodo Cordubenſi 4. ſub Sixto IV. damnatus fuit Petrus Oxomenſis: ita Alexander VIII. eos damnavit, qui ſatisfactionem neceſſario, & ſemper abſolutioni præmittendam eſſe contendebant.

238. Circa ſatisfactionis qualitatem, convenit nunc inter omnes doctos, tribus primis Eccleſiæ ſæculis fuiſſe variam diſciplinam circa pœnitentes, eamque fuiſſe Epiſcoporum prudentiæ, caritati, arbitrioque relictam, quemadmodum aperte proteſtabatur Cyprianus Epiſtola 55. Quarto ſæculo, & ſequentibus, editi pluribus in Synodis fuere canones pœnitentiales, ita tamen, ipſi admiſſi, & recepti, ut Epiſcoporum adhuc eſſet in poteſtate rigorem illorum temperare, & moderari, quemadmodum ex Conciliis Nicæno, Ancyrano, Chalcedonenſi, necnon ex Baſilio, Chryſoſtomo, & ex hiſtoria Eccleſiaſtica temporum iſtorum patet. Medio ævo, varii editi ſunt pœnitentiales libri ad uſum diverſarum Eccleſiarum conſcripti, quin tamen ſatisfactiones in illis præſcriptas, ſive ante ſive poſt abſolutionem peragendas, ſemper præſtarent pœnitentes, qui Indulgentiarum beneficio opera pœnalia minoribus, & ſalutaribus pœnitentiis redimebant.

239. Quamvis vero non eadem ſemper fuerit erga pœnitentes diſciplina Eccleſiæ, diverſique fuerint pœnitentiales libri, diverſa operum injunctorum, & diſpenſationum ab eiſdem genera, idem fuit tamen ſemper Eccleſiæ ſpiritus, eadem mens, ſenſus idem, eademque doctrina, qua tradit, & ſtatuit, ſatisfactiones eſſe oportere proportionatas Criminum gravitati, & pœnitentium facultati, habita ratione temporis, perſonarum, circumſtantiarum, & conſuetudinum, quo ſane in negotio ſumma opus eſſe Chriſtiana pietate, & caritate, prudentia, & moderatione, quæ vitato rigore ſummo, & nimia indulgentia, nobis in exemplum propoſita ratione agendi D. Pauli, qui Corinthum inceſtuoſum pro criminis iniquitate pœnitentiæ ſubjecit, non tamen nimis diuturnæ, ne forte abundantiori triſtitia abſorberetur, ut ipſe ſcribit; 2. ad Corinth. 2. Nimius quippe rigor perdit aliquando pœnitentes, quemadmodum cum Cypriano ceteri PP. animadverterunt. Sic Hermas ſcriptor Apoſtolis coævus in libro Paſtoris prudenti admodum conſilio a deſperatione pariter, atque a confidentia arcere cupiens animos bonorum ita ubique ſermonem temperat, ut pœnitentiam interdum proponat, interdum occultet, modo offerat omnibus, modo quibuſdam deneget, aliquando ſemel, aliquando

ſæ-

Digitized by Google

ſæpius reſipiſcendi copiam lapſis faciat, atque adeo de reſtauratione eorum varie dicat.

240. Hoc agens de argumento Bened. XIV. lib. 11. de Syn. Diœc. cap. 11. habenda ſemper præ oculis docet D. Thom. verba quodlibeto 3. q. 13. art. 1. ſcribentis: *Videtur* ſatis conveniens, quo Sacerdos non oneret pœnitentem gravi pondere ſatisfactionum, quia ſicut parvus ignis a multis lignis ſuppoſitis de facili extinguitur, ita poſſet contingere, quod parvulus effectus contritionis in pœnitente excitatus, propter grave onus ſatisfactionis, extinguatur peccatore totaliter deſperante, unde melius eſt, quod Sacerdos indicat quanta pœnitentia eſſet ipſi injungenda, & injungat illi nihilominus aliquid, quod totaliter ferat, & ex cujus impletione aſſuefiat, ut majora impleat, quæ etiam Sacerdos ſibi injungere non attentaſſet; & hæc quæ præter injunctionem expreſſam facit, accipiant majorem vim expiationis culpæ præteritæ ex generali illa injunctione qua Sacerdos dicit: *Quidquid boni feceris, & mala quæ ſuſtinueris ſint tibi in remiſſionem peccatorum*. Hucuſque D. Th. cujus Doctrinam ſecutus eſt S. Carolus in inſtructione Confeſſariorum latine reddita a Paſſerino, & quam in praxi ſequendam docet Bened. XIV. loco allegato.

241. Pœnitentes ipſi in operibus ſponte ſusceptis, moderationem adhibere debent, ut monet S. Joan. Chryſoſt. Hom. 99. Tom. 5. ſcribens: *Salutaris ob admiſſa crimina triſtitia, ſi immoderata ſit, vel modum excedat, perniciosa ſit*. Et S. Th. 2. 2. q. 88. art. 2. ad 5. ſcribit: „ Maceratio proprii corporis, puta per vigilias, & „ jejunia, non eſt Deo accepta niſi in quantum „ eſt opus virtutis, quod quidem eſt in quantum cum debita diſcretione fit, ut ſcilicet concupiſcentia refrænetur, & natura non nimis „ gravetur. “ Ex quibus intelligit quiſque quid ſentiendum de illis verberonibus, qui ſpontanea & immani flagellatione, publicum per ſpectaculum de corio ſuo ludunt, adverſas quos viri doctrina & pietate fulgentes calamum ſtrinxere. Permitti poſſe non negant pœnitenti flagellationem, ſed tamen ſi fiant ea judicio ſuperioris imponentis talem pœnitentiam, ſi moderate fiant, ſine ſanguine, ſine ſcandalo, ſine oſtentatione. Contendunt viri iidem præclariſſimi, nihil quod cum verberonibus illis conſonet reperiri in ſacris litteris, vel Eccleſiæ Patribus, vel antiquis Monachorum inſtitutionibus vel Sanctis aliis, qui pœnitentia, frænandæque carnis arte præſtiterunt: immoderatam verberationem non licere pluribus evincunt: levem vero, & umbratilem, in effectus ducere fini pœnitentiæ contrarios. Sed de his obiter.

CAPUT ULTIMUM.

Colligitur explicatos actus conſtituere Sacramentum Pœnitentiæ.

242. Conſtat Sacramentum eſſe ſacrum ſignum ad producendam, aut augendam in in nobis gratiam a Chriſto inſtitutam: ejuſmodi vero eſſe deſcriptam pœnitentiam nemo negaverit, qui, in hucuſque explicata animum intenderit. Tridentinum enim actus pœnitentiæ vocat quaſi materiam hujus Sacramenti, non quod rationem veræ materiæ non habeant, ſed quia ejus generis materia non ſunt, quæ extrinſecus adhibeatur, ſicut aqua in Baptiſmo, Chriſma &c. quare nomine materiæ quidquid exterius ſenſibile eſt hic intelligitur. Quamvis autem Scoto viſum olim fuerit actus pœnitentis eſſe potius materiam Sacramenti, ab ejus opinione tamen ejus aſſeclas receſſiſſe teſtatur italicus operis de Sacramentis Chardoni interpres Scotiſta & ipſe. Solemnia demum verba a Sacerdote prolata ſuper pœnitentem habent rationem formæ hujus Sacramenti; ipſis enim Sacerdotes in actu ponunt, & exercent poteſtatem judicialem a Chriſto acceptam. Quare actio pœnitentis qua confitetur, & intimum de peccatis proteſtatur animi dolorem, & actio Sacerdotis ſollemnia ſuper pœnitentem verba recitantis, actiones, inquam, ejuſmodi ſimul unita & conjuncta, ſignum illud ſenſibile conſtituunt, quod ex Chriſti inſtitutione, & promiſſione inviſibilem adfert pœnitenti gratiam, & remiſſionem peccatorum.

243. Fuere tamen, qui manus impoſitionem huic Sacramento eſſentialem eſſe exiſtimarunt; ille enim actus inquiebant Sacramento eſſentialis eſt, a quo denominationem apud veteres Sacramentum accepit: atqui apud veteres Sacramentum Pœnitentiæ manus impoſitio paſſim dicebatur, ſicut Baptiſmus lavacrum aquæ, Euchariſtia panis; Ergo &c. Ritus inſuper a temporibus Apoſtolicis obſervatus in Sacramenti adminiſtratione Sacramentum conſtituit: atqui manus impoſitio a temporibus Apoſtolicis in Sacramenti hujus adminiſtratione fuit obſervata: ut conſtat ex Sanctis Patribus; Igitur &c. Et vero Ritus, qui nequidem in mortis diſcrimine omitti poterat, ex præcepto divino videtur ad eſſentiam Sacramenti neceſſarius. Sed impoſitio manuum reſpectu pœnitentium ne in mortis quidem diſcrimine omitti poterat, juxta Concilii Carthaginenſis canon. 47. ubi etiam legimus: Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Eccleſiæ acceperint non ſe credant abſolutos, ſine manus impoſitione reconciliatoria ſi reſipuerint. Itaque cum talis impoſitio manus ſuppleri debuerit, ſi fuiſſet prætermiſſa, habita fuerit oportet Sacramentalis neceſſitatis. Quid enim in abſolutione neceſſarium magis, quam id, ſine quo pœnitentes non poſ-

Digitized by Google

poſſunt ſe credere abſolutos? quid magis eſſentiale Sacramento, quam id, cui tribuitur Sacramenti effectus? Videntur id revera ſenſiſſe PP. Siquidem Optatus Milevitanus lib. 2. de Schiſmate Donatiſtarum eos ſic alloquitur: Dum manus imponitis delicta donatis. D. Auguſtinus lib. 1. de Baptiſmo cap. 20. habet: quomodo exaudit Deus homicidam deprecantem, vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum quibus manus imponitur? S. Leo, denique Epiſtola 92. cap. 99. ſcripſit de pœnitentibus: Poſſunt jejuniis, & manus impoſitione purgari. Quid plura? D. Cyprian. Epiſtola 16. Sine manu ab Epiſcopo prius ipſi impoſita Euchariſtiam pœnitentibus eſſe danda negabat. Tali ſiquidem ritu tribui ipſis inquiebat jus communicationis, ideoque reconciliationem. Hanc pœnitentialem manus impoſitionem plures Synodi præceperunt, ſequioris etiam ætatis tamquam ad valorem abſolutionis neceſſariam, proindeque materiam hujus eſſe Sacramenti TT. non pauci olim docuerunt, in Tractatibus paſſim allegatis.

244. Ejuſmodi rationes tamen neminem hodie removent a doctrina Tridentini; quid enim notius, quam quodcumque Sacramentum nomina ſortiri plura, non tam ex partibus ipſis eſſentialibus, verum etiam ex ritibus in Sacramenti adminiſtratione uſurpari ſolitis: ita igitur eſt de pœnitentia, & abſolutione, quæ cum aliquando daretur cum impoſitione manus, Sacerdotis ſuper pœnitente, appellata propterea eſt manus impoſitio, quin inde ſequi oporteat eam eſſe materiam hujus Sacramenti. Aliter ut omnia Sacramenta variis fuerunt nominibus donata, ita plures habuiſſent materias, quod nemo dixerit.

245. Incertum jam vero eſt, an a temporibus Apoſtolicis adhibita fuerit in reconciliatione pœnitentium manus impoſitio, & etiamſi uſurpatam fuiſſe poneretur, non inde recta illatio eſt, eam eſſe eſſentialem Sacramento. Multa ſiquidem ex Apoſtolica traditione in Sacramentorum confectione adhibentur, quæ tamen eſſentialia non ſunt, ut aqua in calice, & variæ preces Liturgicæ in Euchariſtia celebranda. Rurſus quum in decurſu pœnitentiæ plures non modo ab Epiſcopo, ſed etiam Clero adhibitæ fuerint olim manus impoſitiones ſuper eodem pœnitente, ut animadverterunt innumeri ſcriptores; aſſignari propterea non poſſet quænam earum fuerit eſſentialis. Accedit, ſacras non modo ordinationes, ſed & Confirmationis Sacramentum fuiſſe per impoſitionem manuum celebratum, & Exorciſmos, & curationes morborum, & alia plura, proindeque generali nomine impoſitionis manus aliquando fuiſſe appellata.

246. Quod itaque ritus ille in abſolutione pœnitentium non omitteretur olim, non oriebatur ex illa perſuaſione, quod abſolute crederetur ad eſſentiam Sacramenti ſpectans; ſed quia receptus id uſus Eccleſiæ poſtulabat. Neque etiam mirum, quod ſuppleri debuerit impoſitio manus, ſi omiſſa in reconciliatione pœnitentium fuiſſet. Nam & in præſens ſupplentur ritus & Cæremoniæ Baptiſmi, ſi omiſſæ fuerint quamvis accidentales ſint, & ad eſſentiam Baptiſmi non ſpectantes. Porro manus impoſitionem de qua objecti canones loquuntur, accidentales fuiſſe, ex ipſis canonibus elucet: Subſequebatur ſcilicet aliquo in caſu viaticum: itaque pœnitentes abſolutos præſumebant reſpectu Dei; licet addenda illa foret Cæremonia ut abſoluti viderentur coram Eccleſia; præſertim quum in objectis decretis ageretur de publica pœnitentia, deque peccatoribus publicis, qui excommunicati habebantur. Iterum vero monemus abſurdum Cæremonias omnes ad publicæ pœnitentiæ diſciplinam veterem pertinentes ad hodiernam transferre adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, quod arcana Confeſſione, & privata abſolutione celebratur.

247. Porro nec Patres manus impoſitione peccata deleri docuerunt. Optatus ſiquidem ait donata fuiſſe delicta iis, quibus manus imponebantur: ſed id non tribuit manus impoſitioni. Idem eſt Sancti Auguſtini ſenſus. Exaudit Deus Sacerdotem deprecantem ſuper eos, quibus imponit manus, illud verum eſt, ſed exauditur Sacerdos ille, non propter manus impoſitionem, verum propter orationem, quam fundit ſuper eos, quibus imponit manus; vel potius ob promiſſionem a Chriſto factam condonandi peccata illis, quibus ea remiſerint miniſtri ſui Sacerdotes. Idem dicito de ceteris Patribus, qui numquam docuere non remitti peccata ob ſolum defectum manus impoſitionis, ſed defectu diſpoſitionis in pœnitente, quemadmodum videmus ex Epiſtola 10. Cypriani, dolentis, quod crudo tempore, nondum exomologeſi facta; ideſt nondum manifeſtata contritione, nondum manu impoſita ab Epiſcopo & Clero, ideſt antequam publici nonnulli peccatores oſtenderentur abſoluti coram Eccleſia, fuiſſent adhuc tamen ad Communionem Eccleſiaſticam admiſſi. Remanet igitur, impoſitionem manus ſuper pœnitentem fuiſſe tantummodo pœnitentialem ritum olim uſurpatum in Concil. 4. Provinciali S. Caroli Mediolan. Archiepiſcopi, ſtatuentis, ut Sacerdos abſolutionem daturus manum elevet ad caput pœnitentis.

Digitized by Google

DISSERTATIO VI.
DE
INDULGENTIIS.
CAPUT PRIMUM.
Quid ſit Indulgentia.

1. Diverſæ ſignificationis eſt hoc nomen indulgentiæ tam apud humaniorum litterarum peritos, quam apud Theologos & Canoniſtas. Communior tamen ejus definitio. „ Indulgentia eſt actus clavium, „ ſive juriſdictionis ſpiritualis, qui eſt abſolu„ tio, ſive remiſſio pœnæ temporalis in foro Dei „ debitæ pro culpis remiſſis, quæ ab habente ad „ id facultatem, extra confeſſionem ſacramenta„ lem, ſoluta æquivalenti ſatisfactione de the„ ſauro Eccleſiæ, fit ex rationabili cauſa in ea „ quantitate, quam concedens in forma conceſ„ ſionis exponit “. Scilicet indulgentia eſt remiſſio pœnitentiæ in Sacramento injunctæ, aut injungendæ, facta extra Sacramentum ab eo qui poteſtatem habet clavium, per applicationem æquivalentis ſatisfactionis, ex theſauro Eccleſiæ. Hac in definitione omnes, juris Canonici periti, & Theologi conveniunt, præſertim autem in eo quod indulgentia ſit abſolutio, & remiſſio pœnæ temporalis facta, media ſolutione ex theſauro Eccleſiæ, ut docuit D. Thomas in 4. ſentent. diſt. 2. Vult enim ſanctus Præceptor, indulgentiam eſſe abſolutionem, non tamen puram, & ſimpliciter, ſed connotantem donationem de theſauro Eccleſiæ factam. Sic igitur habito genere indulgentiæ, ita aliæ definitionis particulæ explicantur. Quia enim indulgentia non remittit culpam, ſed eam ſupponit remiſſam; cum culpa vero ſimul remittitur pœna æterna, & ſaltem aliquid pœnæ temporalis, ideo non dicitur quod indulgentia ſit remiſſio culpæ, aut pœnæ æternæ, ſed ſolum pœnæ temporalis. Et quia indulgentia non ad forum externum contentioſum, ſed ad pœnitentiale pertinet, ideo non eſt pœnarum externi fori relaxatio, ſed eſt abſolutio a pœnis in foro pœnitentiali & Deo debitis; quia tamen in foro Dei ſtantur pœnæ aliquæ extraordinariæ a divina Providentia conſtitutæ, quarum aliquæ aliquando etiam irremiſſibiles ſunt, qualis fuit mors filii Davidis ex Berſabea primi, ideo indulgentia ab hujuſmodi pœnis non liberat, ſed ab illis, quæ pro lege ordinaria debentur pro peccatis. Imo, quia etiam in foro pœnitentiæ nonnullæ imponuntur, quæ medicinales ſunt, ab iis etiam non liberat indulgentia. Ad ejus valorem vero neceſſaria eſt in concedente facultas, & ordinario jure requiritur ad ejus conceſſionem juſta cauſa. Ut vero intelligatur indulgentiam diſtingui a remiſſione pœnæ extra Sacramentum factæ, utque manifeſtum ſit indulgentiam non eſſe puram, & mere liberalem pœnæ remiſſionem, adjectum in definitione eſt, fieri ipſam, ſolvendo æquivalens de theſauro Eccleſiæ. Quum denique aliquando ſit totalis remiſſio pœnæ, dictum idcirco eſt, per eam remitti pœnam in ea quantitate, quam concedens exprimit in forma conceſſionis.

2. Indulgentiæ nomen, aut potius rem ipſam dari concedunt heterodoxi, ſed diverſiſſimo a noſtris ſenſu, docentes nempe, condonata culpa & pœna æterna, nil ſupereſſe pœnæ temporariæ in hac, aut alia vita expungendæ; ſed Deum ex indulgentia, & largitate miſericordiæ ſuæ, utramque pœnam temporalem, æternamque, una cum culpa condonare intuitu meritorum Chriſti, quæ ſatis ſuperque ſunt ad perfectam cujuſcumque demum culpæ remiſſionem, & ſolutionem: quibus ex principiis Eccleſiaſticas omnes indulgentias tanquam gratuitæ, & plenariæ remiſſioni a Deo conceſſæ adverſantes, tanquam meritis ex ſatisfactione Chriſti, cujus copioſa fuit redemptio, injurias, & tanquam nundinationes ſacris in litteris damnatas, adverſantur. Si enim, inquiunt, merita, & paſſiones Chriſti abunde ſufficiunt remiſſioni omnium peccatorum, itaque non tantum fruſtra, ſed immo impie miſcentur merita Chriſti cum Sanctorum, ut ex iiſdem meritis communis Eccleſiæ theſaurus conſtituatur.

CAPUT II.
De Theſauro Eccleſiæ.

3. Nituntur indulgentiæ fundamento, nempe theſauro Eccleſiæ & clavium poteſtati. Eccleſiæ theſaurus nititur meritis Chriſti infinitis, & communioni ſanctorum. Quid igitur ſit ejuſmodi communio, paucis explicandum eſt. Sanctorum communio, quam nos credere profitemur,

ſemur, eſt ſocietas illa omnium Eccleſiæ membrorum, ſive in terris adhuc militantium, ſive in Purgatorio degentium, ſive regnantium in Cælo, tum inter ſe, tum cum Chriſto capite Eccleſiæ, de qua S. Joannes Epiſtola 1. cap. 1. ait: „ ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & „ ſocietas noſtra ſit cum Patre, & Filio ejus Jeſu „ Chriſto: ſi in luce ambulamus, ſicuti ipſe eſt „ in luce, ſocietatem habemus adinvicem, & „ ſanguis ejus emundat nos ab omni peccato.“ Propter communionem vero ſacramentorum, donorumque, & bonorum omnium ſpiritualium, ejuſdemque fidei, religionis, & pietatis profeſſionem, ſignificat communio Sanctorum, ſacrum ſuffragiorum commercium. Charitate enim, quæ non quærit quæ ſua ſunt, efficitur, ut quæcumque pie, ſancteque ab uno geruntur, ea ad omnes pertineant, illiſque proſint, quantolibet locorum intervallo ſint ab illo remoti. Jeruſalem mater noſtra ædificatur, ut civitas, cujus participatio ejus in idipſum, dicitur Pſalmo 121. ideoque cives omnes Sanctorum, & domeſtici ejus, ſive qui in Cælis Deo fruuntur, ſive qui in Purgatorio expiantur, ſive qui in terris adhuc militant ſancta ſocietate ita conjuncti ſunt, ut bonorum ſpiritualium ſit inter eos perfecta communio. Sanctique in Cælis cum Chriſto regnantes, fidelibus in hoc mundo peregrinantibus opitulentur eoſque ſuis apud Deum orationibus juvent: Pii vero in terris adhuc mortalem agentes vitam, & ſibi mutuo, & in Purgatorio piaculares pœnas luentibus ſuccurrunt orationibus, aliiſque bonis operibus, & præſertim ſacrificio pretii noſtri, cum pro ipſis ad altare Domini offertur. Bonorum igitur ſpiritualium, quæ fiunt, & facta olim ſunt in Eccleſia participes ſumus, quamdiu Eccleſiæ membra fuerimus. Quare propheta Pſalm. 118. ait: „ particeps ego ſum omnium „ timentium te, & cuſtodientium mandata tua“. Ideo Chriſtus nos orare docens, jubet, ut non ſibi unuſquiſque peculiariter a Deo quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem poſtulet, ſed ut veluti unius corporis membra, eodem animata ſpiritu, quod in communi cunctis expediat, a Patre luminum poſtulemus, dicentes: *da nobis, dimitte nobis, libera nos*. Ita D. Paulus, Epiſtola ad Corinthios II. eos dum hortaretur eleemoſynas pro pauperibus Chriſtianis Hieroſolymitana in Urbe degentibus erogarent, inquiebat: „ in præſenti „ tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat; ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ „ ſit ſupplementum“. Ubi ſpiritualem quorumdam Eccleſiæ membrorum abundantiam ex qua aliorum inopiæ ſpirituali ſubvenitur, ad communionem Sanctorum, quam in ſymbolo profitemur, ſpectare, adnotant interpretes.

4. Non juſtorum vero tantum, qui in hoc mundo vivunt juxta illud Numerorum 18. „ *pro populo deprecatus eſt Aaron & plaga ceſſavit*; *& Levitici* 4. *rogante pro eis Sacerdote propitius erit Dominus*; ſed eorum etiam maxime, qui ad vitam migraverunt feliciorem nobis orationes patrocinantur, & ſuffragantur merita. Charitate enim, quæ non quærit quæ ſua ſunt, efficitur, ut quæcumque pie, ſancteque ab uno geruntur ea pertineant ad omnes, illiſque proſint quantolibet remoti ſint temporis, & locorum intervallo, quod oſtendit Deus Iſaiæ cap. 37. dicens: “ *protegam civitatem iſtam propter me, & propter David ſervum meum* „. Quibus verbis Rex Ezechias admonetur, quod adeo juſtitiam diligat Deus, ut etiam poſteros Sanctorum hominum, non ſuo merito, ſed majorum virtute tueatur, inquit Hieronymus in allegatum Iſaiæ locum. Et D. Auguſtinus lib. 10. contra Fauſtum cap. 21. ait: „ populus chriſtia„ nus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate „ concelebrabat & ad excitandam imitationem, „ & ut meritis eorum conſocietur, atque ora„ tionibus adjuvetur“. D. autem Leo ſermone de Natali Apoſtolorum ſcribit; „ ſicut autem & „ nos experti ſumus, & noſtri probavere ma„ jores, credimus, atque confidimus inter omnes „ labores iſtius vitæ ad obtinendam miſericor„ diam Dei, ſemper nos ſpecialium patronorum „ orationibus adjuvandos, ut quantum propriis „ peccatis deprimimur, tantum Apoſtolicis me„ ritis erigamur“. Hujus igitur communionis Sanctorum, qui ab Eccleſia excluſi non ſunt participes ſiunt, non æqualiter tamen, ſed pro fidei quiſque ſuæ, & Charitatis menſura, de quibus plura, apud Natalem Alexandrum libro 1. Theologorum Dogmatum, & Moralium articulo 10.

5. S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi V. Tantam habet virtutem fides, ut non ſolum ille, qui credit, ſalvetur, verum etiam aliis credentibus, alii ſerventur. Non erat fidelis Paraliticus ille in Capharnaum; ſed hi qui ferebant illum, & per tectum funibus demittebant, illi credebant, juxta illud Matthæi 9. Videns autem Jeſus fidem non illius, ſed illorum, dixit Paralytico: ſurge; illi qui ferebant credebant, & Paralyticus potitus eſt ſanitate. Vis autem clarius videre; quod aliis credentibus, alii ſerventur: Mortuus eſt Lazarus, præteriit una, altera, & tertia dies, diſſoluti ſunt nervi illius, & putredo corpus illius occupavit. Quomodo potuit credere mortuus quatriduanus, & pro ſeipſo orare Redemptorem? Sed quod defuit mortuo hoc per germanas ſorores completum eſt; & tantum potuit illa ſororum fides, ut mortuus a porta inferni revocaretur (a).

CA-

(a) Prima Proteſtantium contra Indulgentias querela & difficultas in eo eſt conſtituta, ut de Theſauro

Digitized by Google

CAPUT III.

De Poteſtate, quam habet Eccleſia concedendi indulgentias.

6. THeſaurum ex juſtorum, ſanctorumque meritis, ſed præcipue ex meritis Chriſti infinitis conſtantem, credunt Catholici ab Eccleſia communicari poſſe, & fidelibus applicari juxta ipſorum exigentiam, & capacitatem, hancque applicationem, & communicationem vocant indulgentiæ conceſſionem; quia tamen poſt Waldenſes tum theſaurum illum tum etiam illius applicandi, & communicandi poteſtatem in Eccleſia eſſe negant hodierni heterodoxi itaque contra eos ſit

PROPOSITIO.

De fide eſt, dari in Catholica Eccleſia poteſtatem concedendi indulgentias ex theſauro meritorum Chriſti, & Sanctorum.

7. PRobatur id primo ex Chriſti ad Petrum verbis Matth. 16. „ tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper „ terram erit ligatum & in Cælis, quodcumque „ ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in Cælis: " iis enim verbis promiſſa a Chriſto fuit Apoſtolorum Principi poteſtas ligandi, & ſolvendi in ordine ad regnum Cælorum! Cum autem remittere pœnas in foro Dei debitas per conceſſionem indulgentiarum ſit quoddam aperire regnum Cælorum, ſequitur, Petro, & ſucceſſoribus ejus conceſſam fuiſſe poteſtatem indulgentiarum Epiſt. 11. ad Corinthios cap. 2. ubi ait Apoſtolus, ſe illi condonaſſe *in perſona Chriſti*, hoc eſt tanquam intuente Chriſto, & quod fiebat gratum, ac ratum habente.

8. Nonnulli Theologi inter quos Eſtius in 4. diſt. 10. §. 2. veritatem hanc ſatagunt confirmare ex indulgentia ab Apoſtolo Paulo conceſſa inceſtuoſo illi de quo ipſe loquitur 1. ad Corinth. Epiſt., cui ſcilicet de rigore injunctæ pœnitentiæ aliquid remiſſum voluit, ne forte nimia vindictæ aſperitate in deſperationem inductus, religionem Chriſtianam denique deſereret, in cujus interpretationis præſidium nonnulla adferunt Chryſoſtomi, Theophilacti, Theodoreti, Æcumenii, & aliorum teſtimonia in ſuis ad allegatam Epiſtolam Pauli commentariis. Verum ut Auctores alii animadvertunt, difficile eſt oſtendere Apoſtolum tunc remiſiſſe de pœnitentia inceſtuoſi illius per indulgentiam; cum pœna tunc Corinthio data fuerit in foro exteriori; ideoque & remiſſio fuit externi fori, ſicut etiam fuere indulgentiæ, ſive remiſſiones illæ de quibus habetur mentio in Conc. Nicæno ſeſſ. 11., in Carthagineuſi can. 25. in Neocæſarienſi cap. 3., Agathenſi cap. 6. Laodiceno cap. 1. & 2. indulgentiæ de quibus agimus in præſens pœnas remittunt in foro interno, Deoque debitas. Itaque directe magis probatur noſtra veritas ex uſu veteri, & praxi Eccleſiæ Catholicæ, quæ apud antiquiſſimos etiam ſcriptores proſtat, ut in libro Tertulliani ad Martyres, inque tot Cypriani Epiſtolis, præſertim vero 18. in qua ſcribit: „ qui libellum a „ Martyribus acceperunt & auxilio eorum adju- „ vari apud Dominum poſſunt in delictis ſuis ſi „ premi infirmitate aliqua, & periculo cœperint „ exhomologeſi facta & manu eis in pœniten- „ tiam impoſita, cum pace a Martyribus ſibi „ promiſſa ad Dominum remittuntur ". Idem habet ſermone de lapſis, aliiſque multis in locis, in quibus omnibus præconceptam oſtendit S. Doctor dogma de Theſauro meritorum Chriſti, & Sanctorum in Eccleſia, & in ea poteſtatem illum diſpenſandi, & applicandi (*a*).

9. Hujuſmodi de Theſauro Clemens VI. in Extravaganti, quæ incipit *Unigenitus* verba faciens, dicit: „ Chriſtum ſuperabundanti paſſione „ ſua-

---

ſauro Eccleſiæ nil ſe repeciſſe dicant in monumentis priorum Temporum præſertim quod articulus de communione ſanctorum, cui tota hæc indulgentiarum machina innititur, non anteſæculum 4. in ſymbolo quod Apoſtolicum dicitur occurrat. Sed quantum a veritate aberrant, ſatis laudata hactenus teſtimonia oſtendunt, quibus & ſanctam Eccleſiam & communionem ſanctorum crediciſſe ab iſtis Apoſtolorum temporibus, fideles certiſſimum eſt.

(*a*) Ejuſmodi diſpenſationem, & applicationem theſauri, pro clavium poteſtate fecerunt Epiſcopi, ab ipſo Chriſtianæ Religionis exordio, dum intuitu meritorum Chriſti, & interceſſionis Martyrum, vel omnem pœnitentiam, vel ejus ſaltem partem Pœnitentibus remiſere, quemadmodum non ſemel de Martyribus, & lapſis dicta in ſuperiore Tractatu facile oſtendunt; quare & Courayerius in adnotationibus ad librum 11. Hiſtoriæ Concilii Tridentini, Paulli Sarpii antiquiſſimum fuiſſe indulgentiarum uſum fateri non veretur, & ab ætate D. Thomæ ad noſtra uſque tempora nihil hoc in negotio variatum fuiſſe, quamvis ante Decretum Clementis VI. ob Jubilæum an. 1350 Doctrinam de theſauro Eccleſiæ habitam de fide fuiſſe neget. Verum ſtatim atque vetuſtiſſimus conceditur indulgentiarum uſus, æqualem antiquitatem habuerit oportet Doctrina de theſauro Eccleſiæ, quamvis non eiſdem, fortaſſe terminis expreſſa. Cur enim conceſſæ fuiſſent indulgentiæ, niſi primis etiam temporibus habita fuiſſet ratio meritorum Chriſti, & communionis Sanctorum?

Digitized by Google

„ ſua infinitum theſaurum Eccleſiæ militanti re„ liquiſſe, quem quidem theſaurum, ſubdit, „ non in Sudario repoſitum, non in agro abſcon„ ditum, ſed per Beatum Petrum cæli Clavigerum, „ ejuſque ſucceſſores, ſuos in terris Vicarios „ commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum. Ad „ ejus autem theſauri cumulum Beatæ Dei ge„ nitricis, & omnium electorum a primo juſto „ uſque ad ultimum merita adminiculum præſta„ re noſcuntur". Ex quibus aliiſque ejuſdem Pontificis verbis intelligitur hunc Eccleſiæ theſaurum præcipue fundari, & conſtitui in infinita, & inexhauſta magnitudine meritorum, & paſſionum Chriſti, hac enim ratione propriiſſime infinitus, & inconſumptibilis hic theſaurus vocatur. Fundatur etiam in meritis, & communione Sanctorum, quorum non pauci plura mala perpeſſi ſunt, quam eorum peccata propria mererentur, atque adeo ſuperabundarunt ſatisfactionibus, quibus cum non egerent ipſi, aliorum neceſſitatibus ſervatæ ſunt, & relatæ in theſaurum Eccleſiæ; non enim decuit, neque fieri potuit ut oblivioni traderentur coram Deo, apud quem nulla Sanctorum opera in oblivione ſunt.

10. Huc autem faciunt omnes ſcripturæ auctoritates, & Patrum teſtimonia producta ubi ſtatuimus unum poſſe pro alio ſatisfacere, ut illa etiam quæ ſuperiore capite retulimus; huc que faciunt perpetuus uſus, & praxis totius Catholicæ Eccleſiæ, ejuſque doctrina in jure Canonico, & hiſtoria Eccleſiaſtica, totque ſummorum Pontificum conſtitutionibus, qui indulgentias omni tempore conceſſerunt confirmata, quibus Theologica etiam accedit ratio: ſiquidem ſi Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus data a Chriſto poteſtas eſt, Pœnitentes obligandi coram Deo ad ſatisfactiones pro temporali pœna peccatis adhuc debita; ſequitur, eiuſdem ſucceſſoribus Apoſtolorum datam æque fuiſſe poteſtatem, qua tales ſatisfactiones idonea de cauſa remittere coram Deo valeant & relaxare. Nam in omni Republica Principes, & Magiſtratus habent poteſtatem non ſolum delicta puniendi, ſed etiam punitionem ex juſto motivo condonandi; hæc autem poteſtas eſt Eccleſiæ per quam utilia ad populi pietatem excitandam, ad ſtudium Chriſtianæ religionis promovendum, & ad eos quoque, qui abundantiori alioquin triſtitia abſorberentur, conſolandos, & juvandos. Quare jure, & merito Conc. Trident. ſeſſ. 25. eos anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe ajunt indulgentias, vel eas concedendi Eccleſiæ negant poteſtatem.

11. Obj. 1. Tametſi negari non poſſit theſaurus meritorum Chriſti; non videtur tamen in eo conſervari poſſe merita Sanctorum, tum quia nullibi legitur, quod intentio Sanctorum fuerit transferendi in cæteros merita ſuorum operum; tum etiam quia eadem plene remunerata ſunt, & magis remunerabuntur reaſſumpto corpore. Ergo &c.

12. Reſp. Cum D. Thoma in 4. ſent. quæſt. 1. quod ex eo quod juſti operantur propter Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem, ſalvatur eorum intentio, dum Eccleſia ſuperabundantia eorum merita utilitati fidelium applicat. Deinde nullus juſtorum eſt, qui ratione dogmatis de communione Sanctorum, ſalutis proximi ſollicitus non ſit, ejuſque cauſa perpetuo non oret. Tandem intentio illa nullo modo neceſſaria eſt, cum ſatis ſit Chriſtum ita inſtituiſſe, dediſſeque Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus poteſtatem communicandi, applicandique ſuperabundantes Sanctorum ſatisfactiones ad Eccleſiæ utilitatem.

13. Contra eſt. In veteri teſtamento nullus erat theſaurus, uti nec poteſtas eum diſpenſandi; ergo neque in novo, quia non magis nunc patiuntur Sancti ſupra meritum, quam olim.

14. Reſp. Theſaurum hunc, quatenus conſtat ex meritis Sanctorum, fuiſſe ab origine Mundi, ſive ut loquitur Clemens VI. *a primo juſto*; quia tamen ejus diſtributio non poteſt fieri, niſi per claves novæ legis proprias; ideo non potuit olim diſpenſari per indulgentias; idque rationabiliter, tum quod merita Chriſti, quæ ſunt primum fundamentum hujus theſauri, nondum erant actu exhibita; tum quod nondum patebat aditus in Cælum; tum quod omnia eſſent veteri in Teſtamento imperfecta.

15. Contra eſt. Atqui talem Eccleſiæ poteſtatem Chriſtus non tribuit. Ergo &c. Probatur Minor. Neque ex aliquo Scripturæ loco, neque ex antiquo Eccleſiæ uſu id colligitur. Quis enim ante S. Gregorium Magnum probare valeat remiſſas fuiſſe pœnas in foro Dei virtute indulgentiarum? Certe Tertullianus libro de pudicitia cap. 22. „ ſufficiat Martyri, inquiebat, propria „ delicta purgaſſe: ingrati & ſuperbi eſt, in alios „ quoque ſpargere quod pro magno fuerit con„ ſecutus" Ergo &c.

16. Reſp. Poteſtatem concedendi indulgentias Petro eſſe traditam non ſolum Matth. 6., ſed præſertim Joannis 21. his verbis: *paſce oves meas*: Ubi non ſola ea poteſtas data fuit Petro, quæ ad Eccleſiæ regimen neceſſaria eſt, ſed illa æque, quæ ad ejus conducit utilitatem. Ejuſmodi imo poteſtas etiamſi formaliter, & expreſſe in Scripturis non reperiretur, ex eiſdem colligeretur tamen. Quare adjuncta Eccleſiæ traditione, ejuſque communi intelligentia, acceptatione, & approbatione, certum, ratumque eſſe debet, poteſtatem concedendi indulgentias fuiſſe a Domino Eccleſiæ conceſſam; qua ſane auctoritate uſi ſunt Eccleſiæ Præſules temporibus Martyrum, & perſecutionum, quæ Gregorii Magni ætatem valde præceſſere.

17. Nullam vero vim ſumit oppoſitum argumentum ex verbis Tertulliani, qui librum de pudicitia ſcripſit factus jam hæreticus Montaniſta; quin potius ejus teſtimonium nobis omnino prodeſt, ſiquidem ex eo colligitur apertiſſime

mos

mos Catholicæ Eccleſiæ a Tertulliano ſugillatus, quo intuitu meritorum Martyrum concedebatur a Catholicis Epiſcopis relaxatio Pœnitentiarum lapſis, illaque ipſa venia, quam apud Deum Martyres ipſi conſecuti erant.

18. Obj. 2. Chriſti merita & paſſiones abunde ſufficiunt remiſſioni omnium peccatorum; ergo non tantum fruſtra, ſed impie imo miſcetur ſanguis ejus cum ſanguine Martyrum, ut ex eiſdem communis conſtituatur theſaurus meritorum; præſertum cum ideo theſaurus meritorum Chriſti inexauſtus eſt, quia ejus merita ſunt valoris infiniti; ſed hujuſmodi certe eſſe non poſſunt merita Sanctorum, cum finitum ſit oportet quidquid eſt in illis. Ergo &c.

Accedit Sanctos Patres hominem redemptionam, & remiſſionem peccatorum ita ſolius Chriſti morti, & Sanguini tribuere, ut eas a Sanctorum merito removeant. Ita Auguſtinus tractatu 84. in Joannem, & lib. 6. contra Julianum cap. 8. Ambroſius in fine libri 6. in Lucam, S. Leo Epiſt. 83., denique S. Thomas, qui in tertium Sententiar. q. 48. art. 5. ad 3. docet paſſiones Sanctorum proficere Eccleſiæ, non quidem per modum redemptionis, ſed per modum exempli, & exhortationis, juxta illud 2. ad Corinth. 2. ſive tribulamur pro veſtra exhortatione & ſalute. Ergo &c.

19. Reſp. 1. argumentum illud idem eſſe quod faciunt hæretici contra noſtrarum meritum ſatiſfactionum, ideoque eadem hic nos uti reſponſione, ſcilicet ex Doctrina Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. paſſiones Sanctorum totum id, quod valent ad redimenda fidelium peccata, non aliunde habere, quam per Chriſtum Jeſum, cujus gratiæ virtute Sancti omnia poſſunt, ideoque communem eorum gloriationem eſſe in Chriſto. Quamvis igitur meritum paſſionis per ſe abunde ſufficiat omnibus peccatis, & pœnis abolendis, voluit ille tamen, ſicut meriti, ita & ſatisfactionis dignitatem per eandem paſſionem ſuam aliis communicare: ſic etiam honorabitur quem Rex voluerit honorare. Hocque eſt quod docebat Origenes hom. 24. in numeros: dum igitur Catholici unum ponunt theſaurum meritorum Chriſti, & Sanctorum, non miſcent Sanctorum merita cum meritis Chriſti, quia ex iſtis neceſſario conſtare theſaurum Eccleſiæ docent; illa vero per accidens & ex Chriſti voluntate tantum & gratia in eo reperiri conſtituunt.

20. Nec vero a Scriptura ſacra alienum eſt in ſermone conjungere ea, quorum diverſiſſima eſt ratio; velut Exodi 18. „ Crediderunt Domino, „ & Moyſi ſervo ejus: “ & in Epiſtola ad Philemonem: “ Audiens Charitatem tuam, & fi„ dem, quam habes in Domino Jeſu, & in „ omnes Sanctos “. Sic legimus alibi: „ bene„ dicere Deo, & Regi, gladium Domini, & Ge„ deonis “ & illud Joannis 20.: *Sicut miſit me Pater & ego mitto vos*; & quod huic inſtituto propius inſervit 4. Regum 19.: *Protegam urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum*. Divus Paulus 1. Epiſtola ad Corinth. 3. de ſe, deque cæteris Apoſtolis ſcripſit: *Dei adjutores ſumus*. Itaque non repugnat communis meritorum Chriſti & Sanctorum theſaurus cum immenſo quod inter utraque intercedit diſcrimine *(a)*.

21. Ad id quod addebatur reſpondit jam Clemens Pontifex in Extravaganti his verbis: de cujus theſauri conſummatione, ſeu minutione non eſt aliquatenus formidandum tam propter infinita Chriſti merita, quam pro eo, quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad juſtitiam, tanto magis accreſcit ipſorum meritorum cumulus.

22. Hujuſmodi vero reſponſum Pontificis perperam ſugillant Heterodoxi, velut inde ſequeretur Sanguinem Chriſti per ſe non ſufficere, vel vim aliquando ſuam amiſſurum, niſi adjuvaretur meritis Sanctorum: quod numquam ſane excogitavit Pontifex, cum in conſtitutione illa ſua apertiſſime docuerit, vel modicam Sanguinis Chriſti guttam pro redemptione totius generis humani ſuffeciſſe, vocaveritque theſaurum hunc meritorum Chriſti inconſumptibilem, & infinitum, etiamſi nulla aliorum merita Sanctorum intercederent: Voluit igitur Clemens ſolum denotare augeri non cumulum meritorum Chriſti, ſed cumulum theſauri meritorum Chriſti extenſive ſcilicet, non intenſive; infinito enim unius generis aliquid alterius generis adjici profecto poteſt; idque divinæ bonitatis, & dignationis fuit, ut etiam redemptis ſuis merendi, redimendique aliquo modo tribuerit Chriſtus participationem. In hac autem dicendi, cogitandique ratione, quodnam timeri inconveniens debet? nullum ſane, niſi æque inconveniens aſſeramus Pauli dictum, & cogitatum primæ ad Corinth. 3. *Dei adjutores ſumus*.

23. Dicunt tandem: Sancti Patres remiſſionem peccatorum ita ſolius Chriſti paſſioni tribuunt, ut eam removeant a meritis Sanctorum; quod præ-

(a) Verum tota hæc argumentandi ratio ex ignoratione Doctrinæ Orthodoxorum orta eſt. Iſti quippe æternæ mortis pœnam peccatis noſtris debitam a ſola Chriſti morte, potuiſſe redimi fatentur; indulgentias autem in theſauro Eccleſiæ fundatas redimere poſſe ajunt a pœna tantum temporali, primum quidem ob Chriſti merita, deinde etiam ob Juſtorum ſatisfactiones ex communione Sanctorum vim ejuſmodi habentes.

Digitized by Google

præſertim præſtitit D. Th. qui in 3. ſent. qu. 48. art. 5. ad 3. docet, paſſiones Sanctorum proficere Eccleſiæ, non quidem per modum redemptionis, ſed per modum exhortationis, & exempli juxta illud 2. ad Corinth. 2. *ſive tribulamur pro veſtra exhortatione, & ſalute*. Ergo &c.

24. Reſp. Patrum doctrinam eſſe ejuſmodi: eas poſſe redimi operibus juſtorum quatenus hæc ſuperabundanter in illis affectiva, & ſatisfactoria fuerunt, vel ſunt, Sancti Patres docuerunt. Nullum certe quod expiare oporteret peccatum habuit Beata Virgo cujus tamen animam, ob paſſionem & mortem Chriſti doloris gladius pertranſivit: ipſius igitur pœnas offert Deo Eccleſia in compenſationem ſatisfactionis aliquando injunctæ, aut injungendæ in Sacramento pœnitentiæ pro temporali pœna debita peccatis.

25. Hunc autem ſenſum SS. Patrum dicta præſeferre dicimus, æternæ mortis pœnam peccatis noſtris debitam a ſola Chriſti morte potuiſſe redimi, & per ejus merita ab æterna morte liberari, nunquam autem meritis Sanctorum, quod certum ſane, ac perpetuum, & infallibile ſemper fuit Catholicæ Eccleſiæ dogma, profiteri non ceſſantis illud Apoſtoli ad Tim. 2. *Unus eſt mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus*. Verum indulgentiæ in theſauro de quo agimus nempe in Sanctorum etiam paſſionibus fundatæ pœnas reſpiciunt modo temporarias juſtificatis, ut in gratiam Dei reſtitutis adhuc debitas.

26. Ad D. Thomæ verba intelligenda audiendi ſunt Cardinalis Cajetanus, Medina aliique ejus diſcipuli, qui ex doctrina Sancti Præceptoris oſtendunt ſolum erui, paſſiones Sanctorum non proficere Eccleſiæ per modum redemptionis peccatorum, quia hoc eſt ſolius Chriſti, cujus paſſio ſuapte virtute, ſuoque merito nobis per ſe peccata remittit, & pœnam redimit æternam; interceſſio vero, & merita Sanctorum per modum ſupplicationis tantum redimere pœnam valent temporalem. Vel allegato in loco denotari voluit D. Thomas quid per ſe efficiant merita Sanctorum, quid efficere vero poſſint ex meritis, & gratia Chriſti. Per ſe igitur Eccleſiæ proſunt per modum exhortationis, & exempli; gratia vero Chriſti prodeſſe Eccleſiæ poſſunt per modum interceſſionis, & ſupplicationis, cum ſolus Chriſtus Eccleſiæ profuerit per modum veræ redemptionis.

27. Obj. ultimo. Unum ex præcipuis indulgentiarum fundamentis deſumitur ex remiſſione alicujus partis pœnitentiæ, quæ intuitu meritorum & interceſſionum, quas ii porrigebant, qui mox erant pro Chriſto morituri, concedebatur lapſis. Sed argumentum hoc nullum eſt. Ergo &c.

Probatur Minor. Ex Dodwello Martyres ſuis illis libellis, quos lapſis dabant non impetrabant reis communionem, & pacem, aut remiſſionem pœnitentiæ ab Eccleſia, ſed remiſſionem, & pacem illam ipſimet immediate concedebant. Nam, ut animadvertit idem Dodwellus diſſert. 8. inter Cyprianicas, ideo credebantur tunc martyres poſſe pacem illam, ſive remiſſionem pœnitentiæ lapſis, reiſque majorum criminum concedere, quia quatenus erant Martyres cenſebantur etiam eſſe Chriſti Sacerdotes, quia dictum erat in Apocalypſi eorum animas aſſiſtere ante inviſibile altare Dei. Deinde ideo pœnitentiam ab Eccleſia impoſitam remittebant, quia illis tribuebatur quadam prærogativa, & quoddam indulgentiæ privilegium, ad quod non ſemel reſpicit in ſuis ſcriptis Cyprianus, & quo pro moribus legum Romanarum, quarum formulas arbitratur Dodwellus fuiſſe aliquando in Eccleſiam inductas, erga pœnis obnoxios aliquid earum de ſeveritate poterant remittere. Solitos ſiquidem fuiſſe, ſubdit, imperatores aulicis quibuſdam ſuis eam gratiam concedere, ut reos poſſent, & quidem etiam capitis, pœnæ ab ordinariis magiſtratibus impoſitæ eximere; quod multis confirmat exemplis Romana ab hiſtoria derivatis. Non negat quidem ea omnia minime probata fuiſſe omnibus Epiſcopis, præſertim Cypriano; verum vult eos contra illam cogitandi rationem, quæ plus æquo liberaliores efficiebat Martyres, & lapſos audaciores, contendit, inquam, Epiſcopos reſpondere ſolum ſolitos fuiſſe, in illis etiam, quas principes concedebant, prærogativis, fuiſſe tamen caſus nonnullos ab ipſis principum reſcriptis, & legibus exceptos, in quibus legum potior habenda eſſet ratio, quam prærogativarum. Eos inter caſus reatum recenſebant majeſtatis, ad quem revocabant facinus lapſorum, indeque inferebant, martyres in libellis communionis, & pacis concedendis non adeo faciles eſſe oportere, præſertim relate ad illas, qui nullum adhuc dederant reſipiſcentiæ ſignum. Porro ſi martyres utpote Chriſti aulici, & Sacerdotes quadam juriſdictionis poteſtate pacem, & communionem lapſis dabant aut remiſſionem concedebant pœnitentiæ, illam utique non impetrabant ab Eccleſia.

28. Reſp. Nullius eſſe ponderis tum Dodwelli cogitatum, tum etiam deductum ex eo argumentum. Non primum; Nam etſi concedamus, lapſos nonnullos eam ad audaciam progreſſos fuiſſe, ut jactarent ſe pacem, & veniam a martyribus accepiſſe, jamque datam repræſentari ſibi ſuis a Præpoſitis concederent, nec pacem dandam a Prælatis Eccleſiæ poſtulaſſent, ſed quaſi jam datam a martyribus vindicaſſent ſibi, imo jam in cælis eam habere ſe dixiſſent, arbitrati communionem cum Martyribus eſſe ipſam communionem cum Chriſto, quia quum Martyres poſtquam coronati eſſent, reperirentur in cælis cum Chriſto, qui cum Martyribus communicaverat, jam communicarent etiam cum Chriſto, etiamſi inquam, concedamus hæc nonnullos impudentiores lapſos jactaſſe, nunquam ſequeretur tamen, Mar-

Martyres aliquam habuiſſe remittendi pœnas peccatis debitas poteſtatem, ſed ſolum deprecatos fuiſſe apud Eccleſiam ut remitterentur. In primis enim nullum erui poteſt idoneum argumentum ex falſa illa nonnullorum lapſorum, & audaci cogitandi ratione, quam valde reprehendit Cyprianus. Deinde nullum in Eccleſia invenitur monumentum in quo de poteſtate illa ſermo fiat; cum ex oppoſito agatur ſolum de meritis, & precibus, de commendatione, & interceſſione Martyrum apud Epiſcopos in gratiam lapſorum. Nonne ex Cypriano patet ſolitos tunc fuiſſe Diaconos circuire carceres, non tantum ut confeſſoribus ſuppeditarent neceſſaria, ſed etiam ut eorum deſideria & preces pro peccatoribus exciperent, quas poſtea deferebant ad Epiſcopos ut hi expenderent, an cum Evangelii legibus & Eccleſiæ diſciplina eſſent illæ preces, illaque deſideria cohærentia? Patet igitur ratio precum, & meritorum martyrum, non alicujus ipſorum imperii aut auctoritatis. Denique Cyprianus datas ab aliquibus martyribus indulgentias repulit, reſcidit, reprehendit; ab aliis vero humiliter petitas admiſit, conceſſit, & pro ſua auctoritate ſolum datas eſſe voluit, reprehenditque nonnullos aliquando martyres, quod propere nimis, & feſtinanter libellos illos ſupplices lapſis conceſſiſſent, certiſſimum auctoritatis ſuæ ſupra martyres indicium. Vel ipſe heterodoxus Joannes Fellis Oxonienſis Epiſcopus in notis ad Cypriani tractatum de lapſis, ſcribit: „ Revera de Martyrum ſuffragiis apud Deum magnifice ſentiebat „ Eccleſia; quanquam minime prætereundum, „ pacem hanc lapſis conceſſam a martyribus, „ ita ratam fuiſſe, ſi Epiſcopo ratio conſtiterit, „ quid poſt commiſſa egerint. Nimirum remittebant illi per modum impetrationis, non per „ modum ſatisfactionis, nedum abſolutionis in „ foro aut interiori, aut exteriori &c. “

29. Quam male vero ex verbis Apocalypſis audaciores illi lapſi argumentarentur, pœne videtur fateri ipſe Doduellus: cum enim cap. 6. Animæ interfectorum propter verbum Dei, dicantur a Joanne viſæ ſubtus altare, non debet colligi eas Sacerdotali munere fuiſſe functas, ſed munere potius victimarum, aut repræſentari tanquam victimas ſub altari, loco nimirum victimis ſacrificiorum deſtinato; an potius quam templum, quantum ad atrium exterius erat figura Eccleſiæ militantis, quantum ad interius Sanctuarium erat figura triumphantis, vidit tunc Joannes eos Martyres quantum ad corpora quidem in Eccleſia militante ſub altari holocauſtorum propter earum paſſiones, & cædes, quantum vero ad animas poſt mortem in Eccleſia triumphante ſub altari incenſi, ideſt in cælo hoſtias perpetuæ laudis immolantes Deo; quod iterum repræſentatur cap. 7. ſimilitudine quidem deſumta ex ſacris Judæorum ritibus, ſed cæleſtem modo indicante gloriam, ſacrificiumque ex puris affectibus conſtans. De qua re conſentiunt univerſi Apocalypſeos interpretes.

30. Nullum igitur allegatis in verbis fundamentum eſt ſacerdotalis alicujus in martyribus auctoritatis, neque ullus ſane nexus inter privilegium prærogativæ Romanorum, & prærogativas martyrum in Eccleſia, cum hac formula denotare ſolum vellet Cyprianus, ipſos haberi veluti amicos Dei, adeoque apud ipſum mereri potuiſſe aliquam fratribus ſuis lapſis indulgentiam. Hinc veriſſimum eſſe reperimus celeberrimi inter Proteſtantes Joannis Clerici judicium in notis ad ſuam Eccleſiaſticam hiſtoriam ad annum 180. ſcribentis. Doduellus non modo pro exploratis ſumit, aut ſibi concedi poſtulat quæ ſunt incertiſſima, ſed & ſubtilia paſſim deducit ex his conſectaria, quorum nexus cum principiis negari omnino poteſt, unde naſcitur conjecturarum incertarum, aut falſarum incredibilis numerus.

CAPUT IV.

Quibuſnam competat facultas concedendi Indulgentias.

31. POntificem Summum de jure divino, & poteſtate ſibi a Chriſto conceſſa poſſe concedere indulgentias de fide certum eſt ex locis Scripturæ allegatis, ex Apoſtolica traditione, communique, & perpetua Eccleſiæ Catholicæ praxi. Dubitatur vero an eandem auctoritatem habeat Concilium generale tempore ſedis vacantis, aut Pontifice non præſente; tum quia cum Concilium ſit tunc ſine ſuo capite, non videtur poteſtatem illam habere, quam Chriſtus ſpecialiter Eccleſiæ capiti, videlicet Petro, ejuſque ſucceſſoribus conceſſit; tum etiam quia nullibi adparet undenam talis poteſtas fuerit concilio tributa; imo neque ex uſu, & exercitio oſtendi id poteſt loquendo de indulgentiis in foro interno, & ob pœnas Deo debitas conceſſis. In Concilio quippe Lateranenſi in quo conceſſa fuit indulgentia pro recuperatione terræ Sanctæ aderat Summus Pontifex, qui eam conceſſit. Adferunt nonnulli quidem exemplum Concilii Baſileenſis. Verum duplex ejus ſtatus conſiderandus eſt. Præſidentibus adhuc legatis legitimum illud erat, nec deerat auctoritas Pontificis; quæ facta vero ſunt in fine, dum ſcilicet Acephalum evaſit, non ſunt attendenda. Quin & Egidius Camerius Decanus Cameracenſis in oratione illo in Concilio habita, non alio argumento oſtendit poteſtatem concedendi indulgentias eſſe in Eccleſia niſi quod eadem data fuiſſet Petro allegatis verbis.

32. Utrum autem facultas concedendi aliquas indulgentias Epiſcopis competat de jure divino controverſia eſt inter Theologos Orthodoxos. Nonnulli probabile id cenſent quod aperte probant tum ex verbis Chriſti Joannis 20., tum etiam ex illis actorum 20.: „ Attendite vobis,

„ & uni-

Digitized by Google

„ & univerſo gregi, in quo SS. poſuit vos „ Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acqui-„ ſivit ſanguine ſuo; “ tum denique ex jure Canonico, multiſque conciliorum decretis. Id ex oppoſito alii negant diſcrimen adferentes inter juriſdictionem fori pœnitentialis, & fori indulgentiarum, quarum prior neceſſitatis eſt, ſecus altera, ut ait Poſſevinus tract. de Indulgentiis quæſt. 85. Conveniunt omnes in eo tamen ut de jure ſaltem Eccleſiaſtico competat Epiſcopis facultas concedendi indulgentias, & quidem non delegata, ſed ordinaria, limitata tamen multis modis, & ex jure Canonico, quod fuſe ab eodem auctore ibidem, cæteriſque hoc de argumento pertractantibus explicatum eſt.

33. Jam vero ea ratione, qua Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, ita Archiepiſcopi ſuis in provinciis poſſunt indulgentias concedere, ut declaravit Honorius Tertius capite *Noſtro*. Cardinales autem, Patriarchæ, & Primates hujuſmodi poteſtatem non habent niſi quatenus ſunt Epiſcopi, aut. Archiepiſcopi, cum ex oppoſito Sanctæ Sedis legati in ſuis locis, ad quæ miſſi ſunt, talem habeant auctoritatem etiamſi Sacerdotes non ſint, quia indulgentiarum conceſſio non eſt actus ordinis, ſed juriſdictionis.

34. Communis equidem Doctorum ſententia eſt, neminem epiſcopo inferiorem poſſe indulgentias concedere, niſi Abbates excipiamus, Prælatos & habentes territorium, & juriſdictionem Epiſcopalem in ſubditos ſuos, cum id conſtitutum ſit jure poſitivo, neque conveniens videatur eorum ſubditos deterioris eſſe conditionis, quam ceteri fideles; quamvis vero nonnulli vicariis etiam capitularibus poteſtatem afferant concedendi indulgentias; negativam tamen oppoſitam opinionem in praxi ſervandam eſſe poſt congregationis Concilii Decretum ſtatuit Benedictus XIV. lib. de Synodo Diœceſana cap. 9., præſertim cum, licet hujuſmodi poteſtas non ſit ordinis, ſed juriſdictionis, eſt tamen juriſdictionis cujuſdam extraordinariæ ſoli dignitati Epiſcopali annexæ. Denique Monaſteriorum Præfectis auctoritas, de qua agitur, non competit, niſi forte ex commiſſione, quia ſimpliciter non ſunt Eccleſiarum prælati, nec in ſubditos ſuos eam quam Epiſcopi habent juriſdictionem. Quare Innocentius III. in Concilio Lateranenſi ſtricte prohibuit, ne quis Abbatum indulgentiarum litteras concederet, niſi forſan, ſubdit, quiſquam eorum ſpeciali conceſſione, vel alia legitima cauſa ſuper ejuſmodi valeat ſe tueri. Legitima autem cauſa juxta Gloſſæ interpretationem, præſcripta etiam eſt conſuetudo, quæ dat juriſdictionem.

CAPUT V.

De iis, quæ neceſſaria ſunt ad effectum Indulgentiarum conſequendum.

35. Nunc de diſpoſitione neceſſaria ex parte ſuſcipientis ad hoc ut indulgentia ſuum ſortiatur effectum pertractabimus. Primo igitur certum eſt, indulgentias ad ſolos fideles pertinere; in illis ſiquidem concedendis ſolent Pontifices expreſſe illas largiri utriuſque ſexus fidelibus, cujus ratio eſt, quia membra participare non poſſunt de ſpiritu vitæ corporis, deque bonis illius, niſi corpori ſint conjuncta; prima autem conjunctio hominum cum corpore myſtico Eccleſiæ eſt per fidem. Soli igitur fideles ſunt indulgentiarum capaces. Quamobrem nedum infideles non baptizati, ſed Apoſtatæ, æque ac Hæretici etiam occulti ſunt incapaces indulgentiarum, quæ in interna communione theſauri Eccleſiæ conſiſtunt.

36. Præter fidem vero neceſſaria eſt etiam Charitas ad effectum indulgentiarum conſequendum gratia ſcilicet juſtificationis, aut ſtatus gratiæ, ut cum Clemente VI. in extravaganti omnes ſtatuunt Theologi poſt D. Thomam in 4. ſent. diſt. 20. quæſt. 1. art. 5. aliiſque in locis. Peccator ſiquidem talis remanens indignus eſt, cui pœna remittatur, maxime per modum operis operati; neque enim tali de remiſſione præconcipi ſpes aliqua poteſt, cum nulla lex, aut promiſſio, aut congrua excogitari poſſit ratio, quare homini in Dei inimicitia perſeveranti pœna peccatorum condonetur, præſertim ope indulgentiarum quæ favorem continent ſolis Dei amicis concedendum.

37. Certum deinde eſt de fide culpam mortalem non remitti ſine infuſione gratiæ, gratiam vero non infundi niſi per Sacramenta vel in re, vel in voto ſuſcepta, certumque de fide eſt Sacramentum Pœnitentiæ eſſe neceſſarium ad obtinendam remiſſionem peccatorum. Certum denique de fide eſt ſola Sacramenta eſſe ſigna efficacia, & productiva gratiæ ſanctificantis. Itaque nulla eſt in Eccleſia poteſtas concedendi remiſſionem culpæ, per indulgentias extra Sacramentum.

38. Accedit, remiſſionem pœnæ temporalis ſupponere remiſſionem pœnæ æternæ: habenti ſiquidem reatum pœnæ æternæ, æterna quoque ſenſus pœna eſt debita. Indulgentia autem non habet vim remittendi æternitatem pœnæ, ſed ſolùm ex ſuppoſitione, quod ſimul cum culpa ablatus ſit æternitatis pœnæ reatus; tunc enim remanet pœna ſolum temporalis, quæ poteſt indulgentia remitti. Si enim neque virtute Sacramenti applicatur paſſio Chriſti ad redemptionem pœnæ temporalis in homine, qui mortali in pecca-

to perſeverat, multo minus obtineri id poterit virtute indulgentiarum (*a*).

39. Dices tamen: Tempore Cypriani remittebatur lapſis per indulgentiam pars injunctæ pœnitentiæ priuſquam reconciliarentur Deo per abſolutionem a peccatis; ergo ad effectum indulgentiæ obtinendum non cenſebatur tunc neceſſarius ſtatus gratiæ.

40. Reſp. Quod relate ad peccatores illos, qui abſolvi non debebant niſi expleta pœnitentia, concedebatur quidem aliquando ejus partis relaxatio ob martyrum merita, & per indulgentiam; verum hæc rata non erat apud Deum, niſi poſt obtentam Sacramentalem abſolutionem peccatorum; cum impoſſibile foret, ut in foro interno a temporali liberaretur pœna, qui a reatu æternæ nondum ſolutus erat, quod effici ſolum ſemper potuit virtute Sacramenti.

41. Inde jam vero eruitur quid cogitandum ſit de indulgentiis illis, quibus abſolutio a culpa, & pœna concedi dicitur. De eiſdem agit Benedictus XIV. lib. 13. de Synodo Diœceſana cap. 18. §. 7., illamque dicendi formulam quæſtionibus præteritorum ſeculorum tribuendam eſſe, aliquibus conjecturis perſuadere prudenter ſatagit, præſertim quod Cardinalis Cuſanus Apoſtolicæ Sedis per Germaniam legatus fidenter aſſerere non dubitaverit, Apoſtolicam Sedem nunquam conſueviſſe indulgentias impertiri ejuſmodi adhibita formula, & phraſi. Non ignorare ſe ſubdit Pontifex, aliquos extitiſſe olim Theologos, qui tales indulgentias abſolvere contenderent a culpa veniali, ſive peccata ſolum venialia delere in homine peccatore. Verum ſimul ſe noſſe ait, hujuſmodi ſententiam hodie antiquatam non cohærere ſanioribus Theologiæ principiis, ut præſtantiores Theologi oſtenderunt. Revera non remittitur culpa venialis ſine aliquo actu virtutis pœnitentiæ; hic vero actus in homine habente peccatum mortale cum venialibus, vel eſt

(*a*) Omnes omittimus non neceſſarias quæſtiones a Juris Canonici, & Moralis Theologiæ Profeſſoribus inductas, ut ea quæ proximius ad cognitionem Dogmatis ipſius pertinent, illuſtrare valeamus. Nulla tamen hoc de argumento quæſtio eſt magis digna viro ea, qua poſtulatur, an inter diſpoſitiones ad indulgentiam conſequendas illa etiam recenſeri debeat, qua pro peccatis ſatisfacere, adhuc conari teneamur; adeo ut qui id non præſtat minime conſequatur indulgentiæ beneficium: circa quod tres ſunt opiniones. Prima eſt Cardinalis Cajetani, qui Tomo I. Tractatu X. de ſuſcipientibus indulgentias quæſt. 1. hanc ponit theſim: indulgentiarum theſaurus illis minime prodeſt, qui tametſi ſint in gratia conſtituti, negligunt tamen per ſeipſos ſatisfacere; itaque ne indulgentia illis proſit neceſſaria eſt, præter gratiam, quam habent, diſpoſitio, & ſollicitudo ſatisfaciendi per ſe ipſos, quantum ſibi poſſibile fuerit, de injunctis pœnitentiis.

Ejuſmodi theſis præcipuam hanc ille adfert rationem. In qualibet bene ordinata Republica; quantumcumque rationabilis cauſa eſſet quandoque diſpenſandi communem theſaurum in cives gravatos ære alieno, negligentes tamen ſolvere, cenſerentur indigni adjutorio theſauri; ex eo enim, quod poſſent de ſe ſolvere, & non curarent, indignos ſe redderent tali beneficio. Sane niſi ejuſmodi negligentes pro indignis haberentur, foveretur eorum negligentia, ceterique eorum exemplo ad ſimilem negligentiam provocarentur. Legis autem eſt facere non negligentes, ſed virtute præditos; quare ſequitur, conſtitutum etiam in gratia, ſed negligentem per ſe ipſum facere quum poſſit, indignum ſe reddere beneficio indulgentiæ, quum poſtulet ratio amicitiæ ut amicorum ſit idem velle, & idem nolle; & propterea ſi quis, quum poſſit per ſe nolit ſatisfacere, par eſt ut amicus quoque non velit neque amice peteret ut ex bono alterius fieret id, quod ipſe præſtare deberet, ac poſſet.

Nonnullæ revera memorantur his principiis conceſſæ indulgentiæ. Baronius ſiquidem ad annum 1073. Numero 71. verba refert Gregorii VII. quibus ita Epiſcopo Lincolnienſi ſuorum indulgentiam peccatorum tribuit: „ Abſolutionem præterea peccatorum tuorum, ſicut rogaſti, auctoritate Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli fulti, tibi mittere dignum ducimus, ſi tamen bonis operibus inhærendo, commiſſos exceſſus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris“. Ad quæ ita Cardinalis Annalium Parens. Ut appareat Sedis Apoſtolicæ indulgentias illis communicari, qui quantum ſuppetunt vires, bene operari non prætermittunt; non autem ignavis, otioſis, & negligentia torpeſcentibus.

Altera opinio eſt Divi Bonaventuræ, qui licet in acquirente indulgentiam non poſtulet eam animi diſpoſitionem, & ſollicitudinem, qua præſtare conetur totum id quod poſſit, quare per opera pœnitentialia Deo ſatisfaciat; non aliam tamen acquiri docet indulgentiæ quantitatem, niſi quam obtinere valet diſpoſitio, capacitas, & fervor illius, qui acquirere eam pergit. Ita quippe ſcribit in IV. Sententiarum diſt. 20. „ Quantitas indulgentiæ menſuratur ſecundum rectum judicium ejus, qui indulgentias facit. Ille autem qui dat indulgentias, cum eas tribuit, conſiderat cauſam pro qua reputat eum dignum tanta gratia: & ſecundum quod plus, vel minus homines accedunt ad eam cauſam plus, vel minus participat de indulgentia. “ Concedo igitur, ſubdit D. Bonaventura, quod indulgentiæ quantum eſt ex poteſtate dantis, tantum valent, quantum promittunt, nihilominus tamen non cuilibet valent tantum, nec æqualiter omnibus; ſed ſecundum exiſtimationem ejus, quam habuit, vel habere debuit, qui indulgentiam fecit, quam non oportuit exprimere; quia omnes fideles debent illud in corde præſupponere, quod dona, & miſerationes Sancti Spiritus donent, cum æquo libramine. Hucuſque S. Doctor, cujus opiniones illuſtrat Eſtius in IV. Sentent. 20. diſtinctione.

Re-

Digitized by Google

eſt contritio cum voto Sacramenti , vel ſola attritio . Si primum ; Ergo remittitur etiam peccatum mortale, & reſtitutus eſt pœnitens in gratiam . Si ſecundum ; Ergo ſine Sacramento juſtificari non poteſt , ideoque gratiam non habet , ſine qua nullum neque veniale peccatum remitti poteſt .

42. Si qua igitur reperiatur indulgentia ſuperius allatis verbis expreſſa , nempe abſolutionis a pœna , & culpa , monet Sapientiſſimus Pontifex Epiſcopos, quorum eſt indulgentiarum privilegia in examen revocare antequam evulgentur , ipſos , inquam , monet , ut ſatis ſibi juſtam eſſe arbitrentur cauſam habendi ſuſpectas tales indulgentias . Quod ſi exhibitum conceſſionis cum tali formula privilegium agnoſceretur eſſe autenticum, tunc ſubdit , eſſe illud a prudenti Epiſcopo congrua interpretatione declarandum ; quemadmodum ibidem ipſe facit , qui indulgentiam ab Urbano III. datam , in qua concedebatur remiſſio venialium peccatorum , uti extat Tom. 3. Gloſſarii mediæ, & infimæ latinitatis Duchangii , Maurinæ editionis ad verbum *Indulgentia*, interpretatur de remiſſione acceptæ pœnitentiæ peccatis venialibus debitæ ; hanc confirmat interpretationem ex monumento Pontii Archiepiſcopi Arelatenſis , quod relatum legitur Tom. 3. Spicilegii Lucæ Dacherii , recentioris impreſſionis pag. 383.

43. Et ſane Theologi nunc omnes indulgentiam dicentem abſolvere a peccatis, ſignificare ajunt , abſolvere a temporalibus pœnis , quæ ſunt debitæ peccatis, quemadmodum apertiſſime indicant illa 1. Machabæorum 12: *Sancta ergo , & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis ſolvantur* , ideſt a pœnis peccatorum, ut ex loci exigentia, & ſenſu ſatis patet . Indulgentias vero dictas abſolvere *a pœna , & culpa* vel ſic exprimere ajunt , quod vi verborum illo-

---

Benignior opinio tribuitur D. Thomæ , qui in eumdem libri ſentent. locum quæſt. 1. ſcribit . „ Indulgentiæ ſimpliciter valent , quantum prædicantur , dummodo ex parte dantis ſit auctoritas , ex parte recipientis Charitas , ex parte cauſæ pietas , quæ comprehendit honorem Dei & Proximi utilitatem . Duplex enim clavis eſt , ordinis ſcilicet , & juriſdictionis . “ Clavis ordinis Sacramentale quoddam eſt, & quia Sacramentorum effectus non ſunt determinati ab homine , ſed a Deo , ideo non poteſt taxare Sacerdos quantum per clavem Ordinis in foro confeſſionis de pœna debita dimittat, ſed tantum dimittitur, quantum Deus ordinavit . Sed Clavis juriſdictionis non eſt quid Sacramentale , & effectus ejus arbitrio hominis ſubjacet : & hujus clavis effectus eſt remiſſio , quæ eſt per indulgentias, cum non pertineat ad diſpenſationem Sacramentorum talis remiſſio , ſed ad diſpenſationem bonorum omnium Eccleſiæ ; & ideo Legati etiam non Sacerdotes indulgentias concedere poſſunt . Unde in arbitrio dantis indulgentias eſt taxare quantum per indulgentias de pœna remittatur . Si tamen inordinate remittat , ita quod homines quaſi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur , peccat faciens tales indulgentias ; nihilominus quis plenam indulgentiam conſequitur .

Hæc D. Thomas, ex quibus aliqui inferri duxerunt poſſe , in eo qui acquirere pergit indulgentias, neque requiri eam animi ſollicitudinem , & diſpoſitionem , ut pro peccatis ſuis ſatisfacere velit , & præſtare totum id , quod poteſt , neque indulgentiæ quantitatem reſpondere pietati , & fervori illius , qui eam acquirere intendit , ſed arbitrio potius , & expreſſioni concedentis ; adeo ut impletis conditionibus , quibus conceditur indulgentia , ipſa ſtatim acquiratur .

Non deſunt qui D. Thomam hoc in loco non ut Auctorem ſententiæ ſuæ, ſed ut alienæ interpretem ita ſcripſiſſe tueantur, rati fore ut S. Præceptor ſe ad aliquam priorum recepiſſet , ſi poſtremam Summæ Theologicæ impoſuiſſet manum ; quin & eum intelligendum eſſe interpretantur de valore indulgentiarum , quantum ad aliqua privilegia , & facultates , quæ a ſolo jure pendent Eccleſiaſtico . Quod quum Prælatorum modo auctoritate conſtitutum ſit, poteſt æque abſque proportionata cauſa , & mediis facilioribus injunctis relaxari ; quamvis ipſi profecto peccent , adeo indulgenter operantes , non autem intelligendum de relaxatione pœnarum , quæ ſunt debitæ peccatis . Verum ſi probe intelligatur D. Thomas, haud video cur & ipſius opinio admitti non poſſit . Quid enim poſtulat obſecro in acquirente indulgentiam ? Præconcipit ſtatum gratiæ, & Charitatis, ſtatum amicitiæ cum Deo per Sacramentum rite ſuſceptum , aut Contritionem ex Charitate perfecta cum voto Sacramenti ; præconcipit hominem jam vita vivere ſpirituali , ut a viventibus Chriſti membris poſſit adjuvari . Deinde animadvertendum eſt Sanctum Doctorem loco citato docere , indulgentias datas indeterminate , ut ait dum ſcilicet dicitur , qui dat auxilium ad ædificationem Eccleſiæ , intelligi oportere tale auxilium , quod ſit acquirenti indulgentiam conveniens, quare juxta majus , aut minus auxilium , magis , vel minus de indulgentia conſequatur . Quo ex principio ſane ſequitur juxta D Thomam : etiam in mediis determinatis eum majorem accipere indulgentiæ quantitatem qui majori pietatis fervore, & affectu injuncta opera adimplet . Denique quum D. Thomas adeo urgeat quantitatem ſatisfactionis peccatorum gravitati correſpondere oportere , neque Pœnitentem aliorum ope adjuvari poſſe niſi ipſe quoque cooperetur , patet S. Doctorem poſtulare in eo qui acquirere cupit indulgentias eam animi diſpoſitionem , & ſollicitudinem qua quis ea , quæ per ſe ipſe poteſt præſtare omnia conetur , ut pro peccatis Deo ſatisfaciat , quare etſi ſpecie diverſi , ſe tamen vera Theologi omnes noſtri eumdem collineant in ſenſum , neque niſi ab iis , qui indulgentia digni ſunt acquiri eam poſſe conſequuntur .

Digitized by Google

lorum facultas ſimul concedatur indulgentiam lucraturis, ut aliquando poſſint ab ordinario etiam confeſſore abſolvi a peccatis reſervatis; vel intelligendas eſſe abſolvere a culpa præſuppoſitive, & indirecte, quia vel ſupponunt ipſarum occaſione acceptum jam a lucraturo indulgentiam pœnitentiæ Sacramentum; vel ad illud excitant & permovent, perque ipſum antea remiſſa culpa, per indulgentiam inde remanet remiſſa pœnæ pars, ſive pœnitentiæ. Revera nulla ejuſmodi invenietur conceſſa indulgentia, quæ non loquatur de *contritis*, *& confeſſis*. Nunquam igitur abſolute, directe, & ut ſonat, intelligi illa poteſt, formula, quia certiſſimum eſt, indulgentias quaſcumque abſolvere ſolum poſſe ab injuncta, vel injungenda pœnitentia illos qui reperiuntur in Statu gratiæ, & Charitatis.

CAPUT VI.

Utrum ad valorem indulgentiæ ſufficiat quælibet cauſa pia, vel potius neceſſaria ſit cauſa juſta, & proportionata.

44. SUfficere quamcumque cauſam piam nonnulli arbitrati ſunt; alii ex oppoſito tuentur indulgentiam datam ex cauſa pia ſemper validam eſſe ad aliquem effectum obtinendum, licet non ad tantum, pro quo conceſſa eſt, ſi cauſa non ſit ad illum proportionata; ſubdentes tamen, effectum creſcere pro gradu devotionis ſuſcipientis, adeo ut ita augeri poſſit ipſius pietas, ut ad conſecutionem totius indulgentiæ pertingat. Alii demum ſtatuunt ad indulgentiæ valorem neceſſariam eſſe cauſam proportionatam: id probat Eſtius in IV. ſentent. diſt. 20. §. 9.

PROPOSITIO.

Proportionata cauſa neceſſaria eſt ad valorem indulgentiarum obtinendum.

45. PRobatur ex celeberrimi Eſtii doctrina in 4. ſent. diſt. 20. §. 9. Pontifex, & Epiſcopi ſunt a Deo conſtituti diſpenſatores Myſteriorum Dei, ut legimus 2. ad Cor. 4. Inter myſteria vero illa theſaurus eſt Eccleſiæ, continens merita Chriſti, & ſatisfactiones Sanctorum; quare, & Pontifices erogationem hujus theſauri diſpenſationem vocant. Differt autem diſpenſatio a profuſione, ſive diſſipatione, quod illa fiat ex cauſa legitima, hæc vero temere. Itaque cumratam habere non poſſit Dominus bonorum ſuorum diſſipationem, ſed diſpenſationem ſolum, conſequens eſt, indulgentiam abſque idonea cauſa factam, eſſe irritam, præſertim quod Deus juſta de cauſa ſtatuit, pœnitentem remiſſa peccati culpa temporalibus adhuc obnoxium eſſe pœnis, earumque debitorem; proindeque abſque proportionata cauſa velle non poteſt eas remitti; ſi enim non poteſt Eccleſiæ præfectus ſine legitimo motivo obligationem ſolvere non ex peccato natam, ut in votis contingit, & in juramentis; irritumque id eſt coram Deo, ſi facere audeat, aut tentet; multo minus relaxare poterit pœnam propter peccatum debitam abſque cauſa rationabili. Denique indulgentiarum conceſſio eſt vera abſolutio; ergo ſicut in Sacramento non poteſt Sacerdos quemlibet abſolvere a culpa, ſed eum modo, qui fuerit abſolutione dignus, neque pœnam temporalem in quamlibet mutare; ſed in ea ſolum, quæ referatur ad qualitatem criminum, & facultatem pœnitentium, ita neque extra Sacramentum pœnæ reliquæ pro libito relaxari poterant; ſed ſolum pro juſta; legitima, & proportionata cauſa.

46. Confirmant id Theologi ex Clemente VI. in Extravaganti, & ex Leone X. in decreto ad Cardinalem Cajetanum miſſo adverſus Lutherum, qui ſuperfluas, indiſcretas, irrationabiles, & perniciofas illas vocant indulgentias quæ largius conceduntur, quam cauſa poſtulat, etiamſi pia ſit. Chriſtus enim, ut ipſi ajunt, Pontifici, & Epiſcopis commiſit ſuorum theſaurum meritorum fidelibus ſalubriter diſpenſandum. Non diſpenſatur autem ſalubriter, quod abſque idonea, & proportionata cauſa, abſque menſura, & moderatione diſpenſatur.

47. Hujuſmodi cauſæ variæ recenſentur a Theologis aut ex parte pœnitentium, aut ex parte Eccleſiæ. Ad priores ſpectant, quæ ſunt ad fidelium pietatem fovendam, augendamque neceſſariæ, quæ efficiunt ne pœnitentes abundantiori triſtitia abſorbeantur, cæteraque hujuſmodi. Ad alteras vero pertinent quæ ad Dogma communionis Sanctorum animis ingerendum faciunt, & ad magnas ducunt, urgenteſque Eccleſiæ, & membrorum ejus utilitates.

48. Obj. primo. Conſuetudo Eccleſiæ videtur eſſe ut eadem de cauſa aliquando major, minor aliquando indulgentia concedatur; imo non ſemel leviſſima de cauſa annorum millenorum indulgentia; ergo quo indulgentia ſuum conſequatur effectum; ſufficit ut pia ſolum de cauſa concedatur.

49. Reſp. Verbis Benedicti XIV. lib. 13. de Synodo Diœceſana cap. 18. §. 8. Reperiuntur quidem indulgentiæ millenorum annorum quæ conceſſæ a Pontificibus feruntur. Verum præterquam quod hujus generis aliquam inter fabellas;
,, refert Baronius ad annum Chriſti milleſimum
,, centeſimum decimum ſeptimum, Soto in 4.
,, ſent. diſt. 27. quæſt. 2. aſſerere non dubitavit
,, fuiſſe hæc omnia commenta quæſtorum. Eſtius
,, autem in eumdem librum ſent. diſt. 20. aperte
,, ait confictas commentitiaſque eſſe hujuſmodi
,, conceſſiones, ac nullatenus Sanctæ ſedi tribuen-
,, das. Denique Venerabilis Cardinalis Thoma-
,, ſius in commentario de conceſſione indulgen-
,, tiarum, poſtquam multa eruditione toto illo
,, ope-

Digitized by Google

„ opere demonſtraverit, quanta moderatione uſi „ ſint Romani Pontifices in indulgentiis concedendis, quas ſcilicet paucorum plerumque „ annorum largiri ſolebant, ſapienter concludit, incredibiles ac plane improbabiles eſſe „ conceſſiones indulgentiarum Millenorum annorum, eoque magis, quod aſſertæ conceſſiones „ plerumque ad ea referantur tempora, quibus „ maxime viguit præmemorata moderatio. Hucuſque Pontifex (a) “.

50. Negamus jam vero eadem pro opere notabiliter inæquales concedi indulgentias, niſi quatenus idem opus ſub diverſis circumſtantiis, & ad finem utilitatis publicæ relatum, cauſam conceſſionis præbet longe inæqualem; ut enim docet Cardinalis Cajetanus in ſuo de indulgentiis tractatu, cauſæ dignitas, & proportio non eſt ſolum & ſemel deſumenda ex ſubſtantia actus, ſed relate ad ejus circumſtantias. Viſitatio Baſilicæ *S.* Petri, ut exemplo utar, eadem eſt in præſens, ac anno Jubilæi ſi ſubſtantia actus reſpiciatur, non eadem tamen, ſi ratio circumſtantiarum habeatur, & Eccleſiæ utilitatis; anno quippe Jubilæi eſt profeſſio fidei, unitatis Eccleſiæ ſub uno viſibili ejus capite Petri ſucceſſore, ſecus vero extra Jubilæum. Ita etiam docet Angelicus fore, ut pro temporalibus ſimpliciter male darentur indulgentiæ, bene autem pro temporalibus ordinatis ad ſpiritualia, quemadmodum Eleemoſyna ad cultum Dei promovendum.

51. Contra eſt. *Si* ad virtutem indulgentiarum cauſa neceſſaria eſſet adæquata, & proportionata, difficillimum eſſet attingere punctum æquitatis; ergo ſatis eſſe videtur pia cauſa, ut Pontifices valeant arbitratu ſuo indulgentias concedere.

52. Reſp. nego ſuppoſitum, ſcilicet in proportione requiri omnimodam æqualitatem, & attingi debere punctum proportionis. Si enim id requireretur, jam indulgentia non eſſet abſolutio, ſed vera potius commutatio. In quo autem gradu præciſe ejuſmodi proportio conſiſtat definire facile non eſt, ſed *id* relinquitur Eccleſiæ Prælatis, quibus indulgentiarum concedendarum Chriſtus poteſtatem conceſſit, dijudicandum. Sane blateravere Hetherodoxi adverſus Plenarias Indulgentias ab Urbano II., Calixto II., Eugenio III., Clemente III., & Innocentio III., conceſſas, dum neceſſitas urgebat terræ Sanctæ a manibus hoſtium redimendæ. Verum præterquam quod maximi aderat momenti illius indulgentiæ cauſa ex parte illorum, qui ob liberandum ab infidelium manibus ſepulchrum Chriſti bona vendebant ſua, & patriam relinquebant, uxores, parentes, filios, & amicos, ut recte adhuc animadvertit Juveninus in ſua de indulgentiis diſſertatione, laborum pœnitentialium non levis pars ſudoribus, defatigationibus impenſis, quæ comitabantur tam arduam iter, exhauriebatur; ac proinde non fuerunt indulgentiæ illæ licet plenariæ totius pœnæ peccatis debitæ remiſſio, ſed ut ferebant antiqui canones, cum de indulgentijs egerunt, ejuſmodi potius pœnæ imminutio, & relaxatio.

53. Dignitas porro cauſæ indulgentiarum vix diverſa eſt a fine concedentis. Hujus autem intentio, & finis repeti ut plurimum ſolent ex directione operum ita injunctorum, qui lucraturi ſunt indulgentiam. *Sane* pro hodierna Eccleſiæ diſciplina in conceſſione omnium indulgentiarum injungit Pontifex opera quædam ſalutaria, & preces pro pace inter Principes Chriſtianos, pro extirpatione hæreſum, & exaltatione Eccleſiæ ſanctæ Dei; nullam autem excogitari poſſe crediderim cauſam maximis etiam indulgentiis concedendis magis proportionatam.

54. Obj. 2. Annua recurrente alicujus ſancti celebritate ingentes aliquando reperiuntur conceſſæ indulgentiæ, quin adæquatam, & proportionatam imaginari poſſimus earum cauſam, niſi quod hujuſmodi indulgentiæ ex theſauro Eccleſiæ procedant, qui conſtituitur etiam ex meritis Sanctorum. Ergo poſita poteſtate applicandi theſaurum illum, quæcumque pia cauſa idonea ad id videtur.

55. Reſp. Nego Antec., & conſeq. Reſpondent Orthodoxi veram quidem futuram fore difficultatem hanc, ſi theſaurus Eccleſiæ, ut conſtat ex ſatisfactionibus Sanctorum, poneretur neceſſarius ad beneficium indulgentiarum conſequendum. Aſt nunquam id a nobis cogitatum eſt, qui neceſſitatem ejuſmodi negamus; ſed ſolum ex quo per accidens in theſauro Eccleſiæ tales Sanctorum ſatisfactiones reperiantur, eas quoque nobis prodeſſe exiſtimamus. Ad effectum enim indulgentiarum ſufficere dicimus ſolam Chriſti ſatisfactionem; vimque & efficaciam indulgentiæ aliunde non pendere. Facit huc egregia Paſſerini doctrina in ſuo de indulgentiis tractatu quæſt. 5. ſcribentis: certum eſt theſaurum Eccleſiæ, ut conſtat ex ſatisfa-

(a) Sane animadvertit Joannes Dominicus Manſi, adnotatione in Diſſertationem 17. Sæculi 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Natalis Alexandri, animadvertit, inquam, ex Diario Stephani Infeſſuræ Scribæ populi Romani per illa tempora digeſto, menſe Septembri anni 1489. captos fuiſſe Romæ, & ſupplicio damnatos Dominicum de Viterbio Scriptorem Apoſtolicum, & Dominicum Franciſcum Marment, multoſque alios, eo quod quaſdam Bullas falſas fecerint. Hinc in indulgentiarum præcipue negotio, tot Romanis Pontificibus objecta, quæ non erant tamen niſi infidelitati Scribarum, & Quæſtorum arti tribuenda.

factione Sanctorum, non eſſe per ſe ſimpliciter neceſſarium, ut indulgentiæ concedantur; quamvis de facto ex quo in hoc theſauro etiam continentur hujuſmodi ſatisfactiones ex meritis Sanctorum, ut merita ſunt, ſed ex ſolo Chriſti merito, & ſatisfactione ipſius. Sicut enim remiſſio pœnæ, & culpæ, quæ fit in ſacramentis procedit ex theſauro ut conſtante ex meritis, & ſatisfactione Chriſti, ita ſi Sancti aliquid de ſuo conferant in ſubſidium aliorum, Chriſtus illud acceptare non dedignatur; ſed ſi illud deeſſet, ſufficerent ſola Chriſti merita, ejuſque ſatisfactio ad omnia peccata abolenda. Fructus igitur indulgentiarum non pendet a theſauro ut conſtante meritis Sanctorum ſub propria ratione meriti, quia ſub hac ratione nihil conferunt per ſe ad effectum indulgentiæ ideoque non ſunt per ſe neceſſaria ad indulgentiarum conceſſiones, Sancti quippe non meruerunt poteſtatem indulgentiarum concedendarum Eccleſiæ; ſed hoc Chriſtus meruit; nec meruerunt ut ſatisfactiones ſuæ pro aliis oblatæ acceptarentur, niſi ex meritis ipſius Chriſti. Itaque Sanctorum merita ſub meriti ratione non concurrunt per ſe ad effectum indulgentiæ, quia ſub meriti ratione fuerunt ſuperabundanter in illis remunerata, ſolumque per accidens id efficiunt, & quodam merito de congruo intercedendo, & impetrando nobis idoneas ad effectum indulgentiæ obtinendum diſpoſitiones. Quia igitur concedens indulgentias non poteſt præcipere Sanctis ut pro nobis intercedant, neque intercedendo indulgentiarum effectum infallibiliter nobis adferunt, ideo merita Sanctorum quatenus merita ſunt hoc præſtare non valent, ut propter leviorem cauſam concedatur major indulgentia, quia merita Sanctorum ad hoc applicari non poſſunt per ipſam etiam indulgentiam, ait allegatus auctor; quare cum ab Eccleſia theſaurus diſtribuatur neceſſario, & præcipue, non ex Sanctorum meritis, ſed ex merito, & fructu Sanguinis Chriſti conſtans, ſufficientem idcirco, & proportionatam per ſe poſtulat indulgentia cauſam, neque in commemorationibus Sanctorum abſque urgentiore motivo poteſt concedens a juſtæ diſpenſationis modo, & ab æquitate recedere legibus Eccleſiæ conſtituta.

56. Obj. 3. D. Thomas in lib. 4. ſent. diſt. 2. quæſt. 1. art. 3. ſcribit: quantitas effectus ſequitur quantitatem ſuæ cauſæ: „ Cauſa autem remiſſionis indulgentiarum non eſt alia, quam abundantia meritorum Chriſti, quæ eſt ſufficientiſſima ad expiandam totam pœnam & ideo quæcumque adſit cauſa, quæ in utilitatem Eccleſiæ, & in honorem Dei vergat, ſufficiens eſt ad indulgentias: ſed ad applicandum theſaurum requiritur auctoritas conferentis, & charitas ſuſcipientis, & cauſæ pietas, quibus tribus concurrentibus indulgentiæ tantum valent, quantum prædicantur". Ergo ut indulgentia ſuum obtineat effectum ſatis eſt quæcumque cauſa pia.

57. Reſpondent aliqui D. Thomam eo in loco non ut auctorem ſententiæ ſuæ locutum, ſed ut commentatorem alienæ, & arbitrantur fore ut S. Præceptor ſe retractaſſet, ſi de iis ſcripſiſſet in poſteriori ſummæ parte, quam morte præventus abſolvere non potuit. Alii tamen rectius ajunt D. Thomam nunquam docuiſſe quod objicitur in argumento; nam in 4. ſent. quæſt. 45. cum docuiſſet indulgentias poſſe concedi pro defunctis indirecte, ſive per actiones vivorum, ſubdidit: „ nec tamen ſequitur quod prælatus Eccleſiæ poſſit pro ſuo arbitrio animas a Purgatorio liberare, quia adhuc ut indulgentiæ valeant requiritur cauſa conveniens indulgentias concedendi ut ſupra diſt. 20. dictum eſt". Cauſa autem conveniens non dicit ſolam cauſam piam ex ſubſtantia actus, ſed piam reſpectu finis, & conceſſionis indulgentiæ. Quare hunc juxta ſenſum vult ipſe D. Thomas verba illa ſua eſſe intelligenda.

58. Contra eſt. D. Thomas in eundem 4. ſent. lib. hæc habet quod ſi Prælatus inordinate concedat indulgentias, ita ut homines quaſi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat concedens tales indulgentias; nihilominus qui eas accipit plenam conſequitur indulgentiam. Ergo &c.

59. Reſp. D. Thomam intelligendum hic eſſe de valore indulgentiæ quantum ad aliqua privilegia, & facultates verſantes circa ea, quæ a ſolo jure pendent Eccleſiaſtico, quod cum Prælatorum modo auctoritate conſtitutum ſit, valide poteſt etiam abſque proportionata cauſa ab iiſdem relaxari; quamvis ipſi certe peccent ita irrationabiliter operantes; non autem intelligi debet S. Præceptor de valore indulgentiarum relate ad relaxationem pœnæ debitæ peccato. Vel ſi ita verba illa interpretari non liceat, dicendum erit, ipſum tunc non propriam, ſed pro interpretis munere alienam explicare tantum voluiſſe opinionem.

Abſolvemus hoc caput verbis Cl. Eſtii qui in lib. 4. ſent. quæſt. 20. §. 10. poſt explicatam vim, & virtutem plenariæ indulgentiæ, qua ex ſe quidem, & ſecundum quod offertur ab Eccleſia talem eſſe fatetur, tametſi in facto non alium producat fructum, niſi quod ſibi poſtulat, & obtinere valet diſpoſitio, & capacitas, & fervor ſuſcipientis, iis, inquam, egregie explicatis, ita ſubdit: „ Porro ex hac ſententia ſic declarata non ſequitur, indulgentias in dubium revocari aut Eccleſiæ falſitatem adſcribi: cetera ut allegato loco ſubdit Eſtius: quamvis enim in diſcernendis indulgentiarum cauſis, ſicut & in diſpenſationibus, & judiciis, & in aliis quibuſdam poſſint errare Præfecti Eccleſiæ etiam ſupremi; quamdiu tamen error non eſt manifeſtus, præſumere debent fideles, ut

„ in

Digitized by Google

„ in aliis, ita & in indulgentiis concedendis re- „ ctum ab illis adhibitum eſſe judicium, quem- „ admodum bene admonet Cajetanus “ Hæc ille. Addimus nos, in aliqua conceſſione poſſe non exprimi totam cauſam, quæ tamen urgentiſſimam fortaſſe reſpiceret Eccleſiæ neceſſitatem, quam prudenter aliquando occultari neceſſarium duceret concedens; ideoque privati prudentiſque & pietate præditi hominis non eſſe in eam maligne inquirere, aut præcipitem ferre de rebus ejuſmodi ſententiam.

CAPUT VII.

De Indulgentia pro Defunctis.

60. CErtiſſimum eſt apud Orthodoxos indulgentias applicari poſſe cum fructu animabus in Purgatorio exiſtentibus, idque non ſolum ex communi totius Eccleſiæ praxi, contra quam diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt, inquit Div. Auguſtinus Epiſtola 118. exque Decretis ſummorum Pontificum præſertim Leonis X. in Epiſtola ad Cardinalem Cajetanum, Sixti IV. Innocentii VIII., Pii II., aliorumque. Hanc veritatem propugnat *S.* Thomas in 4. ſent. diſt. 45. animadvertens tamen neceſſe eſſe, ut Pontifex in conceſſione id exprimat cum indulgentiæ operari non poſſint, niſi juxta intentionem concedentis. Quæſtio tamen eſt an indulgentiæ hujuſmodi defunctis tribuantur per modum judicialis poteſtatis, & abſolutionis, an vero ſolum deprecative per modum ſuffragii, auxilii; aut ſolutionis Deo factæ per oblationem ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum ex theſauro Eccleſiæ, quem Deus dignatur acceptare.

De Purgatorio.

61. VIndetus inter Proteſtantes celebris in ſuo de vita functorum ſtatu, & Hebræorum, & Græcorum comparatis ſententiis concinnato Stromatæo Apoſtolico, ſeſſ. 8. ſtatuit nullam purgatorii mentionem fieri in ullo ſcripto Chriſtianorum ante Originem: ab illo Chriſtianos; a Chriſtianis judæos ſumpſiſſe; ſeſſ. vero 10. hæc habet: *Sancti Patres magno conſenſu docent animas malorum pœna damni tantum ante extremum judicii diem torqueri, unde inferat nullum concipi juxta Patres poſſe purgatorium.* Quæ duo tamen viro ejuſmodi argumentum tam diligenter ut gloriatur, meditato excidiſſe, imo fidenter adeo, ut effati inſtar prolata fuiſſe miror vehementer. Purgatorii antiquitatis defenſores provocare ad Originem docet æque *Svicerus* in Lexico ad vocem *ignis* ubi talem perſuaſionem primitus irrepere in Eccleſiam cœpiſſe Auguſtini tempore contendit; an ipſius, ſubdit, an alterius cauſa non ſatis certum: quum hic S. Pater ea de re aliquando aperte, & conſtanter, aliquando dubitans ſcripſiſſe videatur.

62. Verum quod ad primum attinet, communibus hic præconceptis, quæ noſtri feliciter urgent ſacrarum litterarum, liturgiarum, & traditionis fundamentis, ſi quod ad eſſentiam doctrinæ ſpectat juxta nos, ut adverſarii volunt, & candide fatentur, hic inquirimus, animas ſcilicet, niſi defæcatas, debitamque puritatem nactas in cœlum admitti non poſſe, ideoque ſtatum & locum dari, in quo divinæ juſtitiæ ſatisfiat pro temporali pœna remiſſo peccato plerumque adhuc debita, cur ab Origine auſpicari debeamus? Nam valde ante Originem ſcripſit Hermas librum *Paſtoris*, qui prope totus foret exſcribendus, ſi omnia teſtimonia, quæ ſtatum animarum purgantium, & temporalium pœnarum reſpiciunt, explicantque producere vellemus: quare patet Vindetum, & *Svicerum* non legiſſe ſuorum hominum judicia, quibus originem doctrinæ purgatorii tribuunt Hermæ Apoſtolicæ ceteroquin ætatis viro, cujus *Paſtor*, veluti canonicus prope liber Aſiaticis olim in Eccleſiis legebatur, & de cujus operis ſinceritate vel minimum dubitare duræ adeo frontis eſt, quemadmodum in Patribus Apoſtolicis Cotelerius evincit, ut in hac immorari quæſtione pudeat.

63. Rurſus ante Originem ſcripſit Tertullianus, qui tamen in libro de reſurrectione carnis ita habet: „ Nemo peregrinatus a corpore ſtatim „ immoratur pœnes Dominum, niſi ex Martyrii „ prærogativa, ſcilicet in Paradiſo, non in infe- „ ris diverſuras “. Eodem floruerunt tempore Origines, & Cyprianus, ita tamen ut poſterior hic aliquam prioris rationem habuiſſe videatur: ſuaque ſcripſerit, antequam Origeniana circumferri potuerint, & per Africam evulgari. Immo non ex aliis, quam ex ſacris litteris, & Apoſtolica traditione eruere ſolitus fuerit, quæ docebat Cyprianus, qui in Epiſtola ad Antonianum ſic ſcribebat. „ Aliud eſt cum gloria per- „ venire; aliud miſſum in carcerem non exire „ donec reddat noviſſimum quadrantem: aliud „ ſtatim fidei, & virtutis accipere mercedem: „ aliud pro peccatis longo dolore cruciatum „ emundari, & purgari diu igne: aliud peccata „ omnia paſſione purgaſſe “. Purgatorii etiam ſtatum in Irenæi, qui Originem profecto anteceſſit libro adverſus hæreſ. primo cap. 20. ſibi videre viſus eſt interpres ejus. Sed nos apertiſſimis Hermæ, Tertulliani, & Cypriani teſtimoniis erimus contenti, quare pateat erraſſe qui in nullo Chriſtiano ante Originem ſcriptore, mentionem Purgatorii extare contenderunt.

64. Alterum Vindeti cogitatum de Patribus magno conſenſu ſtatuentibus, malorum animas pœna tantum damni ante poſtremum judicii diem torqueri, ut rurſus Purgatorium neget, non minori laborat falſitate. Confundit enim hic Heterodoxus quæ ſunt omnino diſtinguenda. Quamvis

vis enim fuerint inter veteres, qui voraginem materialis ignis, tum animas malorum, tum Dæmones urentis poſt univerſalem tantummodo judicium futuram arbitrati ſint, nullus tamen eorum ſibi unquam perſuaſit malorum animas ante judicium poſtremum ſola damni pœna affici. Id ex Auguſtino intelligere eſt libro de Div. diſt. 21. cap. 10.: ubi explicans, quo modo corporeos ignis afficere, & urere Dæmones incorporeus poſſit, poſt plurima acutiſſime explicata, ita pergit: „ Dicerem quidem ſic arſuros ſine ullo ſuo corpore ſpiritus, ſicut ardebat apud inferos ille Dives, quando dicebat, crucior in hac flamma: niſi convenienter reſponderi cernerem talem fuiſſe illam flammam, quales oculi, quos levavit, & Lazarum vidit, qualis lingua cui humorem exiguum deſideravit infundi, qualis digitus Lazari de quo id ſibi fieri poſtulavit ubi tamen erant ſine corpore animæ. Sic ergo incorporalis & illa flamma, qua exarſit, & illa gutta, quam popoſcit, qualia etiam ſunt viſa dormientium, ſive in extaſi cernentium res corporales, habentes tamen ſimilitudinem corporum. Nam quum ipſe homo cum ſpiritu, non corpore ſit in talibus viſis, ita ſe tamen ſimilem ſuo corpori videt, ut diſcernere omnino non poſſit. Hæc S. Pater “.

65. In animabus igitur corpore expertibus corporeum veteres illi adhuc admittebant ſenſum, proindeque abſque corporeo, vel ante reſurrectionem, igne, corpoream & ſenſus pœnam pati poſſe admittebant. Quare non modo falſum eſt cunctos Patres corporeum ignem diſtuliſſe ad poſtremum judicium, quod ex obviis plurimorum PP. teſtimoniis demonſtratur: ſed etſi aliqui eam ita diſtuliſſent, adhuc perperam inferretur, eos propterea ad poſtremum uſque judicii diem pœnam ſenſus diſtuliſſe: quum non iſti modo, verum etiam illi ipſi, qui de materiali futuro igne, vel poſt generali judicium, dubitaverunt, maximam adhuc tamen ignis futuram in inferis pœnam ſenſus, & corpoream admiſerunt.

66. Quod ſeſſione 10. Purgatorium negaturus adjicit Vindeius Judæos nempe aliquos, Græcoſque, & Chriſtianos intelligere nunquam potuiſſe, quorſum dolor corporeus animabus corpore puris propinari debeat, infirmius adhuc eſt. Confundit adhuc hic quæſtiones de origine, & natura animarum, cum quæſtionibus de ipſarum permanentia, & ſtatu poſt mortem. Poſteriora hæc ſemper crediderunt Chriſtiani, quamvis eorum olim aliqui, ut ſenſibiles animæ affectiones poſt fata tuerentur, vel ſubtiliſſimum corpus, vel corporeum ſaltem vehiculum animabus craſſiore a corpore ſeparatis tribuerint, ut ex ſexcentis ſcriptoribus notum eſt. Qui vero totius corporis, & corporei vehiculi animam tunc expertem credidere, vel miris modis, divinaque virtute ignem poſſe agere in ſpiritum, vel imagine ignis tanquam in ſpiritu & viſione adhuc ſuſtineri pœnam ab animabus expertibus materiæ, ideoque ſine corporeo igne ſenſum adhuc ignis experiri ab anima poſſe docuerunt. Fuit ea, non vulgi dixerim, ſed plurium etiam ſapientum inter Ethnicos opinio eo facilior cogitatu, quo mortem cum ſomno conferebant. In quo inſomnia, & viſa corporeas res ita nobis repræſentant, ut veris, ſenſibilibuſque propterea in ſomno fruamur gaudiis, veriſque doloribus ſenſibilibus angamur, non ſecus atque vera nobis corporea, ac ſenſibilia ſe tunc ſiſterent objecta. Quare hac etiam de cauſa mors tot a ſcriptoribus dormitio, & ſomnus appellatur.

67. His poſitis intelligit quiſque quid ut conſtitutum cum aliis Patribus crediderit Auguſtinus, & de quo cum nonnullis fortaſſe aliis circa Purgatorium dubitaverit. Dubitavit fortaſſe de loco, de modo, de inſtrumento, deque pœnarum medio, & ſimilibus: ſed nunquam dubitavit animas nondum defæcatas aliquam pœnam ſenſus, ſive corporeum per ignem, ſive per ignis ſenſibilem imaginem, & viſionem antequam cæleſtem perveniat ad gloriam purgari. Sic videmus recentiores quoque Græcos Florentino in Concilio Catholicam doctrinam ſatis profiteri creditos, ubi dixere animas poſt mortem pœnis aliquibus purgari, etiamſi, ſive ignis, ſive turbo, ſive obſcuritas, ſive id genus aliud ſit, quod patiuntur, noſſe ſe, vel eredere oportere non putaverint. Latina Eccleſia verum ignem reſpectu animarum purgantium admittit. Sed nos ad explicandas indulgentias pro defunctis properemus.

PROPOSITIO.

Indulgentiæ in favorem Defunctorum per modum auxilii, & ſolius ſuffragii conceduntur, non vero judicialis poteſtatis & abſolutionis.

68. Probatur juxta omnium ſententiam Theologorum. Pontifex juriſdictionem non habet ſupra animas defunctorum: illa enim verba: „ tibi dabo claves regni cælorum, & paſce oves meas: “ quæ fundamentum ſunt ſpiritualis poteſtatis, & juriſdictionis Pontificiæ eandem limitant ad præſentem hanc vitam, in qua Chriſti oves paſci indigent, & poſſunt; igitur cum hujuſmodi Poteſtas ad defunctos minime ſeſe extendat, indulgentiæ ipſorum in favorem conceſſæ non poſſunt ſe habere per modum abſolutionis, ſed ſolum modo ſuffragii. Denique animadvertendum eſt indulgentias in favorem Defunctorum conceſſas, ipſis non tribui per modum judicialis poteſtatis, & abſolutionis, ſed ſolum deprecative per modum ſuffragii, auxilii, aut ſolutionis Deo factæ, per oblationem ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum ex theſauro Eccleſiæ, quem Deus dignatur acceptare. Quamvis enim Purgatorii animæ viventibus unitæ ſint vinculo fidei, & cha-

Digitized by Google

& charitatis, tamquam membra Corporis Chriſti myſtici, perque fidem ambulantes adhuc ſint quodammodo in vis, ultro ad Patriam tendentes: non tamen Viatores omnes ſunt ſubditi judiciali Eccleſiæ poteſtati, ſed illi ſolum, qui ſunt membra viſibilia ovilis Chriſti a Paſtoribus Eccleſiæ paſcendi, ad quos ſolum poteſt extendere ſe ſe eorum poteſtas judicialis. Indulgentia igitur pro vivis quum ſit actus juriſdictionis in Perſonam cui conceditur, eſt abſolutio judicialis per applicationem theſauri Eccleſiæ. Verum indulgentia pro defunctis, quum juriſdictionis actus eſſe non poſſit, nequit eſſe judicialis abſolutio, proindeque eſt mera ſupplicatio & oblatio ex theſauro Eccleſiæ, qua Deus obſecratur, ut Purgatorii animam a pœna liberet adhuc reliqua. Quare dum Pontifices concedunt vivis ut indulgentiam lucrentur pro defunctis nil præſtant aliud, quam opus pium deſignare a viro peragendum in ſuffragium Defunctorum.

69. Revera tametſi Purgatorii animæ viventibus unitæ ſint vinculo fidei, & charitatis, tamquam membra unius corporis myſtici dicente Auguſtino libro 10. cap. 9. de Civit. Dei: neque enim piorum animæ defunctorum ab Eccleſia ſeparantur, quæ eſt regnum Chriſti; qua de cauſa noſtris bonis operibus juvari poſſunt; & quamvis utpote per fidem ambulantes ſint quodammodo viatores ultra ad patriam tendentes, non tamen viatores omnes ſunt Pontifici ſubditi, ſed illi ſolum qui ſunt membra viſibilia ovilis Chriſti a Pontifice paſcendi, ad quos ſolum ſe ſe poteſt extendere ejus poteſtas judicialis. Itaque ita diſtinguenda eſt indulgentia pro vivis, & defunctis, ut vivorum indulgentia cum per modum ſit abſolutionis, ſit etiam juriſdictionis actus in perſonam cui conceditur, adeoque ſit abſolutio judicialis, qua ſcilicet Pontifex, ut ſuperior, & judex oblata Deo proportionata ſatisfactione de theſauro Eccleſiæ, ſubditum ſuum a reatu temporalis pœnæ abſolvit. Indulgentia ex oppoſito per modum ſuffragii non eſt actus in perſonam cui conceditur; ideoque abſolutio judicialis eſſe non poteſt, per quam quis a pœna liberatur, ſed eſt mera ſupplicatio, qua Pontifex offert de theſauro æquivalentem ſatisfactionem Deo, eumque obſecrat ut purgatorii animam liberet a pœna. Quare dum Pontifex concedit vivis, ut indulgentiam lucrentur pro defunctis, nil aliud præſtat, quam opus deſignare aliquod meritorium a vivo peragendum, illudque ipſe applicat in ſuffragium defunctorum.

70. Obj. 1. Videtur concedenda Pontifici judiciaria poteſtas in animas Purgatorii, ſaltem quantum ad illas ſolvendas; non enim obſtare poſſunt verba illa: *quodcumque ſolveris ſuper terram*, quia non referri debent ad objectum ſolutionis, ſed ad actum ſolvendi, ut ſenſus ſit, *quæcumque* ſolutio, quam dederis ſuper terram, accepta erit in Cælo. Nam ſicut verbum Chriſti; *& in Cælis* refertur ad ſolutionem ipſam, ita & ad eandem referatur oportet illud *ſuper terram*. Vel ſi judiciariam in defunctos poteſtatem non habet Pontifex, neque poterit indulgentias eorum in favorem concedere per modum ſuffragii.

71. Reſpond. Verba illa *ſuper terram* non referri modo ad actum abſolutionis, ſed ad ejus etiam ſubjectum, denotantque, Petro conceſſam fuiſſe ſolum poteſtatem, & juriſdictionem in viventes. Nec eadem eſt ratio de particula *& in Cælis*, quia ſubjecta materia id non patitur; neque enim ſignificare poteſt, Petrum poſſe ſolvere exiſtentes in Cælo, ſed ſolum abſolutionem ab ipſo hominibus in terra degentibus conceſſam, fore ratam & in Cælo nempe apud Deum. Et ſane ſi integram ſumamus Chriſti ſententiam, legimus: *quæcumque ligaveris ſuper terram erunt ligata, & in Cælo*. Sed Eccleſia, & Pontifex non poſſunt ligare niſi viventes, itaque ipſos etiam ſolum poſſunt vel ſacramentaliter, vel per indulgentiam abſolvere.

72. Porro ut Pontifex indulgentias per modum ſuffragii concedat, neceſſe non eſt ut juriſdictionem habeat in defunctos, ſed ſatis eſt ut a Chriſto poteſtatem acceperit in Eccleſiæ theſaurum; quo ſenſu verum eſt auctoritatem hujuſmodi ad poteſtatem clavium pertinere qua omnibus Eccleſiæ membris diverſo licet modo Cælum poteſt aperiri.

73. Contra eſt. Poteſtas concedendi indulgentias per modum abſolutionis continetur illis verbis: „ quæcumque ſolveritis ſuper terram erunt „ ſoluta & in Cælis “; itaque ſi Eccleſia concedere non poteſt defunctis indulgentias per modum abſolutionis, ſed per modum ſolius ſuffragii has non concedet ex vi illorum verborum. Alter igitur ſcripturæ locus eſſet producendus, vi cujus poteſtatem habeat deprecativas illas concedendi indulgentias; atqui allegata ſolum verba in medium afferri poſſunt, vi quorum indulgentias tribuit defunctis; eaque judicialem denotant poteſtatem; ergo etiam defunctos judicialiter abſolvit.

74. Reſp. ad concedendas indulgentias per modum ſuffragii non requiri ſpecialem poteſtatem, ſed hanc inferri ex poteſtate concedendi indulgentias per modum abſolutionis: cum enim ordo divinæ Providentiæ ſtatuerit, ut unus poſſit ſatisfacere pro alio (qua in re ſitam eſſe diximus communionem Sanctorum) poſito ſemel quod habeat Eccleſia auctoritatem diſpenſandi theſaurum ex infinitis Chriſti meritis, & juſtorum ſatisfactionibus conſtantem, conſequens eſt ut poſſit illum applicare in beneficium defunctorum, qui fide & charitate cum militante Eccleſia conjunguntur. Ex quo tamen hujuſmodi poteſtas e verbis allegatis eruatur, minime ſequitur propterea ut eodem modo, eademque ratione exercere il-

lam poſſit in defunctos, ac in viventes, ob momenta explicata.

75. Obj. 2. Innocentius III. in Cap. *a nobis ſeſſ. neque obſtat*, inquit non obſtantibus verbis illis *ſuper terram* Eccleſiam adhuc tamen aliquam exercere juriſdictionem in defunctos cum revera eos abſolvat ab excommunicatione. Immo Epiſtola XXV. Petri Cluniacenſis habetur abſolutio a peccatis Abailardi jam mortui; ergo poteſt indulgentiam defunctis Eccleſia æque concedere per modum abſolutionis, & judicii.

76. Reſp. Eccleſiam improprie ſolum, & indirecte exercere juriſdictionem erga defunctos, tanquam circa materiam, & objectum ſuarum operationum. Dum enim eos excommunicatione percellit, nil aliud facit, niſi declarare eos deceſſiſſe non abſolutos ab excommunicatione & monere fideles ne pro iis ſuffragia offerant, vel orent. Eadem vero ratione defunctum abſolvit ab excommunicatione, declarans ſcilicet, fideles pro illo orare poſſe; quare hoc pacto Eccleſia tunc poteſtatem exercet propriam circa proprium forum. Ex oppoſito cum pœna alterius ſæculi ſit defunctis debita in foro Dei, ab ea non poteſt Eccleſiaſtica poteſtas judicialiter abſolvere, ſed per modum oblationis ſolum & ſuffragii. Quod ſi aliquando abſoluti fuere mortui a peccatis, debet id tribui non Eccleſiæ, ſed nonnullorum opinionibus aliquo tempore vigentibus, & nondum ſolemniter Eccleſiæ judicio condemnatis.

77. Contra eſt. Animæ exiſtentes in Purgatorio dum in terris peccavere ſubjiciebantur Eccleſiæ; Ergo ratione peccatorum in terris patratorum poſſunt ab illa judicari adhuc, & abſolvi; quippe qui deliquit in territorio alicujus Principis, poteſt ab illo etiam extra territorium puniri, ratione culpæ in territorio commiſſæ.

78. Poſſe quidem Principem abſolvere ſubditum in alieno territorio exiſtentem, a pœna in proprio foro debita; ſed negamus poſſe illum in alieno territorio exiſtentem judicare, multo minus vero ſi pœna a ſubdito debeatur in foro alieno, a qua neque etiam poteſt illum abſolvere. Jam vero ſtatim atque aliquis deceſſit, non amplius obſtrictus eſt foro Eccleſiæ, ſed ſolum foro Dei; ideoque Eccleſia tunc poteſt ſolum Deum enixe deprecari, ipſique Chriſti merita, & ſatiſfactiones juſtorum offerre in pœnarum compenſationem, quas defuncti ſuſtinere adhuc deberent in ſuorum vindictam peccatorum.

79. Contra. Superior poteſt in alieno etiam territorio conferre ſubditis ſuis beneficium; ſed indulgentia eſt beneficium. Ergo &c.

80. Reſpondetur, ſuperiorem poſſe quidem in alieno etiam territorio ſubditis conferre ſuis beneficium, non tamen judicialiter, ſed ſolum per modum donantis, & diſpenſantis qua ratione poteſt alieno etiam in territorio beneficium conferre in ſubditum non ſuum. Hoc igitur pacto Eccleſia ſuffragando concedit indulgentiam defunctis, quæ tamen non eſt actus juriſdictionis reſpectu defunctorum, ſed reſpectu tantum rei donatæ, & viventium, quibus tribuit, ut opus ſalutare ab eiſdem perpetratum ita applicare valeant, ut defuncti æque aliquod conſequi poſſint indulgentiæ beneficium.

81. Obj. ultimo. Indulgentia deprecativa non habet infallibilem effectum; ſed indulgentiæ pro mortuis habent infallibilem effectum, quia Leo X. ad Cardinalem Cajetanum dogmatice de illis ſcribens, indiſtincte, eodemque loquitur tenore, de indulgentia pro vivis, & defunctis; immo Clemens VI. anno 1350. Angelis Cæli mandavit peculiari Bulla, ut eorum, qui Hieroſolymitana in profectione deceſſuri eſſent, animas introducerent in Paradiſum; itaque præconcepit omnes indulgentias ſuum conſequi infallibiliter effectum. Dicitur alicubi etiam in Decreto, indulgentiam pro Defunctis eſſe actum judicialem; & revera eſt actus clavium, quare ea ratione, qua fit in diſpenſatione voti, concedetur ipſa quoque per modum abſolutionis; aliter enim actus ille clavium majoris non eſſet virtutis, quam qualibet privati fidelis deprecatio voluntaria eam applicantis in ſuffragium defunctorum.

72. Reſp. Inferiorem non poſſe infallibiliter liberare aliquem a ſententia, & pœna lata per ſuperiorem, etiam compenſando, & dando illi æquivalens, niſi ſuperior ſpeciali ſe promiſſione obligaverit, ad acceptandam compenſationem. Cum igitur Purgatorii pœna debita ſit animabus illis ex ſententia divini juris, quod longe ſuperius eſt poteſtate eccleſiaſtica, quamvis Eccleſia convenientem Deo offerat compenſationem; non inde tamen infallibilis eſt earum liberatio, quia nullum adeſt ea de re Dei pactum, nullaque promiſſio, quemadmodum hæc revera eſt reſpectu viventium: propterea que effectus oblationum Eccleſiæ in favorem defunctorum, totus a libera pendet divina miſericordia, & acceptatione, quam ſperare quidem poſſumus, ſed ponere infallibiliter certam non debemus (*a*).

73. Na-

(*a*) Sane Doctrina eſt Sanctorum Auguſtini, & Thomæ quam nobiles Theologi ſequuntur, non omnes animas in Purgatorio ante Chriſti mortem detentas, deſcendente ipſo ad inferos fuiſſe liberatas; ſed eas ſolum, quæ dum viverent, majori fide, charitate, & ſpe in liberatorem, ut tunc liberarentur meruerunt. Si igitur Chriſtus Pontifex futurorum bonorum, plenariam indulgentiam ſanguine ſuo partam non tamen omnibus induſit, exiſtimandum non eſt plenarias indulgentias animabus Purgatorii ab Eccleſia conceſſas; illis ad totius relaxationem pœnæ ſuffragari, niſi dum adhuc viverent, fide, ſpe, & charitate boniſque operibus ut ſibi indulgentiæ ad plenam ſuffragarentur liberationem, & veniam præſtiterint.

Digitized by Google

73. Natalis Alexander lib. 2. Theologiæ Moralis agens de indulgentiis regula 16. egregie probat quibuſcumque Purgatorii animabus plenariis indulgentia applicetur, non ideo a pœnis eas ſtatim liberari; nam cum Cardinali Cajetano hujus in confirmationem rei affert verba D. Thomæ 3. parte quæſt. 52. art. 8. ſcribentis ex teſtimonio D. Auguſtini in Epiſtola ad Evodium, quod ſibi objecerat non poſſe concludi; „ quod omnes illi, qui in Purgatorio erant, cum Chriſtus deſcendit ad inferos fuerint a Purgatorio liberati, ſed quod aliquibus eorum fuerit hoc beneficium collatum, illis ſcilicet, qui jam ſufficienter purgati erant: vel etiam qui dum adhuc viverent, meruerunt per fidem, & devotionem ad mortem Chriſti, ut eo deſcendente liberarentur a temporali purgatorii pœna. Quod ſi Chriſtus Pontifex futurorum bonorum (proſequitur Natalis allegatus) plenariam indulgentiam ſanguine ſuo partam illis dumtaxat animabus indulſit, quæ id ſingulari fide meruerunt: non eſt exiſtimandum plenariam indulgentiam a Chriſti Vicario animabus purgatorii conceſſam, illis ad pœnæ totius relaxationem ſuffragari, niſi fide, & ſollicitudine ad ſatisfaciendum pro peccatis, aliiſque piis operibus Deo hunc in finem acceptis, æternoque ejus conſilio prædeſtinatis, ut ſibi plenariæ indulgentiæ ad plenam liberationem ſuffragarentur, dum hic viverent, meruerunt. Ex quibus patet quid de Bullæ Sabbatinæ privilegio, & de altaribus privilegiatis ſentiendum, & dicendum ſit, & quanta ſobrietate prædicandæ ſint hujuſmodi indulgentiæ a viris religioſis, quibus Clemens V. in Concilio Viennenſi prohibuit in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ, ne in ſermonibus ſuis indulgentias pronuncient indiſcretas“. Hucuſque Natalis Alexander.

84. Jam vero ex Decreto Leonis X. ſolum habetur indulgentiam prodeſſe tam vivis, quam defunctis, ſervato tamen diſcrimine, quod intercedat oportet inter abſolutionem judicialem, & ſuffragium. Quum autem judicium ſuapte natura certum ſit, ſuffragium non item; cumque Leo aſſeruerit indulgentiam defunctis non prodeſſe niſi per modum ſuffragii, inferri non debet, ipſum exiſtimaſſe hanc infallibiliter, & ſemper ſuum conſequi effectum.

85. Clementis VI. Bullam, quam heterodoxi objicere non ceſſant; perperam ipſi intelligunt; ſi enim talis revera fuerit, nil aliud ſibi voluit Pontifex, niſi per Emphaſim, & energiam, aut imaginem, denotare quandam, animas illas pro quibus indulgentias acceptaverit Deus, Cælum ſtatim aſcendere Angelorum conſortio fruituras; ſic egreſſa e corpore anima, in communibus exequiis canere Eccleſia ſolet: „ ſubvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, ſuſcipientes animam ejus offerentes eam in conſpectu Altiſſimi“; quin tamen Eccleſia credat, omnes juſtorum animas dum liberantur a corpore, ſtatim ab Angelis ſuſcipi & in Paradiſum evehi; ſed id fieri credit ſtatim atque reliquis a ſordibus purgatæ fuerint, & dignæ ut ab Angelis ſuſceptæ in cæleſtem patriam inducantur. Etiamſi vero alicubi indulgentia pro mortuis diceretur actus judicialis, intelligendum id eſſet, ipſam eſſe judiciale ſuffragium, nunquam tamen abſolutionem judicialem: eſt quippe ſolum compenſatio æquivalens debito, oblata Deo de publico theſauro, auctoritate publica, & nomine publico, in animarum beneficium fide & charitate Eccleſiæ conjunctarum.

86. Concedimus ſane indulgentiam quoque pro defunctis eſſe actum clavium, & procedere ipſam oportere ab habente auctoritatem, & juriſdictionem; ſed hujuſmodi juriſdictio eſt tantum reſpectu vivorum, quibus conceditur ut indulgentiam poſſit pro defunctis applicare. Eſt etiam actus clavium reſpectu diſpenſationis theſauri Eccleſiæ, & ratione applicationis, & compenſationis; quæ licet infallibilis non ſit, majoris tamen virtutis eſt, quam privata voluntaria ſupplicatio, quia ſuffragium quidem ſolum eſt, ſed tamen publico de bono, publica auctoritate, & publico nomine oblatum.

87. Immo neque errandum eſt in indulgentiis vivorum, quaſi ſcilicet dies illi, vel anni, qui eiſdem remittuntur, referendi ſint directe, & immediate ad dies, & annos in Purgatorio luendos. Senſus enim ejuſmodi indulgentiarum eſt ut recte docet Eſtius loco mox citato per tot dierum vel annorum indulgentiam demi tot dies, vel annos pœnitentiæ, quæ ſecundum canones injuncta fuit, vel injungi olim conſuevit. Hunc enim ſenſum manifeſte arguunt indulgentiarum formulæ, in quibus non dicitur remitti tot dies, vel annos de pœnis, ſed de *pœnitentiis*, a canonibus olim ſcilicet injunctis, quæ ad purgatorii pœnas nullo modo referri poſſunt; conſequenter tamen remittitur pœna purgatorii tantæ pœnitentiæ a canonibus injunctæ, aut juxta canones injungendæ correſpondens. Quanta vero correſpondeat, ſoli Deo cognitum eſt.

88. Sunt hæc præcipua de quibus pro temporis anguſtia agi potuit, ut notio earum haberetur rerum, quæ ad dogma de indulgentiis pertinent. Plura qui cupiunt, adeant Chriſtianum Lupum in diſſertatione de peccatorum, & ſatisfactionum indulgentiis, Venerabilem Cardinalem Thomaſium in Commentario circa conceſſionem indulgentiarum, Patrem Amort Abbatem Lateranenſem, In recenti hiſtoria indulgentiarum, Patrem Theodorum a Spiritu Sancto in elaboratiſſimo opere de indulgentiis, Patrem Valſechium Abbatem Caſſinenſem in Italico tractatu de indulgentiis paucos ante annos Liburni edito, & Benedictum XIV. lib. 13. de Synodo Diæceſana cap. 18. qui gratulatur adimpleta demum vota

Digitized by Google

eſſe Tridentinæ Synodi, quæ in indulgentiis concedendis moderationem juxta veterem, & probatam Eccleſiæ diſciplinam adhiberi cupiebat, ne minima facilitate diſciplina Eccleſiaſtica enervaretur, proindeque ablatis nunc falſis, apocriphis, & indiſcretis indulgentiis, alias a Pontificibus ſubrogatas eſſe ad vigentem Eccleſiæ praxim magis accommodatas; qua agendi ratione ſcandalis, & incommodis conſultum eſt, & ſpiritualis veræque lætitiæ occaſio fideli populo exhibita. Dubia vero ad indulgentiarum praxim ſpectantia legere quiſque poterit apud innumeros Scriptores, dummodo meminerit eaſdem magna cum cautela legendos eſſe, eorumque opininnes ſobrie, & prudenter eſſe aliquando interpretandas, aliquando etiam ad æquiora dogmatis principia revocandas.

DISSERTATIO VII.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

CAPUT PRIMUM.

De Nomine, & eſſentia Sacramenti extremæ unctionis, deque heterodoxis, qui illud negavere.

1. Optime in procemio diſſertationis ſuæ ſeptimæ Sacramentum hoc reſpicientis animadvertit Gaſpar Juveninus varia eſſe hujus Sacramenti nomina, & primo quidem ob materiam, ex qua conſtat appellari a Græcis *Oleum Sanctum*, ſine addito, vel ſacrum Chriſmatis oleum. Secundo, & materia, & forma ſimul ſumtis vocari *orationem cum oleo*. Tertio a ſubjecto a quo recipitur dici a Latinis *unctionem infirmorum*, *& ſacramentum exeuntium*. Quarto ex ordine, quem habet ad alias unctiones iſtam præcedentes appellari unctionem extremam; præcedere enim olim ſolebant unctiones Catechumenorum in pectore, & inter ſcapulas; unctiones baptizatorum, quæ fiebant in ſummo vertice, unctiones ab Epiſcopo in fronte factæ in Sacramento confirmationis, unctiones Sacerdotum, Epiſcoporum, aliæ. Denique a ratione quadam ſibi intrinſeca vocatur *pœnitentiæ conſummativum*; ut ait Concil. Tridentin. quare nonnulli Græci in Eccleſia miniſtri unctione olei poſt auditam peccatorum confeſſionem Sacramentalis ſatisfactionis loco peccatores inungebant; quem quidem morem Innocentius Papa IV. in epiſtola ad Epiſcopum Tuſculanum proſcripſit.

2. De eſſentia ſi loquimur hujus Sacramenti, ita definiri poteſt: *ſignum ſacrum & efficax gratiæ, in unctione infirmorum, ſub præſcripta verborum forma, ad ſanitatem mentis & corporis a Chriſto inſtitutum*. Vel ſic: *extrema unctio eſt Sacramentum a Chriſto inſtitutum ad abſtergendas peccatorum reliquias*; vel *Sacramentum eſt quo fideles ægroti per oleum ſacrum, & verba Chriſti, in magnis morbi moleſtiis relevantur, ut facilius ex hoc mundo demigrent, & corporis morbo etiam, ſi ita expedit, ſanentur*. Vel demum hoc pacto: Sacramentum eſt quo confertur gratia ſanctificans, & datur jus ad auxilia ſpecialia quæ neceſſaria ſunt ut quis patienter ferat morbi incommoda, recuperetque corporis ſanitatem ubi ſaluti animæ expedierit; quæ ſane definitiones omnes in idem recidunt, ut ſi dicatur: Poſtrema unctio eſt ſignum ſacrum & efficax gratiæ ad ſalutem animæ, atque corporis ubi ſaluti animæ expedierit a Chriſto inſtitutum. Clarius hæc omnia explicantur, ita extremam unctionem exponendo: Poſtrema unctio eſt ſignum ſacrum & efficax gratiæ concedentis jus ad ſpecialia auxilia, quibus ægrotus roboretur contra languorem ex infirmitate, exque peccatis præcedentibus relictum; juvetur vero maxime ad ſupernaturales actus eliciendos, & ad reſiſtendum ſpiritibus contaminatis calcaneo inſidiantibus poſtremo in agone erigatur.

3. Antiquiſſimum eſſe hoc Sacramentum in Eccleſia palam eſt. Arbitrati ſunt nonnulli Waldenſes Wiclephum, & Uſſitas, illud ex Sacramentorum albo expunxiſſe. Verum contra ita ſentientes optime nobis videtur diſſerere allegatus Juveninus quæſt.2. cap. 1. Oſtendens evinci non poſſe ejuſmodi Hæreticos hoc Sacramentum negaſſe, ſed ſolum vel ritus damnaſſe aliquos in ejus adminiſtratione tunc temporis receptos vel illo de ſuſcipiendo parum ſollicitos fuiſſe. Quod equidem evincunt etiam Sambovius, Boſſuetus, Duhamel, Berti aliique. Sacramentalem tamen dignitatem huic negaverunt ritui Lutherus,

rus, & Calvinus, quorum apertiſſima eſt mens, & quos ſecuti ſunt eorum de grege homines, aliquo licet cum diſcrimine. Nonnulli quidem ritum ungendi infirmos antiquiſſimum fuiſſe confitentur: negant tamen ritum illum fuiſſe Sacramentum. Alii ex oppoſito præſertim Dallæus Calviniſta, ideo unctionem extremam Sacramentum eſſe negant, quod illius nulla mentio, ut falſo inquit, habeatur apud ſcriptores priorum ſex Eccleſiæ ſæculorum. Contra quos tamen ſit

CAPUT II.

Extrema unctio eſt verum, & proprium novæ legis Sacramentum.

4. PRobatur primo ex Scripturis. D. Jacobus in Epiſtola ſua Canonica cap. 5. hæc habet: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Ejuſmodi in unctione habetur, ut inquiunt Theologi, materia, & forma, nempe unctio, & oratio, quibus ex inſtitutione Chriſti annexa eſt collatio gratiæ proindeque verum in ea & proprium habetur Sacramentum.

5. Probatur Secundo ex traditione, nempe ex teſtimoniis SS. Patrum. Origenes homilia 2. in Leviticum, ſibi recenſet ſex modos quibus in nova lege peccata remittuntur, ſeptimum recenſet poſitum in pœnitentia complete, & perfecte ſumta, ſive in Sacramento pœnitentiæ, & in Sacramento extremæ unctionis. *eſt adhuc*, inquit, *& ſeptima*, licet dura, & laborioſa per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lacrymæ ſuæ panes die ac nocte, & cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam ſecundum eum qui ait: *Dixi, pronuntiabo adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei*. In quo impletum eſt illud, quod Apoſtolus dicit: *Si quis infirmatur, vocet presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus ungentes eum in nomine Domini*. D. Joannes Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio habet: Neque enim ſolum eum nos regenerant, ſed poſtea etiam condonandorum nobis peccatorum, facultatum obtinent: *infirmatur*, inquit, *inter vos aliquis? accerſat presbyteros*. Idem confirmat Innocentius I. Romanus Pontifex in Epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum; idem D. Auguſtinus, in ſpeculo, idem Gregorius Magnus in Sacramentario, Theodorus Archiepiſcopus Cantuarienſis in libro ſuo Pœnitentiali, cæterique ſcriptores Eccleſiaſtici ſeculorum, quæ ſecuta ſunt, de quibus neque hæretici audent dubitare, ut exempla antiquiſſima Sacramenti hujus in Eccleſia morituris adminiſtrati præteream, quæ collegit Chardonus ubi egit de hoc Sacramento (*a*). Concilia bene multa hoc ipſum Sacramentum reſpicientia enumerat Eſtius in 4. ſent. diſt. 23. §. 2. quorum poſtremum generale nempe Tridentinum ſeſſ. 7. canone 1. quod cum extremam unctionem inter ſeptem Eccleſiæ Sacramenta enumeraſſet, poſtea ſeſſ. 14. inſtitutionem ejus, & fructum ex ſententia Jacobi Apoſtoli docte & graviter explicat, adjecto ejuſmodi anathemate. „ Si quis dixerit extremam unctionem, non eſſe vere, & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, & a S. Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema ſit. Et iterum: ſi quis dixerit ſacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, anathema ſit. “

6. Confirmatur id perpetua Eccleſiæ traditione, quam præ ceteris collegit Jacobus Sambovius præſtantiſſimo ſuo de Poſtrema Unctione Tractatu, ubi Sacramentum hoc uſurpatum & agnitum fuiſſe tertio Seculo verbis Origenis oſtendit, quarto Seculo Euſebii Pontificis, & Joannis Chryſoſtomi teſtimoniis; quinto Seculo teſtimonis Innocentii I. Pontificis, Auguſtini, Cyrilli Alexandrini, & Victoris Antiocheni; ſexto ſeculo, ac ſequentibus ea teſtimoniorum ſerie, & copia quam adverſarii etiam admittunt.

7. Obj. Primo. Totum fundamentum aſſertionis Catholicorum deducitur nunc ex loco Jacobi allegato; ſed nullius eſt auctoritatis iſte locus. Nam Epiſtola Jacobi non eſt Canonica; ergo nullius eſt auctoritatis. Deinde etiamſi ſinceram illam eſſe admitteremus, inquirendum adhuc eſſet quanam auctoritate, & poteſtate Jacobus potuiſſet Sacramentum inſtituere, cum ſolius Chriſti proprium id fuiſſe videatur.

8. Reſp. Maxime errare proteſtantes dum de Canonicitate dubitant epiſtolæ Jacobi; nam illam veluti authenticam, & omnino Canonicam, imo, ut

(*a*) Teſtimonia Græcorum ſcilicet Jobi Monachi, Gabrielis Philadephienſis, Joannis Nathanaelis in Epiſtola ad Epiſcopum Anagninum, Metrofanis Critopoli & Euchologi adfert in rem noſtram Svicerus tametſi Calviniſta in Lexico ad vocem *Euchalæum ευχελαιον*, quæ Orationem cum Oleo ſignificat; Chardonus in ſua Sacramentorum Hiſtoria poſtremæ unctionis ægris adminiſtratæ antiquiſſima in medium profert exempla; ex quibus ſane omnibus quis non intelligit eam ſemper in Eccleſia habitam fuiſſe tamquam verum novæ legis Sacramentum?

Digitized by Google

ut inſcribitur, Catholicam, quia non ad unam tantum, aut alteram, ſed ad omnes Eccleſias conſcriptam, veneratur univerſa traditio, & Eccleſiæ Catholicæ conſenſus. Concilia Laodicenum, & Carthaginenſe III. quæ canonem ſcripturarum, ſtatuerunt; vetuſtiſſimi Patres Origenes homilia 7. in Joſue, Athanaſius in Synopſi, Epiphanius hæreſi 76., Hieronymus ad Paulinum, Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 8. antiqui Romani Pontifices Innocentius Papa I. epiſtola 3., & Gelaſius, Jacobi Epiſtolam tamquam Canonicam admiſere. Hujuſmodi autem teſtimoniis, hujuſmodi decretis, hujuſmodi auctoribus ſi detrahatur fides, quiſnam ſacræ ſcripturæ liber erit Canonicus? De hac re fuſe agunt ſcriptores omnes, qui de Canone ſacrarum Scripturarum pertractant, ſcilicet innumeri, quos conſulere quiſque poteſt.

9. Certum eſt, Apoſtolos non habuiſſe auctoritatem, poteſtatemque ſacramenta inſtituendi, hancque ad ſolum Chriſtum pertinere. Proindeque unctionem poſtremam non inſtituit Jacobus, ſed eam ſolum commendavit veluti a Chriſto inſtitutam. Nam Apoſtolus confidenter dicit de utente hoc Sacramento; *ſi in peccatis fuerit, remittentur ei*. Quis autem peccatorum remiſſionem alligare ſenſibili ſigno poteſt, niſi ſolus Deus? Itaque quum eam certe noſſet Jacobus, conſequens eſt, ipſum promulgaſſe tantum extremam unctionem a præceptore jam inſtitutam, ut poſt Patres loquitur Tridentinum Concilium.

10. Fatemur, ante hoc Concilium nonnullos etiam Catholicos improprie loquutos, dixiſſe ab Apoſtolis inſtitutum hoc Sacramentum, venia tamen dignos, quod non de prima inſtitutione loqui voluere, ſed ejus de promulgatione, quem in ſenſum Jacobi hoc de Sacramento, verba Concilii Tridentini Patres accepere. Jacobus enim hoc Sacramentum promulgavit non quomodocumque; ſed prius ſcripto tradens, & commendans illud poſteris, quo ſenſu ipſum aliquo modo inſtituiſſe dicitur. Sic enim, ut animadvertit Eſtius in 4. ſent. diſt. 23. a 3. legimus a Romanis Pontificibus inſtituta quædam fuiſſe, nempe a Pontifice Lino, ne qua mulier niſi velato capite Eccleſiam introiret; ab Alexandro Pontifice, ut tantummodo panis, & vinum aqua mixtum in myſterio offerrentur: a Pontifice Victore, ut Paſcha die Dominico celebraretur, & ab aliis alia, quæ tamen vel divinæ ſunt, vel Apoſtolicæ inſtitutionis. Sed quia ab his Pontificibus lege ſcripta promulgata ſunt, aut cum neglecta eſſent, in novum revocata ab eiſdem inſtituta dicuntur. Certe non magis aſſerere poſſumus Jacobum hoc Sacramentum proprie inſtituiſſe, eo quod ejus quaſi legem in Epiſtola ſua ſcripſerit, quam Petrum inſtituiſſe Baptiſmi Sacramentum tum cum in prima ſua concione quaſi præcipiens dixit ad populum: *Baptizetur unuſquiſque veſtrum*; ut legimus Actorum 2. Verum ſicut in oratione Petri fuit nuda promulgatio cum adhortatione, & commendatione Sacramenti Baptiſmatis; ita & in Epiſtola Jacobi nuda fuit adhortatio, & promulgatio Sacramenti Extremæ Unctionis. Hanc igitur Chriſtus ipſe inſtituit, ut Theologi nunc omnes cenſent. Quod ſi de tempore inquiritur, reſpondemus, fuiſſe a Chriſto inſtitutam tum cum poſt reſurrectionem ſuam per 40. dies converſatus eſt ſuis cum Apoſtolis loquens de regno Dei (*a*); quod fuſius ab eiſdem oſtenditur.

11. Obj. Secundo: Etiamſi concedamus Epiſtolam Jacobi eſſe Canonicam (quod præſtat Calvinus qui ejus canonicitatem tuetur adverſus Lutherum,) allegatis tamen ex verbis inferri non poteſt unctionem illam eſſe novæ legis Sacramentum. Sacramenta quippe ut docet Auguſt. cap. 66. Enchiridii, magis ad ſpem futurorum bonorum, quam ad retentionem, vel adeptionem præſentium pertinent; atqui ratio illa, de qua loquitur Jacobus, non videtur fuiſſe ordinata ad gratiam acquirendam, ſed ad recuperandam ſanitatem, quam Apoſtoli ad fidei commendationem miraculoſe operabantur; ergo neque Sacramentum fuit, neque ritus credentibus in præſens neceſſarius, qui miraculo non indigent ut credant, antiquato præſertim miraculorum dono, nam quemadmodum inquiunt Heterodoxi, ſtultum foret circumferre nunc ſudarium vel natatoriam inſtituere ad curandos infirmos, vel mortuis in-

cu-

(*a*) Certiſſimum ſane eſt hominum nemini poteſtatem datam fuiſſe inſtituendi Sacramenta. Sed cum Jacobus, poſtremæ nihilominus unctioni vim tribuat Sacramentalem; non igitur ex ſuo ſenſu, ſed ex Domini præſcripto, tantam huic ceremoniæ tribuit virtutem, eamque propterea a Salvatore inſtitutam, ſolum promulgavit, ſcriptoque tradidit atque ejus uſum commendavit. Quare factum, ut a nonnullis veteribus Scholaſticis inſtitutum appellaretur; Inſtitutionis vocem pro nominе promulgationis uſurpantibus: quod ſolemne Scriptoribus ſequiorum temporum fuit, qui ſexcenta dixere inſtituta ab illis, qui ea tantummodo promulgaverunt, duplicem, ut ita dixerim, ponentes Inſtitutionem, primam ab Auctore primo, alteram a Præcone ritus. Quod ſi de tempore inquiritur, qua Chriſtus Unctionem hanc ſacramentale ad genus evexit, facile eſt illum aſſignare nempe, dum poſt reſurrectionem ſuam per 40. dies cum Apoſtolis converſatus eſt, loquens de regno Dei; tunc enim præceteris vim explicavit ac virtutem Sacramentorum; & quemadmodum Chriſma Confirmatorium eſſe voluit perfectionem Baptiſmi; ita poſtremam hanc rationem eſſe ſtatuit gravioribus in morbis Sacramenti pœnitentiæ complementum.

cubare ad eos reſuſcitandos, vel lutum ex pulvere & ſputo facere ad reſtituendum cæcis viſum; hæcque omnia appellare novæ legis Sacramenta, ita inane eſt oleo ungere infirmos, illamque unctionem eo nomine donare.

12. Reſpondetur, gratiam miraculorum per ſe ordinatam non eſſe ad effectum ſpiritualem conſequendum, cum multi corporis ſanitatem receperint in peccatis perſeverantes, ut novem leproſi Chriſto ingrati, aliique de quibus eſt mentio in Sacris Scripturis, atque Patribus. Verum unctio de qua loquitur Jacobus ordinata erat ad gratiæ incrementum ideoque ad miraculorum donum non pertinebat. *Deinde diviſiones gratiarum ſunt*, inquiebat Apoſtolus 1. ad Cor. 12. *& alii quidem datur ſermo ſapientiæ, & alii gratia ſanitatum*; non ergo ſi quis presbyter eſt Eccleſiæ ſtatim gratiam habet curationum vel miraculorum donum, quare dicere non debuiſſet Jacobus; *advocet presbyteros Eccleſiæ*, ſed advocet eos, qui dono, & gratia pollent curandi morbos; cum hæc gratia neque omnibus, neque ſolis presbyteris tributa fuerit ab eo qui diſtribuit ſingulis prout vult. Hæcque ratio procedit etiamſi vocem presbyteros interpretemur, ut hæretici intelligunt, ætate ſeniores, aut primores populi. Deinde dona miraculorum in ſignum erant non fidelibus, ſed infidelibus, ut monebat Apoſtolus Prima ad Cor. 14. Jacobus ex oppoſito loquitur de quocumque infirmo Chriſtiano inter Chriſtianos degente & a Chriſtianis ungendo; ergo non inſinuat unctionem ad extremam gratiam curationum, ſed illam cum oratione promulgat, & commendat ad incrementum gratiæ, & ſpiritualem curationem conſequendam (a).

13. Hinc patet latum diſcrimen inter unctionem extremam, & ea quæ dicebantur de ſudario, & natatoria, & cubatione in mortuum, lutoque ex pulvere, & ſputo, & ſimilibus, quæ numquam fuere totis Chriſtianis commendata, promulgata & præcepta, eo modo quo unctio ſacri olei in infirmitate tamquam præceptum generale, & ad univerſum ſpectans tempus novi teſtamenti, ut colligimus ex ſpeculo Auguſtini, in quo ea congeſſit ſola, quæ ad vitam Chriſtianam exercendam videntur neceſſaria, ex conſuetudine totius Catholicæ eccleſiæ, & ex Patrum mente qui non ceremonias, & ritus illos ſed unctionem hanc verum eſſe docuerunt novæ legis Sacramentum.

14. Contra eſt. Si unctio de qua agimus, ordinata eſſet ad effectum ſpiritualem; adeoque eſſet Sacramentum, dixiſſet primum Jacobus de remiſſione peccatorum, deinde de alleviatione infirmi; atqui ex oppoſito dixit primo loco; *alleviabit eum Dominus*, deinde ſubjecit hipothetice, *& ſi fuerit in peccatis, remittentur ei*; ergo effectus primarius illius unctionis erat reſtitutio ſanitatis; ſecundarius autem, & accidentalis, erat remiſſio peccatorum. Quis vero unquam dixerit, ritum primario inſtitutum ad effectum temporalem obtinendum eſſe poſſe legis Chriſti Sacramentum?

15. Reſp. Effectum primarium hujus Sacramenti eſſe ſpiritualem, ut dicemus infra; neque tamen officit quod Jacobus primo loco recenſuerit reſtitutionem corporeæ ſanitatis, deinde remiſſionem peccatorum; nam de homine relinquente patrem, & matrem propter Chriſtum dicitur Matt. 19. *centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*, in quibus verbis merces temporalis priore loco ponitur, poſteriore loco ponitur æterna, quæ alteram tamen longe ſuperat. In Catholica igitur Jacobi epiſtola prius commemoratur ſanitatis reſtitutio, quoniam effectus iſte notior eſt, & quoniam ſeries orationis videbatur poſtulare ut poſt infirmitatem corporis, poneretur illius ſanatio. Tridentina tamen Synodus gratiam prius recenſet, deinde corporis ſanitatem, habens rationem effectus nobilioris. Addendum etiam, verba illa, *& alleviabit eum Dominus*, non ad corporis decumbentis, ſed ad animi ob corporis languorem dejecti erectionem ac levamentum ſpectare. Extrema enim unctio ut inquit Tridentinum, ægroti animam alleviat, & confirmat magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando. Et revera, ſi corporis ſanatio expreſſa eſt verbis præcedentibus, *& oratio fidei ſalvabit infirmum*, quid opus erat eundem effectum iterum recenſere? Nil denique officit locutio hipothetica *ſi in peccatis eſt*; nam ſi ſæpe numero in ſacris litteris ſignificat appoſitionem rei certæ ut Malachiæ 1. *Si Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* & apud ipſum Jacobum cap. 1. *ſi quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo.*

(a) Fuerunt qui exiſtimarent, hominem, cui data foret extrema unctio, infallibiliter, moriturum, quo in errore adeo verſabatur Robertus Romanorum Rex, ut in periculo mortis exiſtens, Viatico ſuſcepto, mille tergiverſationibus ſacri ſuſceptionem olei vitandam ſibi conſtituerit, nec niſi infinito labore ut olei unctionem admitteret ſuadere illi potuerunt Sacerdotes, quumque demum urgeretur, exclamavit: *Si ſciviſſem* hoc Sacramentum pro unoquoque homine tantum valuiſſe, quemadmodum jam audio, dudum devotiſſime ipſum poſtulaſſem. Hiſce ex falſis opinionibus, & abuſibus inductis, nec non aliis ſimilibus, quæ Synodi, & Epiſcopi ab imperitorum animis, & moribus evellere vix poterant factum aliquando eſt, ut non omnibus poſtrema unctio adminiſtraretur; quin ex hoc tamen inferre liceat ipſam verum non eſſe Sacramentum.

a Deo. Denique hac in oratione; *ſi in peccatis ſit; remittentur ei*, particula hipothetica non afficit poſtremum verbum *remittuntur*, ſed ſubſtantivum *ſit*, ideoque nulla eſt quantum ad peccati remiſſionem effectus ambiguitas (*a*).

16. Obj. 3. Si extrema unctio Sacramentum eſſet, ipſius meminiſſent omnes aut pœne omnes priorum ſæculorum patres ea ratione qua baptiſmum prædicavere; atqui altum eſt apud ipſos rei hujuſmodi ſilentium, ergo &c. Dum ab his deſcribuntur Fidelium mores hujus ſacramenti meminiſſent, at non meminerunt &c. (*b*).

17. Reſponderi in primis poſſet cum Doctiſſimo Emanuele Schelſtratio in diſſertatione Apologetica de diſciplina arcani, contra diſputationem Erneſti Venzelii cap. 2. art. 2. ſilentium illud ex ejuſmodi arcani diſciplina prodiiſſe. Quis enim Sanctorum Patrum inquit, primis Eccleſiæ ſæculis de Sacramento illo clare coram Catechumenis, aut Infidelibus locutus eſt? Quis verba formæ ſcripto tradidit? D. Baſilius de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 27. ita hac de re ait: „ ipſam porro Olei inunctionem quis ſermo proditus docuit? quia nec intueri poterant non initiati. Auguſtinus quidem enarratione in Pſalmum 141. dicit nos multa ſacramenta aliter, atque aliter accipere: quædam, inquit, ſicut noſtis, ore accipimur, quædam per totum corpus accipimus. Quibus verbis agit de Corpore & Sanguine Chriſti quæ ore, & Baptiſmo, & extrema unctione quæ per totum corpus olim accipiebantur; ſicut autem de Sacramento Euchariſtiæ obſcure tractat, nihil aliud dicens quam ſicut noſtis, ita & de extrema unctione, de qua D. Hieronymus ad cap. 14. Oſeæ locuturus *occaſione Olivæ*, dicit Olivæ fructum eſſe *quo unguntur in agone certantes*, obſcure nimirum de extrema unctione agunt ii *S.* Patres uti de aliis ſacramentis ob arcani diſciplinam, & hoc plane eſt quod Innocentius primus in Epiſtola ad Epiſcopum Engubinum confirmat, ubi poſt obſcuram de Sacramentis Confirmationis, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, extremæ unctionis doctrinam; addit ſe reſpondiſſe prout potuit, reliqua vero, quæ ſcribi fas non erat, ſe ipſi præſenti edicturum".

18. Hæc Schelſtratius, contra quem diſputat Scatzelius Heterodoxus, & contendens, extremam unctionem Chriſtianorum Ethnicis notiſſimam fuiſſe (etſi id male omnino probet) catholico potius favet ſiſtemati. *Si* enim vel Ethnicis notus erat hic Chriſtianorum ritus. Ergo illud Patres priorum Eccleſiæ ſæculorum prædicavere: nec altum adeo apud ipſos hac de re ſilentium; quamvis generaliter loquendo verum ſit viguiſſe prioribus Eccleſiæ ſæculis arcani diſciplinam; ideoque nonnulla fuiſſe a Patribus ſilentio preſſa, aut myſterioſe ſolum pronunciata, ut præceteris inter noſtros oſtenderunt Gabriel Albaſpinæus, Ludovicus de la Cerda, Albertus, Cardinalis Bona, inter Proteſtantes vero Caſaubonus, Albertinus, Baſnagius, Joannes Clericus in hiſtoria ſua Eccleſiaſtica, & Pfaffius in diſſertatione poſteriori de præjudiciis Theologicis §. 13. & ſequentibus (*c*).

19. Ar-

(*a*) Reſpondet aliquis cum Joanne Launojo, libro de Sacramento Unctionis Infirmorum Cap. II. Obſer. 2. Diſciplinam ungendorum infirmorum primis Eccleſiæ ſeculis infrequentiorem fuiſſe, quam poſterioribus, cujus quidem, inquit ille, non una poteſt aſſignari ratio. Et primo quidem unctio non dabatur iis, qui publicam pœnitentiam agebant, cum in morbum inciderent, ac tradit Innocentius I. in Epiſtola ad Decentium Epiſcopum Eugubinum. Deinde non dabatur iis, qui variis agitati perſecutionibus, ad Eccleſiæ munera perveniebant. Quis enim numeraret Chriſtianos omnes, in quos ſævitum eſt a tempore Neronis uſque ad Conſtantini imperium? Tandem non dabatur iis, qui vitam cum ſumma virtute conjunctam, & a peccatis immunem egerant. Ita ex Adelhardi Corbejenſis Abbatis vita quam Paſcaſius Radbertus edidit colligitur: *Interim cum cœpiſſet idem Epiſcopus a nobis percontari utrum benedictionis oleo, ſicut a beato Jacobo ſancitum eſt, deberet perungi, interrogavimus eum utrum ne vellet, quem procul dubio ſciveramus, peccatorum oneribus non detineri*. Stulta & inanis fuiſſet interrogatio, ſi tunc temporis obtinuiſſet mos Eccleſiæ ut qui credebatur peccatorum oneribus non detineri, unctionem infirmorum acciperent. Hinc factum eſt, ut antiquiorum Confeſſorum acta ritum hunc non paſſim exhibeant. Mireris igitur, ſubdit allegatus Scriptor, ſi Sacramentum hoc communi quondam in uſu, atque hominum more ac ſermone poſitum non invenias, quum indè publici pœnitentes multi fuerint, quia tunc lapſi multi; inde Martyres innumeri, quorum cruore Orbis infectus eſt; inde homines multi vitæ ſanctimonia excelluerint. Sed omnino cave, ne ex unctionis infirmorum uſu rarioris, uſum nullum colligas, id certum quoddam genus eſſet ſophiſticæ fuliginis, quæ perſpicuis Origenis, Victoris Antiocheni, Joannis Chryſoſtomi, Poſſidii, Auguſtini, Cyrilli, Gregorii teſtimoniis mala fide aſpergeretur. Hucuſque Launojus.

(*b*) Hoc eſt Dallæi cogitatum, non primorum tamen Proteſtantium, quæ tametſi poſtremam unctionem Sacramentum eſſe negaverint; ritum tamen ungendi infirmos antiquiſſimum eſſe, & a primis Chriſtianis uſurpatum candide faſſi ſunt: Negativum tamen ſi verum foret, argumentum eſt, proindeque nullius ponderis & momenti.

(*c*) Reſpondetur etiam id profectum fuiſſe ex diſciplina arcani. Quemadmodum ex divo Baſilio intelligimus, in Libro de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 27. ſcribente: „ Ipſam porro Olei in-

un-

19. Argumentum ſane ex ſilentio veterum Patrum aliorumque qui mortes celebriorum virorum prioribus deſcripſere Eccleſiæ ſæculis derivatum; urgere perrexit Dallæus cui tamen poſt ceteros egregie reſpondet Chardonus lib. 3. hiſtoriæ ſacramentorum cap. 1. animadvertens hoc Sacramentum Gentilibus ignotum fuiſſe, adeoque minime ab ipſis oppugnatum, uti cætera erant notiora Chriſtianorum ſacramenta. Cur igitur de ipſo verba feciſſent ſcriptores noſtri? Catechumeni inſtituebantur ſuper Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia, quia tria hæc ſumere debebant ſacramenta tum cum primum religioni Chriſtianæ nomen erant daturi. Neque vero ex quo non omnes Chriſtiani tum fuerint Martyres aut a peccatis immunes, aut publicæ ſubjecti pœnitentiæ, ſequitur potuiſſe facile Sacramentum hoc reliquis adminiſtrari; ſiquidem ut animadvertit Chardonus, Libro III. Hiſtoriæ Sacramentorum cap. 1. quatuor prioribus Eccleſiæ ſæculis quum Chriſtiani Ethnicis commixti eſſent, adminiſtrari illud non potuiſſet, niſi in Gentilium conſpectu, quod ſacrilegum ſane noſtri arbitrabantur. Erat aliquando Chriſtianus vir, uxor vero gentilis, Ethnicus Pater, filiorum aliquis Chriſtianus, eademque in domo in qua parentes erant affines, ſervi, domeſtici, vicini, amici, aliique Chriſtianis adverſi, quænam fuiſſet noſtrorum prudentia Sacerdotum, ſi ſe ſe in illam intrudere tentaſſent, Sacramentum adminiſtraturi Ethnicis prorſus occultandum? qua de cauſa concedebatur olim Laicis Euchariſtia quam ſecum domum ferrent, & clam ſumerent, eademque de cauſa matrimonium Chriſtiani cum Ethnicis inibant, quin Sacramentum hoc ſumerent, ne inconſiderato zelo rem Chriſtianam labefactarent. Minime igitur mirum ſi nulla extremæ unctionis adminiſtratæ occurrat mentio, ubi deſcriptæ ſunt virorum mortes ad illam ætatem pertinentium *(a)*.

20. Obj. Unctio de qua Jacobus eadem non eſt cum hodierna Catholicorum; nam Jacobus commendat unctionem infirmis faciendam, in quibus ſpes aliqua fulgeret ſanitatis, ex oppoſito unctio extrema non tribuitur in præſens, niſi infirmis in articulo mortis conſtitutis. Unctio illa non proderat infirmo, niſi ob orationem, & fidem; unctio ex oppoſito Catholicorum prodeſſe ægrotis dicitur propria virtute, & ex opere operato; ergo &c. denique proderat ægroto, dum ſanitatem ipſi reſtituebat, cum hodierna ſalutem potius animæ reſpicere dicatur, neque ejus in forma ordinatur ad ſalutem corporis recuperandam. Ergo &c..

21. Reſpondetur, nil ex ejuſmodi difficultatibus inferri. Nam ut prætereamus, Svicerum ipſum Calviniſtam in celebri ſuo Lexico ad verbum Κάμνω Chamno, ex quo vox Chamnonda textus quem Vulgatus vertit infirmum ſtrucere, & libere fateri atque ex Heſychio, & Svida confirmare, tale nomen tum de ſanabilibus morbis, tum de iis qui ſpem ſalutis non admittunt, adhiberi, animadvertendum adhuc eſt, rituales omnes, & Liturgicos Orthodoxorum libros, omniaque Pontificalia, & decreta ad inſtitutionem & praxim Eccleſiæ conſcripta ſemper docuiſſe Oleum illud ſanctum Infirmis eſſe conferendum; dum in iiſdem adhuc ſpes ſanitatis aliqua effulget; & dum revera eſſe poteſt completivum, & conſummativum Pœnitentiæ; neque enim unctio ejuſmodi dicitur extrema, quod poſtrema dari debeat vitæ hora; ſed quia præcedere aliæ ſolent unctiones ſcilicet Catechumenorum in pectore, & inter ſcapulas, Baptizatorum in ſummo vertice, confirmandorum in fronte, Sacerdotum, & Epiſcoporum in manibus. Abuſum propterea dandi hoc Sacramentum dum ægrotus veluti agit animam damnat Romanus Catechiſmus p. 1. cap. 6. num. 9. Benedictus autem XIV. lib. 8. de Synodo Diœceſana cap. 7. graviſſimis auctoribus, & argumentis excitat Epiſcopos, ut hunc tandem ſuis a Diœceſibus abuſum auferre ſatagant, & contendant. Oratio autem fidei, de qua loquitur Apoſtolus non eſt fides ægrotantium, aut miniſtrorum, ſed eſt quod hodierno dicendi modo vocatur *forma ſacramentalis* quæ dicitur oratio fidei, quemadmodum forma baptiſmi dicitur *verbum fidei*, quia fidei myſterium continet, quia fidei Eccleſiæ nititur, & in ea miniſtratur.

Obj 5. Innocentius Papa I. in Epiſtola ad Decentium allegata, non vocat hanc unctionem ſimpliciter, & abſolute Sacramentum, *ſed ſacramenti genus*; quam loquendi formam imminuendæ ſignificationis vim habere notum eſt, nec magis valere quam quodammodo vel *aliquo modo*. Non igitur eam exiſtimavit verum propriumque eſſe

unctionem quis ſermo proditus docuit, quam nec intueri poterant non initiati? " Hac de arcani diſciplina ſatis dicitur in Tractatu de Sacramentis in genere.

(*a*) Non dabatur his qui numquam graviter peccaſſe credebantur quia quum ad ſpirituales peccatorum ægritudines, vel ægritudinum ejuſmodi reliquias curandas, & depellendas inſtitutum fuiſſe noſſent, eo ſanctos viros non indiguiſſe conſequebantur ætatis illius homines, propterea que talibus non conferebatur ut probat Joannes Launojus in Libro de Unctione extrema, & oſtendit Paſchaſius Radbertus in vita Adelardi Abatis Corbejenſis, neque aliquibus, aliis etiam de cauſis a citato Chardono relatis cap 3. Quid igitur mirum ſi in mortibus celebriorum virorum fuiſſe hoc Sacramentum uſurpatum ſæpenumero non memoretur?

eſſe ſacramentum. Quis enim Baptiſmum vel Euchariſtiam, ſacramenti genus umquam appellaſſet? Reſpondetur, eam loquendi formulam aliquando quidem imminuendæ ſignificationis vim habere ſed ſæpenumero etiam uſurpari ad exprimendam rerum, ut ſunt in ſcriptis, qualitatem: quod nec Dallæus ipſe qui difficultatem hanc propoſuit, inficiatur. Sic genus hominum, genus marmoris, genus coloris, genus pœnæ, ſignificant hominem verum, colorem verum, verumque marmor, & pœnam veram. Innocentium autem verba: *Sacramenti genus* hoc ſecundo uſurpaſſe modo, ea evincunt, quæ ſtatim addiicit, quum enim vel de publice pœnitentibus antequam reconciliati eſſent, verba faciat Pontifex, vel, ut Ivo, & Gratianus legunt de non pœnitentibus, ideſt de nolentibus pœnitere: propterea ſubdit: *Nam quibus reliqua ſacramenta negantur quomodo unum genus putatur poſſe concedi?* eam unctionem dici unum genus ſacramenti comparate ad reliqua proprie dicta ſacramenta. Quemadmodum enim Scholaſtici *Sacramentum* abſolute enunciatum & ſimpliciter genus ſtatuunt in ſeptem ſpecies diſtributum; ita Pontifex *Sacramentum* genus fecit univerſaliſſimum in ſeptem ſubalterna, ut ita dicam ſacramentorum genera divisum. Atque id adeo verum eſt ut Gofridus Vindocinenſis Epiſtola XIX. Libri II. ſcripſerit Unctionem hanc vocatam fuiſſe ab Innocentio I. *Magnum Sacramentum* & Ivo Carnotenſis Epiſtola XX. poſtquam ſcripſerit eam eſſe juxta inſtitutum Apoſtolicæ Sedis genus ſacramenti, vocaverit eam poſtea ſimpliciter & abſolute Sacramentum.

CAPUT III.

Nonnulla adjiciuntur ad ſuperiorem doctrinam illuſtrandam neceſſaria.

22. CUm fidei dogmata ex verbo Dei ſcripto, & tradito probari confirmarique majori quo poſſit modo debeant, in examen revocant nonnulli, an verba Marci, 6. *& ungebant oleo multos ægrotos & ſanabant*, denotent extremæ unctionis Sacramentum. Qua ſane in re negandum non eſt, veteres aliquos Patres in ea fuiſſe ſententia, Victorem nempe Antiochenum, Theophilactum, Euthimium, Æcumenium ut ex catena græcorum apparet a Poſſevino collecta, accedit Beda & chorus veterum Scholaſticorum qui ex Marci verbis evidentius oſtendere ſe poſſe credunt fuiſſe ſacram hanc unctionem a Chriſto inſtitutam, præſertim cum in unctione illa quam faciebant Apoſtoli inveniebant totum id quod pertinet ad rationem ſacramenti; „ neque enim „ Chriſtus Dominus, ait Concilium Colonienſe, „ Diſcipulos ſuos Chirurgos fecit, ſed Apoſtolos „ qui ungerent ægrotos oleo non medicinali, ſed „ ſacramentali, & myſtico, quamvis D. Jacobus modum, & formam adminiſtrationis clarius expreſſerit " ſequiori demum ætate in hujus adminiſtratione ſacramenti plures abuſus inductos fuiſſe neque ipſi Catholici inficiantur quamplures ſcilicet acciri ſolerent Sacerdotes cum pluribus luminibus, neque ſine pretio daretur; quare Valdenſes, qui ceteroquin illud certum eſſe Sacramentum non negabant, ut Sambovius, Boſſuetus, Juveninus aliique certiſſime oſtendunt, ritus tamen ejuſmodi damnabant, illudque Sacramentum divitum appellabant. Hinc etiamtunc temporis infrequentior fuerit oportet ejus adminiſtratio; proindeque nihil mirum ſi nulla ipſius occurrat mentio, ubi deſcriptæ ſunt mortes hominum ad illam ætatem pertinentium.

23. Verum tamen dicendum eſt, non eſſe certiſſimum in laudatis Marci verbis contineri Sacramentum extremæ unctionis, tum quia ſi nuda illa verba ponderemus, nil aliud occurrit præter unctionem olei ſanitatemque ægrotis reſtitutam, nec aliqua annexa conſpicitur gratiæ promiſſio; tum etiam quia adhibebatur indifferenter omnibus ægrotis ſive in periculo vitæ conſtitutis, ſive non, ſive baptizatis ſive non baptizatis, cum multos Ægros Apoſtoli unxiſſent, & ſanaſſent, & pauciſſimi ætate illa Chriſtiani eſſent, tum denique quia Apoſtoli tunc nondum erant Sacerdotes adeo Sacramentum adminiſtrare non poterant; quare ſapientiſſime Concil. Tridentinum Sacramentum hoc a Chriſto inſtitutum dixit, a Marco inſinuatum, a Jacobo promulgatum. Quod autem inſtituatur non expreſſe proponitur, ſed ſubobſcure indicatur per miraculoſam nempe unctionem illam quæ figura, & adumbratio erat unctionis Sacramentalis. Allegati vero pro oppoſita interpretatione Patres neque eo ſunt numero, neque ea gaudent auctoritate ut ab iis hac in parte recedere piaculum eſſe videatur.

24. Diximus jam nonnullos Scholaſticos ante Concilium Tridentinum docuiſſe extremam unctionem non fuiſſe a Chriſto inſtitutam, ſed ab Apoſtolis, quos interpretati ſumus, ut locuti fuerint de inſtitutione immediata, non vero mediata, qua de re fuſius agi ſolet in tractatu de ſacramentis in genere; verum etiam ſi aliquis inter Catholicos reperiretur, qui ante Tridentinam Synodum fuiſſet arbitratus ex ipſo Jacobi loco aperte non erui Sacramentum extremæ unctionis, inde tamen non licet, Catholicorum aliquem idem ſenſiſſe cum hæreticis, nam tametſi Sacramentum aliquod Catholicorum quia erui non poſſe exiſtimaſſet ex hoc vel illo vel aliquo ſcripturarum textu, illud admittebat tamen, & aperte fatebatur, credebat, & vindicabat, utpote innixum verbo Dei tradito, ſive divinæ, & Apoſtolicæ traditioni; quare non errore fidei, ſed ratiocinii potius & criticæ errore laboraſſe illum, conſequamur. Hoc vero quammaxime Orthodoxo a Theologo animadvertendum eſt. Hetero-

doxi

doxi namque ut aliis animadverti in locis, errores ſuos a generali Concilio damnatos, ſemper tueri volunt clypeo & auctoritate veteris alicujus ſcholaſtici Catholici qui a communi receſſerit alicujus ſcripturæ textus interpretatione, diſſimulantes ſubdole, Theologum illum Orthodoxum, licet non convenientem fortaſſe cum cæteris in fundamento dogmatis, conveniſſe tamen omnino in dogmate ipſo, & in dogmatis cum Eccleſia profeſſione.

25. Velim imo animadvertatis in re qua de agimus ſophiſma Proteſtantium. Gerardus, Forbeſcius, Scherzerus, omnes ubi de extrema unctione verba faciunt adferunt Scholaſticos qui ex Marci verbis illam erui non poſſe ajunt, deinde adferunt alios ſcholaſticos, qui unctionem apud Marcum ſacramentalem fuiſſe negant, deinde alios, qui unctionem, tum quæ apud Marcum, tum quæ apud Jacobum, eamdem fuiſſe docent, ut ex iis omnibus inferant, ſecundum noſtros etiam Theologos extremam unctionem non poſſe dici Sacramentum. Verum quanta obſecro in hoc argumentandi genere fallacia! qui enim ex utroque loco, Marci ſcilicet, & Jacobi extremam unctionem erui contendunt Theologi Orthodoxi, utramque unctionem æque docent fuiſſe ſacramentalem. Qui ex oppoſito negant erui ea poſſe ex unctione apud Marcum, hancque dicunt non fuiſſe ſacramentalem, ajunt tamen valde diverſam eam fuiſſe ab unctione quæ prædicatur a Jacobo, & hanc ſacramentalem fatentur. Qui denique e neutro loco ipſam erui arbitrati ſunt tenendam eam tamen docuere ex Apoſtolica & divina traditione. Facile concedimus fuiſſe ante Tridentinum Catholicos, qui ex Jacobi loco aperte colligi hoc Sacramentum negavere; Nullum comparare ſibi poſſunt Proteſtantes ex Theologorum noſtrorum agmine qui ante Concilium Tridentinum diverſo uſi ſunt explicandi modo præſidium. Ceterum quod integrum, liberumque erat ante Eccleſiæ definitionem, & Concilium, poſt Concilia tamen & Eccleſiæ vocem liberum amplius, & integrum non eſt. Quare liberi quidem ſumus nunc ut extremam unctionem eruamus, vel non eruamus a loco Marci, ſed integrum nobis non eſt negare ipſam deduci ex Jacobo cum certo hujus ſacramenti fundamento.

Denique relate ad extremæ unctionis Sacramentum animadvertendum eſt nil illi commune eſſe cum quadam unctione, qua Heracleonitæ hæretici utebantur, qui ſuos ſcilicet morientes oleo ungebant, eaque illos ſe redimere dicebant, ut habemus apud Epiphanium hæreſi 36., & Auguſtinum hæreſi 16. Nam hujuſmodi unctio plena ſtultæ, ſuperſtitionis erat fiebatque vel oleo aqua mixto, vel unguento, & balſamo, & aqua ungebant ſive morituros ſive jam mortuos, magicisque quibuſdam & barbaris utebantur verbis, ut videre eſt apud eamdem Epiphanium loco allegato, & Irenæum lib. 1. cap. 18. ideoque talis unctio fuit a Catholica Eccleſia reprobata; cum ex oppoſito Jacobi Apoſtoli ſive inſtituta a Chriſto unctio fuerit apud omnes Orthodoxos, & Eccleſias recepta.

26. Contra eſt. Si Patrum ætate Eccleſia morientes unxiſſet, quonam pacto Patres Hæreticos Heracleonitas, a quibus morientes ungebantur, erroris & ſuſpenſionis poſtulaſſent?

27. Reſpondetur, Hæreticos illos juxta Irenæum Libro 1. Cap. 18. non morientes ſed mortuos unxiſſe. Epiphanius hæreſi 16. non mortuos quidem ſed morientes fuiſſe ab illis unctos ſcribunt: verum addunt, talem unctionem fuiſſe plenam ſuperſtitionis, & infamiæ, factamque non oleo ſimplici ſed unguento balſamo, & aqua mixto, barbaris quibuſdam & magicis vocibus adjectis quibus ſuos ſe redimere dicebant: quare unctio illa fuit ab Eccleſia reprobata, quum ea quam ex oppoſito tuemur, apud Orthodoxos omnes fuerit recepta.

CAPUT IV.

De Inſtitutione Extremæ Unctionis.

28. Dum capite 2. reſponderemus argumentis hæreticorum, diximus aliqua de inſtitutione hujus ſacramenti, quia tamen res videtur ampliori explicatione digna, ſit

PROPOSITIO.

Non ab Apoſtolis, ſed a Chriſto inſtitutum fuit extremæ unctionis Sacramentum.

29. Prob. primo. D. Paulus ad Co. 3., & D. Petrus Epiſtola 1. cap. 4. vocant Apoſtolos *miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*; atqui diſtinguuntur inter ſe miniſter ſive diſpenſator, & inſtitutor alicujus rei: Ergo Apoſtoli inſtitutores non fuere Sacramentorum, ſed ſolus Chriſtus. Demonſtratum jam vero eſt extremam unctionem verum eſſe, & proprium novæ legis Sacramentum; ergo oportuit eam fuiſſe a Chriſto inſtitutam.

Probatur 2. Sanctorum Patrum auctoritate. D. Ambroſius libro 4. de ſacramentis cap. 8. ſcribit: *ergo auctor ſacramentorum quis eſt niſi Dominus Jeſus? de cælo iſta ſacramenta venerunt*. D. Auguſtinus lib. de vera religione cap. 17. in quæſt. *ab ipſa Dei ſapientia, homine aſſumpto, a quo in libertatem vocati ſumus pauca ſacramenta ſed uberrima conſtituta ſunt, quæ ſocietatem Chriſtiani populi continerent*; ut alios prætereamus Patres quibus accedit Conc. Tridentinum, cujus ſeſſ. 7. canon primus eſt. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Chriſto Domino inſtituta, anathema ſit*. Et ſeſſ. 14. ſingulariter de extrema unctione loquens, ait, eam eſſe vere & proprie Sacramen-

tum a Chriſto Domino inſtitutum, a Marco inſinuatum, & a Beato Jacobo Apoſtolo promulgatum. Ergo eam non Apoſtoli ſed Chriſtus ipſe inſtituit.

30. Probatur denique ratione. Deus per ſe, & immediate inſtituit ſacramenta veteris legis quæ infirma, & egena erant elementa, ergo a fortiori oportuit Chriſtum inſtituiſſe ſacramenta novæ legis, quæ ſunt illis perfectiora, & gratiæ efficientia. Si enim Chriſtus, ædificator Eccleſiæ eſt, conditor fidei & animarum ſanctificator, quomodo ipſe non inſtituit ſacramenta, quæ ſunt Eccleſiæ compago, fidei ſymbola, animarum remedia. Rurſus tribuere ſenſibili elemento vim ſanctificandi, & ſpiritualem gratiam efficiendi quis poteſt niſi Deus? atqui ſolus Chriſtus Deus erat, non autem Apoſtoli; itaque ſolus Chriſtus potuit oleum elevare ad effectus illos qui extremæ unctioni in ſcripturis tribuuntur, adeoque ſolus Chriſtus fuit extremæ unctionis inſtitutor.

31. Obj. 1. D. Auguſtinus cum lib. 3. de doctrina Chriſtiana tum Epiſtola ad Januarium, docet ſacramenta fuiſſe a Chriſto inſtituta, duo tantum commemorat Baptiſmum ſcilicet, & Euchariſtiam, ergo alia ſacramenta adeoque etiam extrema unctio fuere ab Apoſtolis inſtituta.

32. Reſpondemus. D. Auguſtinus uti eo loco particula *ſicuti*, ex omnibus ſacramentis aliqua ſolum recenſens, & memorans exempli cauſa. Quare ſicut illis in locis alia ſacramenta non denegat a Chriſto inſtituta; ita nec Sacramentum extremæ unctionis.

Contra eſt. Si Chriſtus per ſe & immediate inſtituiſſet hoc Sacramentum, aliquod extaret ejus rei in ſcripturis teſtimonium; atqui nil tale extat. Ergo &c. Prob. min. Si aliquod extaret, illud eſſet certe quod proſtat Marci 6. Atqui ex illo erui non poſſe hoc Sacramentum nos etiam probabiliter conſtituimus. Ergo &c. Remanet igitur quod cum extrema unctio fuerit primum a Jacobo memorata, eam ipſe inſtituerit pro poteſtate a Chriſto Apoſtolis facta, quibus etiam ipſe dixit Joannis 16. *Cum venerit ſpiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*; adeoque poſt aſcenſionem ejus in Cælum, & adventum Spiritus Sancti, quo tempore tunc Chriſtus non adhuc in terris erat, unde poſſet inſtituere Sacramentum.

33. Reſp. neceſſarium non eſſe aliquod extare in ſcripturis teſtimonium quod afferat, Chriſtum inſtituiſſe hoc vel illud Sacramentum; ſed ſatis eſſe ſi hanc veritatem legitime inferamus a verbo Dei ſcripto, & a verbo Dei tradito ipſam, confirmatam habeamus. Id evenit in caſu noſtro: Jacobus ſiquidem promulgavit fateor unctionem extremam, ſed non proprio nomine, bene vero ipſius Chriſti. Sicut enim cetera omnia quæ in Epiſtola illa Jacobi continentur non a ſe tradita, ſed vel a Domino, vel ab aliis Divinis ſcripturis expreſſa, & accepta ſunt, ipſeque fatetur, ita & olei ſancti Sacramentum.

34. Ad locum ex Joanne allegatum dicimus nil inde conſequi contra noſtram concluſionem. Nam apud eumdem Evangeliſtam in eodem ſermone ita Chriſtus ad Diſcipulos dicebat; *ille vos docebit omnia & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*; & *Matth. ultimo: docete omnes gentes &c. quæcumque mandavi vobis*. Jam vero ſatis conſtat promiſſam quidem fuiſſe Apoſtolis aſſiſtentiam Spiritus Sancti, & conceſſam a Chriſto poteſtatem inſtituendi ritus, & ceremonias, quæ ad ſacramentorum adminiſtrationem pertinere oportebat; non tamen aut ea inſtituendi, aut immutandi aut minuendi, ut recte monet, & declarat Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 2. ſic Apoſtolus I. ad Cor. 11. poſteaquam præceptum Domini, *hoc facite in meam commemorationem* luculenter expoſuit, inquit verſ. ultimo: *cetera autem cum venero diſponam*; virtus igitur Spiritus Sancti quam recepturi erant Apoſtoli poſt aſcenſionem Chriſti in Cælum non ita ſe extendebat, tribuere ut ipſi poſſent corporeo elemento virtutem ſpiritualem remittendi aut peccata, aut reliquias peccatorum.

35. Contra eſt. Si Chriſtus Sacramentum extremæ unctionis inſtituit ante reſurrectionem ſuam, deberet adſignari tempus & locus in quo eam inſtituit; ſed hoc fieri non poteſt. Ergo &c.

36. Reſp. in primis nego majorem. Nam negaverit nemo Chriſtum per ſe inſtituiſſe Sacramentum baptiſmi, & tamen certum & infallibile non eſt, an illud inſtituerit dum alloquebatur Nicodemum, an quando baptizatus ipſe fuit in Jordane, an poſtquam e ſepulcro reſurrexerat. Deinde nego minorem, & nam in actis Apoſtolorum cap. 1. narrat D. Lucas Dominum Jeſum poſt reſurrectionem ſuam per dies 40. cum Diſcipulis ſuis converſatum, fidei veritatem multis argumentis confirmantem, & loquentem de regno Dei, ideſt aperiendo Diſcipulis ſenſum divinarum ſcripturarum, exponendo Eccleſiaſticam Hierarchiam, nec non formas, ritusque Sacramentorum. *Non ergo hi dies dilectiſſimi*, inquit S. Leo ſermone 1. de aſcenſione Domini cap. 27. *qui inter reſurrectionem divinam aſcenſionemque fluxerunt otioſo tranſiere decurſu: ſed magna in eis confirmata ſacramenta, magna ſunt revelata myſteria*. Poſito igitur quod ea quæ Marci 6. habentur, non ſint ad ſacram hanc unctionem referenda, illius inſtitutionem ad ea dies transferemus quibus poſt reſurrectionem ſuam Chriſtus cum Apoſtolis converſatus eſt.

37. Obj. 2. Vel Chriſtus immediate hoc Sacramentum inſtituit, vel mediate. Si primum, cur ergo nonnulli Theologi Catholici id negant? Si ſecundum; ergo inſtituit illud opera Apoſtolorum. Ergo revera fuit ab ipſis inſtitutum.

38. Reſp. Argumentum hoc varia permiſcere, & confundere, quæ ſunt omnino diſtinguenda, Chriſtum inſtituiſſe Sacramentum extremæ unctio-

Digitized by Google

ctionis, præſertim poſt Concil. Trident. de fide eſt; nnn eſt autem de fide illud immediate inſtituiſſe; ſed hoc idoneo deducitur argumento præcipue a Thomiſtis. Si enim Jacobus dicitur a Concilio Tridentino, *promulgator* tantum hujus ſacramenti: ergo alius eſſe debet ejus inſtitutor, & hic fuit ſine Chriſtus. Jam vero diſtinctio inter inſtitutionem mediatam & immediatam inter Theologos Catholicos eſt potius diſtinctio nominis, quam rei. Nam qui docuere, inſtitutionem mediatam eſſe ad Chriſtum referendam, immediatam vero ad Jacobum, nunquam arbitrati ſunt ita Chriſtum per Apoſtolos inſtituiſſe Sacramentum, ſicut per Apoſtolos miracula operabatur, quo in caſu vere Apoſtoli miracula immediate operabantur; Chriſtus autem vere mediate, ideſt mediantibus Apoſtolis. Sed tunc cum nonnulli dicunt, Chriſtum mediate inſtituiſſe nonnulla ſacramenta, Apoſtolos vero immediate, denotare volunt Apoſtolos primos fuiſſe, qui promulgarent, & in uſu, & exercitio ponerent ea quæ illos voce ſua tantum docuerat Chriſtus, & de quibus eos inſtituerat poſt reſurrectionem ſuam. Nomine igitur immediatæ inſtitutionis intelligebant primam promulgationem & primum uſum talium Sacramentorum, nomine inſtitutionis mediatæ intelligebant oralem doctrinam a Chriſto ipſis traditam, quæ profecto inutilia diſſidia vitaturum Conc. Trident., ſatis eſſe duxit contra hæreticos ſtatuere, ſacramenta omnia fuiſſe a Chriſto inſtituta, quo ex decreto niſi verborum ſenſum corrumpamus certum ſaltem Theologice videtur fuiſſe ipſa a Servatore immediate inſtituta.

39. Contra eſt. Atqui Hugo Victorinus, Magiſter ſententiarum, Alexander Alenſis, & S. Bonaventura aperte docuere Sacramentum extremæ unctionis fuiſſe ab Apoſtolis inſtitutum ratione conceſſæ ſibi a Chriſto poteſtatis, & ex S. S. afflatu; ergo nullius eſt ponderis allata interpretatio.

40. Reſp. illos Scholaſticorum principes eſſe a nobis benigne interpretandos quemadmodum relate ad Magiſtrum ſententiarum præſtitere Albertus Magnus, & D. Thomas, qui inſtitutionis nomine promulgationem denotare ipſum voluiſſe docuerunt ut nos etiam innuimua in reſponſione ad argumentum primum capitis 2. Vel ſi Scholaſticorum illorum verba hanc interpretationem pati non poſſunt, dicendum eſt erraſſe illos valde, ideoque eſſe a nobis in hoc capite omittendos.

41. Contra. Licet Scholaſtici allegati omittendi ſint, ſequitur ex eorum doctrina tamen de fide non eſſe, extremam unctionem fuiſſe a Chriſto inſtitutam, nam ſi de fide id eſſet, hæreſim illi docuiſſent, neque Catholici Doctores haberentur; ſed nemo id dixerit de tantis viris: ergo Theologice ſolummodo verum erit inſtitutionem hujus ſacramenti eſſe Chriſto tribuendam.

42. Reſp. Nego Antec. & Probationem. Ut enim millies diximus, & millies dicemus, quod integrum & liberum eſt ante Eccleſiæ decretum; poſt Eccleſiæ definitionem, & vocem error quidem eſſe poterat, ſed hæreſis non erat. Illi autem præceptores ante Concilia Florentinum, & Tridentinum ſcripſere. Itaque ut egregie ait Melchior Canus lib. de locis Theologicis 7. cap. 2. „ etſi nonnulla quæ alioquin per ſe quidem ad „ fidem pertinebant, ut Apoſtolis, Prophetis, „ atque Evangeliſtis revelata in dubium venire „ poſſint antequam ſint ab Eccleſia definita, id „ tamen per ignorantiam fit, quæ videlicet excuſantur qui ea vertunt in quæſtionem quæ alias „ divinitus ſunt tradita, ut proceſſionem Spiritus ſancti a Patre, & Filio tanquam ab uno „ principio ante Eccleſiæ definitionem Græci quidam negare ſine culpa potuere, tametſi Evangelium id, Apoſtolique tradiderunt“; Ita & dicimus nos in caſu noſtro, potuiſſe Hugonem Victorinum, Magiſtrum ſent., Alenſem & Bonaventuram aliquando errare ſine culpa in aliqua re, & doctrina ad ſacramenta pœnitentiæ, quin ſequatur tamen, integrum nunc, ideſt poſt concilia nobis eſſe negare de fide eſſe ea in quibus illi ſine pertinacia erravere.

43. Obj. 3. Nullum videtur eſſe inconveniens Chriſtum hanc Apoſtolis reliquiſſe poteſtatem, ut pro Eccleſiæ, & fidelium exigentia aliqua inſtituerent ſacramenta, tum quia Joan. 20. legimus ipſum dixiſſe Apoſtolis: *ſicut miſit me Pater, ita ego mitto vos*. Ergo ſicut ipſe inſtituit Sacramenta Baptiſmi, & Euchariſtiæ, aut etiam pœnitentiæ, ita etiam potuit voluiſſe Apoſtolos cætera inſtituere ſacramenta. Tum etiam quia D. Auguſtinus tractatu 5. in Joannem ſcripſit: *Potuit Dominus, ſi vellet poteſtatem dare alicui ſervo ſuo ut daret Baptiſmum vice ſua, & transferre a ſe baptizandi poteſtatem & conſtituere in aliquo ſervo ſuo, & tantam vim dare baptiſmo translato in ſervum, quantam vim haberet baptiſmus a Domino*. Ergo potuit dare Apoſtolis virtutem inſtituendi Sacramentum ipſum. Cum igitur in ſcripturis non appereat Chriſtum inſtituiſſe Sacramentum extremæ unctionis, illudque primum inculcatum & præceptum reperiamus a Jacobo, videtur inferre nos jure poſſe tale Sacramentum ab eodem Apoſtolo fuiſſe inſtitutum.

44. Reſp. hoc etiam argumento multa miſceri, & confundi, quæ ſeparanda ſunt prorſus, & omnino diſtinguenda. Cum enim dicimus Sacramentum extremæ unctionia uti reliqua omnia fuiſſe a Chriſto inſtituta, & Apoſtolos non habuiſſe auctoritatem, aliqua inſtituendi ſacramenta, de re facti loquimur; ſive de eo quod factum eſt, & fuit, non vero de poſſibili. ſive de eo quod eſſe potuit. Rurſum dum Theologi agunt de poteſtate quam Chriſtus communicare Apoſtolis aut hominum alicui potuiſſet relate ad ſacramenta animadvertunt, tres oportere diſtingui in Chriſto

reſpe-

Digitized by Google

reſpectu ſacramentorum poteſtates. Prima appellatur poteſtas auctoritatis quæ propria eſt ſolius Dei, & cujus vi, & virtute fit, ut tribuatur, & communicetur rebus corporeis, & ſenſibilibus ſcilicet materiis, & formis Sacramentorum, vis virtus, & proprietas producendi, & efficiendi gratiam in anima. Secunda dicitur poteſtas excellentiæ, quæ convenit humanitati Chriſti, & in eo ſita eſt, ut promeruerit Chriſtus eam gratiam quæ per ſacramenta rite diſpoſitis confertur, atque potuerit eandem conferre gratiam abſque ſacramentis, ut denique ipſa ſacramenta in Chriſti nomine adminiſtrentur. Tertia tandem vocatur poteſtas miniſterii ſive delegata Eccleſiæ miniſtris, qua ſacramenta a Chriſto Domino inſtituta parant efficiunt, & diſponunt.

45. Jam vero certum & de fide apud omnes eſt, Chriſtum Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus tertiam hanc, nempe miniſterii conceſſiſſe poteſtatem. Sed æque certum eſt & de fide Apoſtolos non habuiſſe a Chriſto poteſtatem auctoritatis, quia cum talis poteſtas propria Dei ſit, non poterat communicari creaturæ; adeoque nunquam potuiſſent Apoſtoli elevare rem ſenſibilem, ut vim, & virtutem haberet producendi ſpiritualem, & ſupernaturalem gratiam, proindeque aliquod inſtituere Sacramentum. Tota igitur controverſia inter Theologos eſt, an communicare Chriſtus potuiſſet creaturæ poteſtatem excellentiæ, vi cujus ſcilicet promovere creatura alteri poſſet gratiam illam quæ conceditur per ſacramenta, aut potuiſſent hæc in illius creaturæ nomine adminiſtrari? Qua quidem in re D. Thomas, & cum eo S. Bonaventura, Ricardus, Cajetanus, Sotus, & alii ſentiunt potuiſſe Chriſtum virtutem illam Apoſtolis communicare, aut aliis; quia tali in re nullam reperire ſibi videntur contradictionis implicantiam, ſimul tamen omnes docent Chriſtum illam nulli communicaſſe aut conceſſiſſe poteſtatem, ne, inquit S. Præceptor quæſt. 64. 3. partis, quia in homine ſpem poneret, ſi hominis meritum in Sacramento operaretur, & ne ſchiſmata orirentur, dum tot ex. gr. eſſent baptiſmi quot eſſent ſervi, *& quomodo dictum eſt baptiſma Joannis, ſic diceretur baptiſma Petri, baptiſma Pauli, ſic baptiſma Jacobi, ſic baptiſma Thomæ &c.*

46. Dum igitur Aug. ſcripſit potuiſſe Dominum ſi voluiſſet poteſtatem dare ſervo ſuo, in eadem eſt cum allegatis auctoribus ſententia; nempe loquitur de poteſtate non auctoritatis, ſed ſolum excellentiæ quam tamen nulli datam, & conceſſam ibidem ipſe quoque docet. Siquidem citatis verbis ſtatim addit, & ſubjungit: *hoc Chriſtus noluit, ideo ut in illo ſpes eſſet baptizatorum a quo ſe baptizatos agnoſcerent. Noluit ergo ſervum ſpem ponere in ſervo. Et iterum potuit hanc poteſtatem ſervis dare, & noluit.* Si Chriſtus igitur poteſtatem excellentiæ quam poterat noluit tamen alicui communicare, quanto minus imaginari debemus aut communicaſſe, aut communicare voluiſſe poteſtatem dignitatis quæ a Divinitate profluit, quæque neceſſaria in Apoſtolis fuiſſet inſtituendis ſacramentis. Nec aliquam firmitatem ſumit argumentum ex allegatis apud Joannem verbis: *ſicut miſit me pater, & ego mitto vos.*

Reſpondet enim citato loco D. Thomas vocem *ſicut* ſignificare ſimilitudinem, non æqualitatem quemadmodum & Matth. 5. *eſtote perfecti, ſicut Pater veſter Cæleſtis perfectus eſt.*

CAPUT V.

De Materia Sacramenti Extremæ Unctionis.

47. Materiam hujus Sacramenti ſatis expreſſit Jacobus Apoſtolus ſcribens: *ungentes eum oleo*, per quod totius Eccleſiæ traditione & conſenſu non aliud intelligitur quam oleum olivæ, propriè ſiquidem id olei nomine ſignificatur ſicut aquæ nomine denotatur aqua elementaris. Recte autem olei natura congruit ſignificationi, & effectui hujus Sacramenti. Nam ſicut aqua, qua corpus abluitur in baptiſmo, ſignificat mundationem animæ a peccato, ita oleum, cujus in medendis corporis morbis magnus eſſe uſus ſolet, optime congruit ſignificandæ ſanationi mentis. Oportet autem Oleum ſimplex eſſe, quod non balſamo, neque alteri cuicumque liquori permixtum ſit. Vocatur quidem ab Innocentio I. *Chriſma, & Oleum Chriſmatis.* At Chriſma, & Oleum Chriſmatis eo loci pro unguento ſumitur ſeu pro eo omni quo quis ungi poteſt. Nullo enim in canone nullo in Pontificali mixturam in eo aliquam admitti intelligimus.

48. Ut autem Oleum apta ſit hujus Sacramenti materia, debet eſſe ab Epiſcopo vel a Sacerdote conſecratum, quod ita intelligendum eſt, ut in latina Eccleſia ordinario jure a ſolo Epiſcopo conſecrari debeat, ſed ſolemni etiam benedictione ex Apoſtolica auctoritate, & privilegio conſecrari poſſit a ſimplici presbytero, in eccleſia vero græca ab utroque poſſit jure ordinario conſecrari. Ita diſſentientes tum veterum, tum recentiorum Theologorum ſententias mihi optime videtur componere P. Berti libro Theologicarum diſciplinarum 15. cap. 4. Epiſcopalem ſane conſecrationem magnificentiſſime requirunt, Innocentius Primus in Epiſtola ad Decentium, Beda in cap. 6. Marci & Lucæ 8., & Jacobi 5. Concilium Meldenſe canone 2. apud Brucardum, & Ivonem, Concilia denique Florentinum, & Tridentinum, hancque olei conſecrationem Apoſtolicæ eſſe traditionis ſtatuere videbatur I. Baſilius cap. 27. lib. de SS. Clariſſimorum tamen Theologorum teſtimonio, atque ex privilegiis ab Apoſtolica Sede conceſſis, quibuſdam Miſſionariis in Indiam profectis, ut allegatus Berti animadvertit, evidens eſt factam fuiſſe aliquando ſim-

Digitized by Google

ſimpliciter presbyteris ſacri Chriſmatis conficiendi atque conſecrandi poteſtatem; multo magis igitur eiſdem concedi a Pontifice ſummo poterit benedicendi oleum facultas. *Si* enim Chriſma conficere juxta conciliorum canones peculiare munus eſt Epiſcopi, adeo ut ſi presbyter extraordinaria poteſtate conſignet, quemadmodum in more poſitum eſt apud græcos latinis Epiſcopis non ſubjectos, Chriſma accipere ab Epiſcopo teneatur, conceditur adhuc tamen Miſſionariis ſimpliciter Presbyteris ut Chriſma conficiant & conſecrent, multo magis eiſdem concedi extraordinario jure latina in Eccleſia poterit, ut oleum conficiant, & conſecrent, cum id in uſu habeant presbyteri græcorum ut teſtatur Joannes Nathanael in epiſtola ad Epiſcopum Anagninum, Arcudius lib. 5. concordiæ cap. 2. Allatius lib. 3. conſenſus Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ cap. 16. aliique ritibus cap. 7. num. 7. artic. 3. tum Julius Antonius Cardinalis in Epiſtola ad Epiſcopum Meſſanenſem de Græcis ſcript. *juxta ſuum ritum presbyteri in actu exhibitionis hujus Sacramenti oleum ipſi benedicunt: quare cum id ad eorum ritum pertineat, nihil modo immutandum videtur*. Quod ſane confirmari poteſt ex Synopſi Neophiti Rhodini, quam ſacra Congregatio de Propaganda Fide approbavit typiſque edi mandavit anno 1633., & ex inſtitutione Clementis VIII. ſuper aliquibus græcorum ritibus edita anno 1595. & a Benedicto XIV. confirmata in ſua conſtitutione quæ incipit: *Etſi paſtoralis*.

49. Dubitatur an valeat Sacramentum extremæ unctionis oleo non conſecrato collatum cum nullo aut ex Scripturis, aut ex traditione petito argumento demonſtrari invicte queat, neceſſariam eſſe benedictionum olei tanquam conditionem Sacramento eſſentialem, quæque pro ipſius neceſſitate adferuntur loca Eccleſiaſtico de præcepto interpretari poſſe videantur. Verum oppoſitam opinionem cum aliis præſtantiſſimis tuetur D. Thomas in 4. ſent. Diſt. 23., & in ſupplemento inter oleum extremæ unctionis, & baptiſmi aquam hoc adferens diſcrimen, quod in aqua baptiſmi neceſſaria non ſit ſanctificatio, quam illi indidit Dominus carnis ſuæ contactu; neceſſaria autem ſit oleo, effectum ſupernaturalem præſtituro. Certe de neceſſitate præcepti non loquitur hic D. Thom. Nam aqua etiam baptiſmalis benedici debet juxta Eccleſiæ præceptum antiqua traditione & perpetua conſuetudine confirmatum. Certum interim videtur fore, ut graviter peccaret, qui oleo non conſecrato in adminiſtratione hujus Sacramenti uteretur, cum in uſu Sacramentorum fas non ſit probabilem ſequi opinionem relicta tutiore, ut ſtatuit Innocentius XI. Romanus Pontifex.

CAPUT VI.

De forma Extremæ Unctionis.

50. Diſſertationem de ſuprema unctione concinnavit Benedictus de Gaetanis, in qua ex variis eccleſiarum ritualibus tum græcis, tum latinis plures collegit formulas, quibus hoc Sacramentum adminiſtratum eſt; idque ante ipſum præſtitere Edmundus Martene, Joannes Launoius, Hugo Menardus, & Chardonus in ſuis hoc de Sacramento elucubrationibus. Formam ipſius non fuiſſe a Chriſto Domino inſtitutam in ſpecie infima, ut ajunt, hoc eſt certis verbis præſcriptam, Theologi omnes admittunt, exque diverſis ipſis formulis in Eccleſia etiam latina uſurpatis colligi animadvertit Benedictus XIV. lib. 8. de Synodo Diœc. cap. 2. Quæ nunc in Eccleſia latina ſit adhibenda, jam a Tridentino accepimus, & clarius in Rituali Romano explicatur, nempe: *per iſtam Sanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, & ſimiliter in aliis membris*. Neque eſt qui non intelligat eam eſſe deprecativam, quemadmodum deprecativam pariter eſſe quæ adhibetur a græcis, liquet ex eorumdem Euchologiis. Quæſtio tamen eſt, an neceſſario debeat eſſe deprecativa, ita ut indicativo modo pronunciata irritum reddat Sacramentum. Deprecationem pertinere ad eſſentiam hujus Sacramenti docet D. Thom. in 4. ſent. diſt. 23., & in ſupplemento, non ſolum ob apertiſſima Jacobi verba: *infirmatur qui ex vobis? inducat presbyteros, & orent ſuper eum, & oratio fidei ſalvabit infirmum*, verum etiam quia cum ſuſcipiens ſit propriis animi & corporis viribus deſtitutus, maxime indiget aliorum orationibus adjuvari, quia cum jam jam ſit ſiſtendus Divino tribunali, plane convenit, ut per Sacerdotem divinæ miſericordiæ commendetur, quia modus curandi ſive animam ſive corpus, non eſt hic per miniſterium Sacerdotis tanquam judicis, aliiſque de cauſis, quæ proſtant apud S. Doctorem in opuſculo de forma abſolutionis cap. 1.

51. Obiiciunt quidem nonnulli plures formulas antiquis in Ritualibus receptas verbiſque tantum indicativis expreſſas.

52. Verum ut recte ſcripſit Cardinalis Sanctorius in ſuo Rituali pagina 324. „ ſciat Sacerdos „ formam hujus Sacramenti eſſe verba illa de- „ precatoria, quæ in unctionibus proferuntur. „ Tum etiam noverit formam non ſervari, & nihil „ agi per verba indicativa tantum ſine verbis „ deprecativis, cujuſmodi adhuc ego non repe- „ ri. Et quamvis ea occaſione Theologi aliqui „ referant, quod multæ Eccleſiæ habeant pro for- „ ma verba indicativa ut, *ungo oculos tuos &c.* „ Et ideo quæſierint, an valeant, & de ea re „ plu-

„ plura, extra rem dixerint; cum nuſquam reperiatur talis forma per verba indicativa tantum, ſeu per orationem indicativam tantum ſine verbis deprecativis, hoc Sacramentum conferri: ſed & libri, & ritus Eccleſiarum qui pro ea parte citantur, quod habent verba indicativa, paullo poſt habent etiam verba deprecativa. Quare quæſtio inanis & fruſtranea eſt. Quoniam hujuſmodi forma variis verbis traditur in diverſis Eccleſiis, etiam præmittendo verba indicativa, & ſubjungendo deprecativa. Cæterum apud Sanctam Romanam Eccleſiam unam tantum in hoc Sacramento deprecandi formulam traditam, & paſſim in Italia, & toto orbe receptam eſſe compertiſſimum, & exploratiſſimum eſt. Hucuſque citatus Cardinalis " (a).

53. Et ſane infirmum argumentandi genus illud eſt quod ex aliquo deducitur rituali, ut inferri poſſit deprecativam formulam non eſſe huic Sacramento neceſſariam. Primum enim, ſi quando de rebus hujuſmodi agitur non inquirendum quid particularia ferant ritualia, ſed quid ea quæ antiquiora ſunt, quæ formulas continent cum orientalium, tum occidentalium dicendi modo conſonas, quæ Romana ab Eccleſia, & a generalibus Conciliis fuerunt uſu recepta, & conſecrata. Chardonus lib. 3. hiſtoriæ Sacramentorum cap. 1. Launojum incitatus in obſervationibus ſuis cap. 1. notat ſcholaſticos, quod hujus de forma Sacramenti pertractantes, ea ſibi conſtituerint principia quæ cum formulis, & ritibus ſuorum modo conveniebant temporum, & ex illis principiis eas ait conſecutiones inde derivaſſe non omnino neceſſarias, quod ignoratam ipſis credat antiquitatem, quare inquit nihil referre, utrum forma Sacramenti, de quo agimus, indicativa uſi fuerint miniſtri, an deprecativa potius, an vero mixta dummodo in nomine Domini unxerint.

54. Verum ita diſſerendo ſuam ipſe potius patefacit Chardonus eruditam ignorantiam. Unctio enim ad materiam pertinet, & materia dicitur a Theologia proxima non vero forma Sacramenti, quæ in verbis ſita eſſe debet a miniſtro pronunciatis. Hæc vero verba niſi efferantur juxta mentem, & voluntatem illius qui inſtituit Sacramentum, ejus forma eſſe non poſſunt, fateor ipſe iterum me magno habere, & ſemper habuiſſe in pretio eruditionem Eccleſiaſticam ſi tamen conjuncta ſit veris, ſolidiſque Theologiæ principiis, & fundamentis, ſecus enim farrago ſolum eſſe poteſt, rudis, indigeſtaque moles, & arena, ſine calce. Sane dum Florentini, & Tridentini Patres dogmata in examen revocare, & definire perrexerunt non quæſiverunt quid rituales particularium Eccleſiarum libri ferrent, ſed quid verbum divinum ſcriptum, & traditum, quid Sancti Patres, quid Eccleſiarum traditiones, quid Theologiæ principes, quid Romana Sedes, & ſcholæ Orthodoxæ de illis cogitarent, unde ſua ſtatuerent decreta. Quare cum hæc omnia pro deprecativa faciant in Sacramenti Extremæ Unctionis formula, debet ipſa dici eidem eſſentialis. Interim certum apud nos eſſe debet graviſſimum fore ut committeret miniſter flagitium qui formam nunc omitteret deprecativam: tum quia nemo poteſt ſine gravi culpa immutare formam a publica Eccleſiæ auctoritate præſcriptam, tum etiam quia cum omnes omnino fateantur hoc Sacramentum formula deprecativa adminiſtratum valere, ex oppoſito plurimi inſignes Theologi, aut negent aut ſaltem dubitent valere adminiſtratum formula indicativa; hinc ſi quis iſta uteretur, ageret contra præceptum de non ſequenda in Sacramentorum uſu probabili opinione in concurſu alterius præſertim quæ ab omnibus certa creditur & tuta (b).

CA-

(a) Eamdem habet doctrinam doctiſſimus de Rubeis in diſſertatione ſua de vetuſtis liturgiis aliiſque ſacris Ritibus, qui vigebant olim in aliquibus Forojulienſis Provinciæ Eccleſ. Capite ſiquidem XXVIII. varias illuſtrans illic uſurpatas in collatione hujus Sacramenti Liturgias, animadverſiones ſubjicit, quæ diſſidentes Theologos in concordiam revocare poſſe videantur. Formulas igitur illas, quæ indicativo exprimuntur modo vocari orationes, atque etiam eſſe adnotat, quum unctionis actio indicativis quidem exprimatur verbis, ac verba cetera, quæ Sacramenti effectum per unctionem obtinendum enunciant, modum habeant propriiſſimæ deprecationis: quod Forojulienſibus Liturgiis confirmat, in quibus ipſe ſacerdos, qui formulis utitur indicativis, deprecari ſe tamen teſtatur in adjectis obſecrationibus; quare egregia ſit D. Thomæ doctrina: formam Sacramenti eſſentialem ſitam non eſſe in primis indicativis verbis, verum potius in deprecativis quæ ſequuntur &c.

(b) Materia hujus Sacramenti eſt Oleum Olivæ, ab Epiſc., aut a Sacerd., jure ordinario apud Græcos, apud Latinos vero ex ſpeciali privilegio aliquando etiam a Sacerdote benedictum. Forma ut habetur in Romano rituali, eſt per modum deprecationis; juxta illud: *orent ſuper eum*. Quæ ſane deprecatio ſive in actu ungendi, ſive poſt unctionem in omnibus ſemper fuit Ritualibus Eccleſiarum ut poſt Cardinalem Sanctorium in ſuo rituali probat P. de Rubeis in diſſertatione de vetuſtis ſacris Forojulienſium Eccleſiarum Ritibus. Fallitur propterea Launojus cap. 6. obſer. 17. 18. 19. Dum D. Thomam, S. Bonaventuram alioſque Scholaſticos redarguit quaſi in unctione tantum formam hujus Sacramenti admiſerint; quando eam recognoſcunt inter ungendum id precibus & deprecationibus complendo.

CAPUT VII.

De Miniſtro Extremæ Unctionis.

55. Quinam deberent infirmos ungere, videtur ſatis expreſſiſſe Jacobus ſcribens: *inducat presbyteros Eccleſiæ*; quibus verbis omnes Orthodoxi non alios intelligendos docuere, quam Sacerdotes ab Epiſcopo rite ordinatos, ſive iidem ſint Epiſcopi, ſive non.

56. Hac enim ſignificatione uſurpatur nomen illud ubicumque de Eccleſiæ miniſtris agitur ut in actis Apoſtolorum, & in Epiſtolis Paulinis, nominatim vero, quæ Catholicæ vocantur ut in S. Petri epiſtola cap. 5.; & in Epiſtola Joannis 2. & 3. ſimiliter autem ex hoc loco, ut ex verſione Syriaca fatetur etiam Grotius, & in ſuo ad hæc Jacobi verba commentario. Eſtius animadvertit, primum quia non ſimpliciter presbyteri dicuntur, *ſed presbyteri Eccleſiæ*; tum quia jubentur orare ſuper infirmum, deinde quia per eos unctio facienda præſcribitur *in nomine Domini*; denique quia per eorum miniſterium remiſſio peccatorum obtinenda promittitur, imo cum poſtremæ unctionis Sacramentum ſit Sacramenti pœnitentiæ completivum, ad eos illud pertineat oportet, qui iſtud adminiſtrant. Joannes Launojus cap. 2. libri de Sacramento Unctionis infirmorum obſervatione 2. ubi explicat Eccleſiæ Traditionem contra miniſtrum E. V. ponit hanc theſim: *Videtur Diaconis aliquando prohibitum aliquando vero conceſſum, ut extremam Unctionem conferrent*. Sed ſincere ſi loquitur, inter innumera, quæ adfert documenta, neque unum quidem eſt quod loquatur de poſtrema Unctione, ſed ea modo ſunt, quibus plurimi Theologi utuntur, ut oſtendant commiſſum olim Diaconis fuiſſe in caſu neceſſitatis, & in articulo mortis, Clavium uſum, & officium abſolvendi.

57. Aliquid negotii faceſſit Innocentius I. in ſua ad Decentium epiſtola de ſacro oleo ſcribens: *quod ab Epiſcopo confectum non ſolum Sacerdotibus, ſed & omnibus uti Chriſtianis licet in ſua aut ſuorum neceſſitate ad ungendum*. Tamen verba optime explicant præſtantiſſimi Theologi dum animadvertunt, fideles paſſim ætate Innocentii oleo ſancto uſos fuiſſe, eoque ſe unxiſſe ad ſanitatem corporis recuperandam, etiam extra graves morbos, neque tamen confeciſſe tunc Sacramentum aliquod, ſive defectu poteſtatis, & intentionis, ſive quod nullam Sacramentalem formam recitarent. Pium illum morem infinitis exemplis confirmatum, Innocentii tempore vigentem approbare voluiſſe Pontificem, ajunt ejuſmodi Theologi, quin inde ſuſpicari valeamus ipſum ſignificare voluiſſe omnes eſſe poſſe hujus Sacramenti miniſtros. Ita ſtatim videbimus a græcis ungi præter infirmum etiam adſtantes, quin illis credant conferri Sacramentum.

58. Dubitavere nonnulli num ad hoc Sacramentum valide adminiſtrandum unus ſufficiat Sacerdos, vel plures requirantur, ob citata Jacobi verba: *inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini*. D. Thomas lib. 4. contra gentes cap. 73. ſcribens: *Jacobus dicit: Inducat presbyteros Eccleſiæ, & oratio fidei ſalvabit infirmum. Si tamen unus ſolus presbyter adſit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Eccleſiæ, cujus miniſter exiſtit, & cujus perſonam gerit*. Quamvis unus ſufficiat plures nihilominus olim Sacerdotes latina etiam in Eccleſia adhibitos fuiſſe ex pluribus ritualibus colligunt Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii, & Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus lib. 1. cap. 7. art. 5. ubi tamen fatetur, hanc ipſam latinæ Eccleſiæ conſuetudinem non fuiſſe firmam, conſtantem, & univerſalem, cum ex aliis æque antiquis monumentis conſtet, infirmos fuiſſe ab unico Sacerdote ſæpe numero inunctos. Sed ut animadvertit Billuartus art. V. Diſſertationis de extrema unctione, dictum id fuit per enallagem ſive per mutationem numeri, quaſi dixiſſet aliquem ex Presbyteris, ſicut ſolemus dicere, nos confiteri peccata Sacerdotibus, ideſt alicui Sacerdotum, quæ figura non eſt infrequens in Scriptura, & in Patribus. Sic Matthæi 27. dicitur: *Latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, ideſt unus ex Latronibus, ut habetur Lucæ 23. Similiter ibidem: *illudebant autem ei & milites accedentes & acetum offerentes ei*; & tamen id ab uno tantum factum narrant Matth. & Marcus. Sic etiam Auguſtinus Sermone 33. de diverſis num. 324. ſcribit, mulierem detuliſſe infantem a Sancto Stephano reſuſcitatum ad Presbyteros, baptizandum, ideſt ad aliquem presbyterorum. Sæpe ſacris in literis poni pluralem numerum pro ſingulari animadvertit lib. III. de conſenſu Evangeliſtarum idem S. Pater. Sufficere denique unum Sacerdotem definivit Alexander III. & uſus oſtendit Catholicæ Eccleſiæ cujus rationem adfert nedum licitum, ſed validum; laudabile eſt, tametſi non neceſſarium, ut uni Sacramentum adminiſtranti alii plures aſſiſtant Sacerdotes ob rationem adductam a D. Thom. citato cap. 73. lib. 4. contra gentes ſcribente: *quia hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento quod multi Sacerdotes interſint, & quod oratio totius Eccleſiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet*. Si autem plures Sacerdotes intereſſe nequeant alios acceſſendos probos viros qui commode haberi valeant, ob eandem rationem adnotavit Cardinalis Sanctorius in ſuo rituali Sacramentorum pagina 324.

59. Quare vero factum ſit ut Eccleſia latina voluerit tandem hoc Sacramentum ab uno Sacerdote adminiſtrari, docet Benedictus XIV. lib.

lib. 8. de Synodo Diœceſana cap. 4. ſcribens cur Eccleſia latina, quamvis etiam nunc plures adeſſe cupiat, per unicum tamen Sacerdotem velit Sacramentum adminiſtrari. Quæſtio autem ita reſolvitur. Cum plures ſimul Sacerdotes ad infirmum inungendum advocabantur, quilibet pro ſua opera haud exiguam expoſcebat mercedem, cui ſolvendæ cum pauperum vires non ſufficerent, ii ſine extrema unctione decedebant. Quamobrem hæretici Waldenſes ſeu pauperes de Lugduno uti narrat Raynerus ordinis Præd. in opere contra eoſdem circa annum 1254. exarato inter falſas rationes propter quas Sacramentum extremæ unctionis reprobabant, hanc etiam adducebant, *quia tantum divitibus datur*. Curaverant ſane Eccleſiarum præſules prædictam turpem Sacerdotum avaritiam reprimere, ſeveriſque ſanctionibus indixerant pro Sacramentali unctione quidquam exigere. Quod potiſſimum ſtatutum reperimus ab Edone Epiſcopo Pariſienſi cap. 8. ſuarum inſtitutionum & in Synodis Andegavenſi anni 1283. Rhemenſi, & Trecenſi, habitis initio ſæculi XV. Verum cum hæc repagula haud ſufficientia comperta ſint ad compeſcendam Sacerdotum petulantiam viſum eſt deliberandum, ut deinceps extrema unctio, nulla petita mercede a ſolo conferretur ægrotantis Parrocho. Hucuſque Pontifex (*a*).

60. Græci ritum adhuc retinent ſeptem adhibendi Sacerdotes in extrema unctione miniſtranda vel ſaltem tres quod a latinis minime improbatur, modo Græci nobiſcum fateantur, & credant valide poſſe idem Sacramentum ab uno adminiſtrari quemadmodum poſt Allatium, Arcudium, & Goarium docet Benedictus XIV. loco allegato.

CAPUT VIII.

De Subjecto Extremæ Unctionis.

61. EXtremam unctionem ſolis infirmis eſſe exhibendam ex allegatis Jacobi Apoſtoli verbis ſtatuit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3. & catechiſmus ejuſdem Concilii, ſive Romanus. Docuerat id jam D. Th. in 4. ſentent. diſt. 23. q. 2. & Eugenius IV. in decreto. Illis denegatur, qui cum ſano ſint corpore probabile vel certum etiam adeunt vitæ periculum, navigaturis ſcilicet, præliaturis, ultimo ſupplicio plectendis fœminis partui propinquis ſi nulla laborent infirmitate quia ſacramentum hoc eſt infirmorum, ut pluribus etiam in Synodis declaratum, & conſtitutum eſt. Huic autem Eccleſiæ praxi non opponuntur exempla aliqua a Mabilonio, & Martenio relata. Cum quia rariſſima illa ſunt tum etiam quia derivata credi poſſunt ex ſpeciali Spiritus Sancti afflatu, qui interdum homines ſolvit ab ordinariis providentiæ legibus, tum denique quia exiſtimare poſſumus, eos qui admoniti divinitus fuere de inſtante ſibi vitæ interitu, jam tum cæpiſſe lethali morbo interius laborare, quo cito perducerentur ad mortem, quamquam exterius ſani viderentur; & incolumes. Hinc ajunt etiam Theologi poſſe extremam unctionem ſenibus concedi qui præ decrepita ætate, licet nulla alia ſpeciali affligentur ægritudine, in dies creduntur morituri, ipſa enim gravis & annoſa ſenectus infirmitas eſt; quæ interiora vitæ organa labefactat, & mox ducit ad interitum.

62. Græci nunc quoque non infirmos modo; ſed benevalentes inungere ſolent, qua de re multas inſtituerunt Theologi quæſtiones, an ſcilicet ſanos etiam inungant intentione adminiſtrandi Sacramentum, an ſecus; adfirmantibus aliis, aliis negantibus, imo talem Sacramenti adminiſtrationem nonnullis quidem criminantibus, nonnullis ex oppoſito validam licitamque apud illos eam defendentibus; mihi tamen eorum opinio ſequenda videtur, qui ſanorum inunctionem a græcis fieri contendunt, tanquam meram ceremoniam ſacram, ſive Sacramentalem quamdam benedictionem, per quam Sacerdotes unice intendunt inunctos ſublevare ab aliqua corporis infirmitate, vel etiam a graviore morbo præſervare, quod etiam Latina in Eccleſia olim factum diximus in explicatione verborum Innocentii I. ad Decentium. Ritum & formulas, quibus tunc ungi ſolebant etiam ſani apud Goarium habemus, Renaudotium, & Chardonum: quibus patet ejuſmodi conſuetudinem inter cæteras recenſendam ex pietate primum ortus, quales illæ erant, ob quas adſtantibus, qui non communicaverant, poſt miſſæ Sacrificium diſtribuebantur reliquiæ panis oblati, & non conſecrati, & aliquando diſtribuebatur petentibus aqua ob baptiſmum benedicta cæteræque ceremoniæ, quæ apud nonnullos demum degeneravere, ſed quæ in earum prima inſtitutione innocenter ad fovendam religionem fuerant inductæ.

63. Sed alia æque ſe ſe offerunt argumenta græcos vindicantia, nempe in unctione ſanorum adſtantium quam faciunt occaſione ungendi infirmos, non petunt a Deo reſtitutionem ſanitatis eorum, qui valent quæ eſt unus ex effectibus hujus Sacramenti, non remiſſionem peccatorum, quam obtineri poſſe ſolum credant virtute Sacramenti pœnitentiæ: miniſtri non habent intentio-

nem

(*a*) Ante ipſum id animadverterat Chardonus in hiſtoria Sacramentorum lib. 3. cap. 3. quo etiam in loco ea in medium adfert inconvenientia, quorum ratione Sacramentum hoc inferioribus ſæculis præſertim 13. vel omiſſum fuit prorſus, vel extrema ſolum vitæ hora conferri cæptum.

Digitized by Google

nem conferendi, nec ſani ſuſcipiendi Sacramentum; quodque magis eſt, de illa ſanorum unctione nunquam conqueſti ſunt Latini, quod fecissent certe, ſi græcos ſacramentalem unctionem ſanis conferre exiſtimaſſent. Innocentius quippe IV. in Epiſtola ad Epiſcopum Tuſculanum legatum ſuum querebatur modo, græcos oleum ſacrum adhibere in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ loco ſatisfactionis vel in ſupplementum Canonicæ pœnitentiæ. Quare conſequimur græcos Sacerdotes occaſione adminiſtrandi extremam unctionem infirmo, vel ſe ſe invicem, vel ſanos adſtantes ſola devotionis cauſa, oleo illo ſacro ungere pergentes, non eſſe propterea damnandos.

Ætas neceſſaria huic Sacramento ſuſcipiendo communiter in omnibus ritualibus & Eccleſiarum decretis ea eſſe ſtatuitur, qua infirmus perventus eſt ad uſum rationis, ſive ut dicitur diſcretionis, quia tunc ſolum infirmus peccati capax fuiſſe præconcipitur. Pauci fuêre qui majorem ætatem poſtulabant, ſed ullo ſine fundamento, adeoque communis praxis hoc etiam in capite retinenda eſt. Maldonatum autem perperam arbitratum infantibus etiam olim collatum fuiſſe hoc Sacramentum valide oppugnat Berti lib. de Theologicis Diſciplinis 15. cap. 9.

CAPUT IX.

De effectu Extremæ Unctionis.

64. JOannes Adamus Scherzerus in ſuo Antibellarmino diſputatione 13. agens de extrema unctione, cæteris cum proteſtantibus ipſam non eſſe novæ legis Sacramentum ex eo colligere conatur, quod noſtri non ſatis, ut ipſe arbitratur, conveniant in effectum illius aſſignando. Bellarminus ſiquidem, inquit ille, duos eſſe dicit hujus Sacramenti effectus. Primum quidem ſanitatem corporis, ſi ita expediat animæ ſaluti, alterum quod abſtergit reliquias peccatorum. Verum inquirendum ſupereſſe ait, quid ſint reliquiæ peccatorum. Cui reſpondet Bellarminus non intelligenda eſſe peccata venialia; cum ea poſſint ſine Sacramento deleri; nec ad ea delenda requiratur nova infuſio gratiæ, quæ eſt effectus omnium Sacramentorum; neque Jacobus dixiſſet *ſi in peccatis fuerit*; peccata enim venialia omnes habemus, neque tutum eſt reſtringere ad venialia quod Jacobus generatim vocat peccatum, & quod in forma dicimus: *quidquid deliquiſti &c.*

65. Sed neque pronitatem, ſive habitum ex peccato relictum reliquias eſſe peccatorum vult Bellarminus, nam, inquit, de ejuſmodi habitu non poteſt commode intelligi illud Jacobi: *ſi in peccatis fuerit*, neque illud formæ ſacramentalis; *quidquid deliquiſti*. Deinde non videntur tolli ejuſmodi habitus per hoc Sacramentum. Sæpe enim accidit, ut qui convaleſcunt eandem pronitatem ad peccandum ſentiant quam antea experiebantur. Nec immerito; Habitus namque per frequentes actiones contracti, niſi oppoſitorum actuum frequentia non auferuntur. Itaque concludit Cardinalis, reliquias peccatorum duplices eſſe, primas nempe eſſe peccata quæ interdum remanent Sacramentis etiam ſuſceptis, ſive mortalia ea ſint, ſive venialia; Poteſt enim fieri, ut quis poſt confeſſionem & communionem in peccatum mortale incidat, & ignoret ſe eo peccato teneri. Poteſt etiam fieri, ut confeſſionem & communionem non rite peregerit, & hoc ipſum ignoret. Has igitur ait eſſe reliquias peccatorum quæ hoc Sacramento tolluntur, niſi quis obicem ponat. Sed & reliquiarum peccati nomine intelligi poſſe ſubdit torporem, mœrorem, & anxietatem illam, quæ relinqui ex peccato ſolet.

66. Alii effectum hujus Sacramenti ponunt ſubminiſtrationem virium ſpiritualium ut Diabolo in extremis vitæ inſidianti fortiter reſiſtere valeamus: alii erectionem, & alleviationem animi, alii alia ex quibus anſam, ut inquiebam, ſumunt proteſtantes extremam unctionem e Sacramentorum albo expungendi. Falluntur illi tamen maxime: quippe quæſtiones ejuſmodi, & diſputationes Catholicorum non verſantur ſuper effectu hoc vel illo Sacramenti, ſed tantum ſuper effectu ejuſdem primario, omnes enim unius oris ſumus, & unius labii in aſſerendo extrema unctione remitti peccata, eorum reliquias abſtergi, dari auxilia, ut inſidiantibus ſpiritibus poſſit reſiſti, animum erigi, ſalutem recuperari, ſi animæ ſaluti id expediat. Qualis autem ordo ſit ponendus inter hujuſmodi effectus ſcholaſticæ exercitationis cauſa diſputari poteſt, quin aliquod veritati dogmatis inferatur detrimentum.

67. Sententia D. Thomæ eſt, primarium, & proprium effectum hujus Sacramenti eſſe incrementum habitualis gratiæ connotantis ſpecialia auxilia quibus infirmus confortetur & roboretur contra languorem, & debilitatem ad operandum bonum partim ex peccatis præcedentibus, partim ex infirmitate relictum, & juvetur ad eliciendos actus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis, & ad vincendas Dæmonis tentationes in ultimo illo agone occurrentes. Nam inquit D. Thom: in ſupplemento p. 30. a. 1. *Sacramentum hoc inſtitutum eſt contra illos defectus, quibus homo ſpiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ, gratiæ, & gloriæ, & hic defectus nihil aliud eſt, quam quædam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali, & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc Sacramentum.* Similia habet Conc. Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2. ubi ait: *quod res & effectus hujus Sacramenti gratia eſt Spiritus Sancti cujus unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda ac peccati reliquias detergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat magnam in eo*

L 2 di-

Digitized by Google

divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda. Et ſane quid aliud eſſe poſſunt reliquiæ peccatorum, quas juxta Tridentinum poſtrema unctio auferre ſatagit, niſi animi languor, & debilitas ad operandum bonum? Præter debilitatem enim illam nihil invenitur quod ex peccatis præteritis relinquatur in anima, & hoc Sacramento auferatur. Non macula vel reatus pœnæ æternæ, quia hæc tolluntur per Sacramentum pœnitentiæ; non reatus pœnæ temporalis, quia hic non aufertur per ſacramentum, de quo agimus, uti nec fomes peccati, qui poſt convaleſcentiam in infirmo etiam uncto reviviſcit; ergo ille languor ſolus eſt, qui ex remiſſo peccato remanet, & ad quem ſanandum præcipue ſacra hæc unctio fuit inſtituta (*a*).

68. Sed id æque indicant ejus forma, & materia. Forma enim deprecatoria ſignificat neceſſitatem Divini auxilii ad roborandum infirmum contra languorem ex peccatis præteritis, & præſenti infirmitate relictum, & ad ſuperandas Dæmonis tentationes, quibus, quia tunc videt, quia modicum tempus habet, acrius hominem infectatur. Unctio etiam olei, quæ eſt materia hujus Sacramenti recte ſignificat luctam, & certamen hominis moribundi cum Dæmonibus multas, variaſque animabus e corpore migraturis inſidias omni fraude ſtruentibus, cum olim Athletæ oleo ungerentur, ut ad luctam, & certamen ſe præpararent. Quare D. Hieronymum in Caput Oſeæ 14. ſcribentem olivæ fructum eſſe, quo unguntur in agone certantes; Eo dicendi modo Sacramentum hoc & præcipuum ipſius effectum vim ſcilicet ſacro ab oleo acceptam ad certandum ſupremo in agone cum Angelis contaminatis, quamvis ſubobſcurius, & pro Diſciplina arcani laudaſſe Theologi præſtantiſſimi arbitrantur. Denique ſicut homines ex preterita infirmitate languentes unctione aliqua pretioſa liniuntur, ut omnia membra, & nervi conſolidentur, & roborentur. Sic oleum ſanctum illis qui ob peccata præterita debilitatem ſentiunt, adhibetur ad ſignificandam gratiam ad ſimiles ſpirituales effectus illi collatam.

69. Jam vero certum eſt, effectum præcipuum hujus ſacramenti non eſſe remiſſionem peccatorum. Sacramentum eſt ſiquidem, ut dicitur, vivorum, ut docent communiter Theologi, duo tantum mortuorum ſacramenta adſignantes, videlicet baptiſmum, & pœnitentiam, quæ ſola dant primam gratiam, alia vero incrementum gratiæ. Quare D. Jacobus conditionate loquitur, *ſi in peccatis ſit, remittentur ei*, quia nimirum remiſſio peccatorum non eſt effectus primarius, ſed ſecundarius dumtaxat per accidens ei conveniens; ſicut Euchariſtiæ, Confirmationi, aliiſque vivorum ſacramentis, quæ augendo gratiam obicem non ponentibus, conſequenter etiam, & per accidens, remittunt peccata inculpabiliter ignorata, ut loco citato expreſſe docet D. Th. Quod ſi per accidens tantum peccata inculpabiliter oblita remittit Sacramentum extremæ unctionis; nullum vero Sacramentum inſtitutum eſt ad remittenda ſola peccata venialia, ſequitur ut primo, & per ſe inſtitutum ſit ad præſtanda auxilia quibus ad reſiſtendum ſpiritibus contaminatis in extremo diſcrimine erigantur.

70. Obj. primo. Cum Sacramentum id efficiat quod ſignificat, & ſignificatio maxime per formam exprimatur, in eo conſiſtit eſſentialiter effectus primarius & principalis extremæ unctionis, quod ejus forma ſignificat; ſed forma hujus ſacramenti non ſignificat collationem auxiliorum contra debilitatem, & languorem, ad bene operandum in infirmo ex peccatis præcedentibus relictum, vel contra Dæmonum inſidias, ſed remiſſionem modo promittit peccatorum, ut patet ex verbis illis: *indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti*; ergo effectus proprius & principalis hujus ſacramenti erit remittere peccata venialia, vel mortalia oblita, aut inculpabiliter ignorata, non vero conferre ſpecialia auxilia, quibus infirmus contra prædictum languorem, & Dæmonis tentationes roboretur.

71. Reſp. In primis retorquendo argumentum nam in forma Eccleſiarum Mediolanenſis, & Veneta mox relata, nulla fit mentio remiſſionis peccatorum, ſed tantum dicitur de auxiliis, & præparatione ad certamen contra aereas poteſtates; Ergo ſi ex forma deduci debet effectus principalis Sacramenti pro veteri harum Eccleſiarum ritu noſtra confirmatur quam maxime ſententia. Deinde dicimus, nomen cauſæ interdum ſignificare effectum, eo quod virtualiter ipſum contineat quare ſicut ad Rom. 7. Apoſtolus fomitem ex peccato originali relictum appellat peccatum, & ſecundo Machabæorum 12. pœna temporalis peccatis exiſtentium in purgatorio debita dicitur ſimiliter peccatum, *ut a pecca-*

(*a*) Revera Albertus magnus & D. Bonaventura, veterem hanc citant formulam, quæ dicitur Ambroſiana, propterea quod uſurpata fuiſſe in Eccleſia Mediolanenſi creditur tempore D. Ambroſii: *Ungo te oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti, præparatus ad certamen; aereas poſſis ſuperare poteſtates*. Arcudius autem hanc laudat Venetarum Eccleſiarum formulam, quam dicit a Leone X. approbatam: *Ungo te oleo ſancto, ut hac unctione protectus fortiter ſtare valeas adverſus aereas catervas*. Eccleſiarumque præcipuum hunc exprimentes effectum reperiuntur multæ apud Liturgicos Scriptores.

catis ſolvantur, ita etiam in forma Sacramenti extremæ unctionis, cum dicitur, *quidquid deliquiſti &c.* nomen delicti denotat reliquias peccatorum, ſive languorem, & debilitatem animæ circa exercitium virtutis ortam præſertim ex delictis præcedentibus.

72. Obj. 2. D. Jacobus explicans effectum hujus ſacramenti nihil dicit de illis auxiliis ſed tantum de remiſſione peccatorum: ait enim: *ſi in peccatis fuerit, remittentur ei*; ergo effectus proprius, & magis præcipuus, quem exprimere ſane debuit, conſiſtit in illa remiſſione.

73. Reſpondetur, Jacobum ante objecta verba dixiſſe: *Et alleviabit eum Dominus*, *græce: confortabit, ſive excitabit, vel eriget eum*, quod profecto ſatis exprimit remedium contra languorem, & debilitatem ſpiritualem infirmi contra triſtitiam, negligentiam, & cæcitatem ex perniciosa frequentatione criminum contractam. Diſcuſſa enim triſtitia a peccati turpitudine, & formidine imminentium pœnarum parta, exhilaratur animus, & alacrior efficitur, nec præterea angitur patratorum ſcelerum memoria, expectans tranquilla mente beatum Domini adventum. Quare ſicut baptiſmus eſt ſacramentum fidei, Euchariſtia charitatis, ita extrema unctio ſacramentum ſpei jure ac merito eſſe exiſtimatur.

74. Contra eſt. Languor & debilitas animæ ad operandum bonum orta ex peccatis, eſt etiam, & fortaſſe magis, propter inordinatos animi motus in ſanis: ergo ſi effectus ſacræ illius unctionis eſt collatio auxiliorum contra inſidias Dæmonum, hiſce potius adminiſtrari ipſa deberet quam infirmis.

75. Reſpondemus urgentiſſimum eſſe ſpecialium auxiliorum gravi in infirmitate neceſſitatem duplici de cauſa; tum quia gravis infirmitas auget languorem, tum corporis, tum etiam animi, tum magis quia contaminati ſpiritus in ſupremo illo agone quidquid inſidiarum valent in infirmum excitant, qua e Dei manu ſpiritum ejus eripere demum poſſint, adeoque, moriturus uberiore indiget gratiæ clypeo, quo ſe ſe ab eorum præſtigiis tueatur.

76. Poſito autem a Thomiſtis pro effectu præcipuo extremæ unctionis incremento gratiæ adverſus aereas poteſtates neceſſario fatentur iidem libentiſſime, alios accedere effectus ſecundarios, nempe tolli per accidens, & conſequenter, peccata vel oblita inculpabiliter, vel inculpabiliter patrata, ob incompoſſibilitatem, ut dicitur gratiæ cum peccato, ut contingit in cæteris vivorum Sacramentis, Euchariſtiæ præſertim, & confirmationis; nec non ſupernaturali ſua virtute ſacrum poſſe oleum ſanitatem corporis ſi ſaluti animæ expedierit, reſtituere, adeo ut reliquis cum Catholicis in complexione effectuum hujus ſacramenti perfectiſſime conveniet; quare nullius roboris, & momenti eſt proteſtantium argumentum ex domeſtica & mere ſcholaſtica Catholicorum exercitatione derivatum; cum iſti non de effectibus diſputent hujus ſacramenti, ſed de ordine potius inter illos effectus conſtituendo.

CAPUT X.

De ritibus Extremæ Unctionis.

77. Qui diligentiori opera de ritibus hujus Sacramenti ſcripſere animadverterunt omnes diverſam circa partes corporis inungendas obtinuiſſe tranſactis ſæculis in Eccleſia diſciplinam, in aliquibus ſcilicet eccleſiis plura, in aliis vero pauciora inuncta fuiſſe membra; quod ex variis colligunt ritualibus & Euchologiis antiquis. Nam & Cophti, ut refert *Solerius* in appendice ad Patriarchas Alexandrinos nonniſi ægroti frontem ſacro oleo imbuere ſolebant. Romana Eccleſia ſeptem membrorum unctiones præſcribit, oculorum nempe, aurium, narium, oris, manuum, pedum, & renum, & recte ſane ut docet. *S. Thomas* in ſupplemento quæſt. 32. art. 6. cum membra ejuſmodi ſint ut principia agendi, ita etiam principia peccandi. Nam ut in Amartigenia Aurelius Prudentius:

> *Omnia luxus habet noſtræ vegetamina vitæ*
> *Senſibus in quinque ſtatuetur quæ condidit auctor*
> *Auribus, atque oculis, tum naribus, atque palato*
> *Quæritur infectus vitioſis artibus uſus.*

78. Denique Eugenius IV. in inſtructione Armenorum ita ſtatuit: hoc Sacramentum niſi infirmo de cujus ſalute timetur, dari non debet, qui ungendus eſt in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in ore propter guſtum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. *Similia* habet Catechiſmus Romanus hoc de ſacramento agens num. 10.

79. Jam vero honeſtatis cauſa omittitur unctio renum in fœminis, & interdum etiam in viris, qui propter labefactatas corporis vires, morbique languores dimoveri nequeunt; *in* ſacerdotibus vero manus inunguntur non interius, ſolum vero exterius, quia congruum non eſt ut *in* manuum vola, *in* qua conſecrato oleo fuere ab Epiſcopo deliniti iterum a ſimplici Sacerdote inungantur; aliquibus in ritualibus præſcripta eſt unctio illius partis corporis in qua æger vehementiori dolore excruciatur. *Sed* hujuſmodi ritualia pauciſſima ſunt, & nullius ponderis, nullius auctoritatis. Talis unctio non potuit eſſe ſacramentalis, ſed ceremonialis nunquam non

per-

Digitized by Google

permittitur, tum ob oppoſitam totius Eccleſiæ praxim, tum ne in illorum errore verſari videamur, qui unctionem ſacram ad ſanitatem tantum corporis reſtituendam fuiſſe inſtitutam arbitrantur.

80. Conſentiunt nunc Theologi unicam etiam unctionem ſufficere, ſi omnes perfici nequeant, tuncque ſatis eſt inungi ſenſus organum magis ad unctionem diſpoſitum cum hac formula: per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & greſſum. Similes inveniuntur formulæ in pluribus ritualibus citatis a Natali Alexandro tomo Theologiæ dogmaticæ moralis 5. lib. 2., & 5. & ab aliis pluribus auctoribus. Jure autem in caſu neceſſitatis unctio unica permittitur, quod permultæ illæ unctiones quæ extra neceſſitatis caſum fieri debent referantur ad unicum Sacramentum conſtituendum, quemadmodum docet Catechiſmus Romanus num. 4.; ubi hæc uti ad dogma, ita ad ritum ſpectant verba: *unum vero eſt extrema unctionis Sacramentum non partium continuatione qua dividi non poſſunt, ſed perfectione, cujuſmodi ſunt cætera omnia, quæ ex pluribus rebus conſtant. Nam quemadmodum domus, quæ ex multis, & diverſis partibus compoſita eſt, una tantum forma perficitur: ita hoc Sacramentum, etſi pluribus rebus, & verbis conſtituitur, unum tamen ſignum eſt, & unius rei, quam ſignificat, habet efficientiam.* Ex quibus patet unctiones diverſorum membrorum non debere fieri diverſis temporibus, & dividi, ſed unam ſtatim poſt aliam, & unica totius ſacramenti adminiſtratione.

81. Unctionem hanc fieri oportere Sacerdotis pollice inſtincto præſcribunt omnia ritualia. Quæritur tamen, an tempore graſſantis peſtis liceat eam peragere, adhibita oblonga virgula cujus extremæ parti adligatus ſit firmiterque adhæreat Goſſypii pugillus ſacro imbutus oleo, quo ſcilicet contingatur, & liniatur pars illa corporis, quæ ſola inungitur, cum Sacramentum peſte laboranti adminiſtratur. Quandoquidem enim præconcipimus omnino teneri Epiſcopos, & Parochos peſtis tempore reſidere, & ſacramenta baptiſmi, & pœnitentiæ per ſe, vel per alios adminiſtrare, ut exempla ſanctorum docent, & Eccleſiæ decreta omnino ſtatuunt, & decernunt. Paſtor ſiquidem fugiens cum Lupus oves invaſurus eſt mercenarius eſſet non paſtor; juxta probabiliorem, & tutiorem vero ſententiam ſacramenta etiam Viatici, & extremæ unctionis laborantibus peſte adminiſtrare, niſi impedimento eſſe prævideretur id adminiſtrationi priorum illorum ſacramentorum, quæ abſolute ſunt ad ſalutem neceſſaria. Fas autem ſit tunc Parocho omnes, quas poteſt adhibere cautelas: hinc has inter recenſetur virgulæ præfatæ uſus, quem profecto probari præſtantiſſimis ſcriptoribus oſtendit Benedictus XIV. lib. 13. de Syn. Diœc. cap. 19. num. 13. qui illis fuſe enumeratis aſſerit, teneri quidem miniſtrum hujus ſacramenti ſectari Romanum Rituale, & quoties adſit gravis, urgenſque neceſſitas expeditos facileſque inveniendi modos, quibus peſtifero morbo infecti hujus ſacramenti participes fieri poſſint nullam ſubeſſe juſtam rationem, quæ poſſit Epiſcopos remorari, ne facultatem faciant Sacerdotibus illud indicato modo adminiſtrandi. Rationem autem hanc ſolent adducere Theologi, quia etiamſi miniſter utatur inſtrumento aliquo, adhuc tamen vere, & in communi exiſtimatione dicitur ungere; ſiquidem frequenter unctio ſolet fieri aliquo inſtrumento. Et ideo ſalvatur quod miniſter ſit cauſa effectiva unctionis ex generali unctione, quod actio, quæ fit mediante aliquo inſtrumento, dicitur eſſe immediate ab agente principali cum inſtrumentum non agat, niſi ut motum ab illo. Eo vero ſe hanc in ſententiam propenſiores eſſe aliqui Theologi fatentur, quod eandem admiſſam traditamque videant ab iis quoque qui in Euchariſtia adminiſtranda non conſentiunt poſſe Sacerdotem aliam inire rationem, quam ut propriis manibus ſacram inferat particulam in os ægroti peſte laborantis.

82. Deveniendum ad ordinem, quo poſtrema unctio infirmis adminiſtranda eſt: nemo qui eccleſiaſticæ hiſtoriæ non ſit imperitus, inficiabitur, uſum quemdam fuiſſe, ut ſacro linirentur oleo infirmi poſt peractam quidem ſacramentalem confeſſionem, ſed priuſquam ſacro Viatico reficerentur, quod pluribus exemplis, multiſque ritualibus, & Synodorum ſtatutis demonſtrant Launojus, Menardus, Wanespen aliique. Neque ejuſmodi conſuetudo legitima carebat cauſa, Cum enim Sacramentum extremæ unctionis ſit *perfectivum*, completivum, & *conſummativum* ſacramenti pœnitentiæ ut dicitur a Patribus, idcirco pœnitentiæ conjungendum eſſe videbatur, ut per utrumque Sacramentum homo perfecte expiatus, ſine ulla animi ſorde cæleſtem panem deguſtaret. Sane conſuetudo ungendi ante Viaticum ne priſcis quidem temporibus fuit ubique, & apud omnes ſervata; alia quippe præſto ſunt æque vetuſta Eccleſiarum ſtatuta ſacram unctionem poſt Viaticum exhiberi præcipientia: nec deſiderantur exempla ſanctorum virorum qui viaticum extremæ unctioni præmiſerunt a Martenio producta lib. 1. de antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 7. art. 2. Hæc vero poſterior praxis adeo poſtea prævaluit, ut Catechiſmus Rom. S. Carolus Borromeus in ſuis inſtructionibus, & innumera Ritualia poſtremam unctionem poſt Viaticum præberi decreverint: quemadmodum animadvertit Cardinalis Sanctorius in ſuo Rituali pag. 323. ſcribens: quamvis apud veteres aliquando conſuetudo fuerit, ut poſt pœnitentiam & reconciliationem infirmorum extrema primum ei unctio, ac deinde ſacra

com-

communio exhiberetur; ut ex diverſis ſacris canonibus, & vetuſtis codicibus; Pontificibus, & ordinibus adminiſtrandorum ſacramentorum manifeſte liquet (a). Poſtea tamen ex generali conſuetudine, quæ & hodie univerſaliter in Latina & Occidentali Eccleſia viget, factum eſt, ut prius ſacra communio; poſtmodum vero extremæ unctionis Sacramentum infirmis exhiberetur; atque ideo & hunc ordinem hic ſervare oportet. Suis non caret hodiernus tamen ordo fundamentis, immo convenit maxime cum doctrina noſtra de præcipuo hujus ſacramenti effectu; ſiquidem, ſi non alius eſt quam incrementum gratiæ, auxilia connotantis ad actus ſupernaturales eliciendos, & ad reſiſtendum ſpiritibus contaminatis, propterea poſtremo in agone ungendus videtur Infirmus, ut ferventiores fidei, ſpei, & charitatis actus eliciat, & adverſus immundos ſpiritus calcaneo inſidiantes roboretur. Hæc ille: Hujus mutationis idoneas Theologi excogitavere rationes, quas hic recenſere non vacat.

83. Quamvis vero hujuſmodi mutatio ubique non fuerit recepta, & nonnulla adhuc ritualia extremam unctionem ante Viaticum conferri permittant, ſi ægrotus, ex pio deſiderio ſe melius ad Euchariſtiam præparandi, ita ſecum fieri expoſtulet, uti feciſſe & obtinuiſſe celebres duos Lovanienſes Theologos, Chriſtianum Lupum, & Fervaques, refert Waneſpen in jus Canonicum part. 4. cap. 3. §. 5. imo Ciſtercienſes etiam hodie antiquo in more perſeverent, ut hoc de Sacramento agens teſtatur Natalis Alexander, & Rituale Pariſienſe juſſu Cardinalis Noallii ætate noſtra editum, præſcribat, quoties Viaticum ad ægrotum defertur, antequam æger Viaticum ſumat, ungatur a Sacerdote; nihilominus in locis in quibus mos ille obſolevit, vigetque diſciplina a Concilii Tridentini Catechiſmo præſcripta non facile permittendum videtur ab hac recedi ſolum ad indulgendum privatæ, & peculiari infirmi devotioni: ſed prudentiſſime agent Parochi, ſi extremam unctionem petentibus ante Viaticum amanter perſuadere conabuntur, tutius, & utilius fore Eccleſiæ Romanæ ritui, & uſui a majore Eccleſiæ Catholicæ parte jam recepto ſe ſe accommodare.

84. Dum infirmus ſacro linitur oleo ſeptem Pſalmi pœnitentiales cum Litaniis Sanctorum aliiſque precibus recitandi ſunt juxta vetera, & recentiora ritualia, tametſi ea aliquantulum diſcrepent circa tempus quo iidem Pſalmi recitandi ſunt; in quibuſdam ſi quidem Eccleſiis unctioni præmittuntur, eam ſubſequuntur in quibuſdam, in pluribus illam comitantur, aut illi etiam interſeruntur, quemadmodum ex Liturgicis variarum Eccleſiarum libris oſtendit Joannes Laurentius Berti libro de Theologicis diſciplinis 35. cap. 12. hæc addens: *video hinc nullam inveniri Eccleſiam* quæ in unctione infirmorum non jubeat aut ſaltem moneat, ne ſi tempus ſuppetat, pœnitentiales Pſalmi omittantur: quod mea quidem ſententia conſtitutum eſt rectiſſime, ac ſaluberrime. Enim vero, ut ſæpe diximus, hoc Sacramentum ſpeciem quamdam præfert publicæ pœnitentiæ. Deinde non modo pœnitentiæ, ſed & totius Chriſtianæ vitæ quæ perpetua pœnitentia eſſe debet, conſummativum exiſtimatum eſt a Patribus, ideoque illius adminiſtratio poſtulat cordis contritionem, & deteſtationem peccati maximam, quam Pſalmi pœnitentiales flexis genibus, & devote a circumſtantibus recitati facile in ægrotantium animis divina gratia cooperante excitabunt. Nos enim admonet Sanctorum mors pretioſiſſima nemini quantumvis juſto abſque pœnitentia exeundum eſſe de vita. Dicimus autem recitandos eſſe ejuſmodi Pſalmos, & preces, ſi tempus ſuppetat, nam ſi infirmus, in extremis laboret, prætermitti Pſalmi debent ne quod pertinet dumtaxat ad ritum impediat id quod eſt de ſacramenti ſubſtantia ſacram ſcilicet unctionem brevi allegata formula adminiſtratam.

85. In pœnitentiæ quoque argumentum conſuevere nonnulli aliquando, præſertim Monachi cinerem, & cilicium ægrotis imponere ante unctionem ſacram, vel eos jam inunctos e lecto tractos ſuper cilicium cineribus conſperſum diſtendere, quod ex multis patet monaſteriorum conſtitutionibus, & ritualibus etiam Eccleſiarum. Poſteriorem hunc tamen ritum primus abolendum ſtatuit Franciſcus Puteanus prior generalis Chartuſianorum, qui id vetandum duxit ne dum ægrotus e lecto trahitur mors illi acceleretur; qua de re queritur Chardonus Libro III. hiſtoriæ Sacramentorum Cap. 5. nullo tamen jure, ut ego reor queritur recens iſte Monachus ſpecioſarum quarundam imagine ceremoniarum captus. Ut enim ratio propter quam Chartuſiani ipſi illam abſolvere conſuetudinem graviſſima per ſe ſe eſt; cætera adhuc ignoramus quæ in illius ritus praxi evenire fortaſſe ſolita erant incommoda. Sacer ipſe poſtremæ unctionis ritus, & Pſalmorum pœnitentialium recitatio, infirmi ſtatus, ceteræque circumſtantiæ ſatis ipſum docent quidquid habet mun-

(a) D. Thomas 3. parte Quæſt. 65. artic. 3. ſcripſit: *per extremam Unctionem præparatur homo ad digne ſumendum Corpus Chriſti*; cujus ſane participatio eſt perfectionum omnium perfectiſſima, quum nullus alius ſit homini modus, quo antequam migret e vita, arctius cum Deo poſſit ſuo & Capite conjungi.

Digitized by Google

mundus fugitivo tramite tranſire aliaſque exoptandas tunc, & poſcendas ſedes ſperantibus in Chriſtum deſtinatas.

86. Non eadem eſt tamen ratio de illis ritibus qui vel apud univerſam Catholicam Eccleſiam, vel apud illam, in qua miniſter verſatur recepti ſunt, quos ſcilicet abſque piaculo prætermittere fas nullo modo eſt. Sic latina in Eccleſia Sacerdos extremam unctionem miniſtraturus linteo amictus, ideſt alba indutus eſſe debet, & ſtola, crucem habere ſecum, & aqua uti benedicta, cætera demum præſtare a Rituali Romano præſcripta, quorum ignorationem in Parocho vel ſuſpicari inſanum eſt.

87. Ex nonnullis Ritualibus a Chardono allegatis libro hiſtoriæ Sacramentorum 3. & 2. patet, poſtremæ unctionis adminiſtrationem aliquibus olim in Eccleſiis ſuper eundem infirmum ſeptem vicibus, ideſt ſeptem dierum ſpatio integre fuiſſe repetitum, cum ex oppoſito Goffridus Abbas Vindocinenſis eam iterari numquam poſſe arbitratus fuerit, ut ex Epiſtola ejus eruitur ad Jeronem Carnotenſem ſcripta: nempe quod publica pœnitentia ſemel tantum imponeretur, & ſic etiam fieri deberet de hac unctione quam loco publicæ pœnitentiæ conferri exiſtimabat; & quod ſemel etiam ungantur fideles in Sacramento Confirmationis. Durandus repeti quidem poſſe extremam unctionem ajebat, non tamen intra ſpatium ejuſdem anni. Nos & ritus & opiniones omnes ejuſmodi omittendas in præſens ducimus, & ſequendam diſciplinam a Tridentina Synodo præſcriptam, docente, infirmos, ſi poſt ſuſceptam hanc unctionem convaluerint, ita hujus ſacramenti ſubſidio juvandos eſſe, cum in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint. Docuerat id jam antea S. Thom. in 4. ſentent. diſtinct. 23. quæſt. 2. art. 24. his verbis: hoc Sacramentum non reſpicit tantum infirmitatem, ſed etiam infirmitatis ſtatum, quia non debet dari niſi infirmis, qui ſecundum humanam exiſtimationem videntur morti appropinquare; quædam ergo infirmitates non ſunt diuturnæ: unde ſi in eis datur hoc Sacramentum tunc cum homo ad illum ſtatum perveniat, quod ſit in periculo mortis, non recedit a ſtatu illo, niſi infirmitate curata, & ita iterum non debet inungi, ſed ſi recidivum patiatur erit alia infirmitas, & poterit fieri alia inunctio. Quædam vero ſunt ægritudines diuturnæ, ut Ethica, & hydropiſis, & hujuſmodi, & in talibus non debet fieri inunctio niſi quando videntur perducere ad periculum mortis: & ſi homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, & iterum, ad ſimilem ſtatum per illam infirmitatem reducatur, iterum poteſt inungi, quia jam eſt quaſi alius infirmitatis ſtatus, quamvis non ſit alia infirmitas ſimpliciter. Huc uſque S. Thom., cujus egregiam doctrinam præſcripſere innumera deinde ritualia, & Synodi quampluurimæ, ſexcenti Canoniſtæ, omnes denique Theologi, quorum nonnulli monent Parochos, ne nimium ſcrupuloſe in hoc ſe gerant, ſed ſi dubitent num ſtatus morbi ſit mutatus, & an vitæ periculum ſit diverſum in iterationem extremæ unctionis potius propendant, cum hæc iteratio ſit veteri Eccleſiæ conſuetudini conformior, & novum afferat infirmo ſpirituale utiliſſimum ſubſidium.

Hactenus de hoc Sacramento, de quo plura apud auctores, quorum in lectione tamen delectus habendus eſt. Quare confugiendum ad Eſtium, Sylvium, Morinum, Juveninum, Launojum, Menardum, Martenium, Natalem Alexandrum, & ad librum de Synodo Diœceſana Benedicti XIV.: alii enim in his quæ ad ritus: alii in his quæ pertinent ad praxim.

DIS-

DISSERTATIO VIII.
DE
SACRAMENTO ORDINIS.
CAPUT PRIMUM.
De divina ſacri Ordinis inſtitutione.

1. SAcri majeſtatem Ordinis auguſtam adeo, & admiratione dignam duxere Sancti Patres, ut quidquid aliud magnum cenſeri inter res creatas poſſit ea inferius eſſe unanimi judicio conſtituerint. Jure id quidem & merito, nam quid aliud ſunt Reipublicæ Chriſtianæ Sacerdotes niſi miniſtri Chriſti, & diſtributores Sacramentorum Dei? Sunt Legati Regis Regum: & quo major eſt Dominus mittens eo majore merentur excipi honore: quapropter ubique gentium primus Sacerdotibus aſſignatus eſt locus, quod vicem Divinitatis quodammodo in terris gerant. Dignitas autem Chriſtiani Sacerdotii apertiſſime elucet, ſive reſpicimus ad cauſam ejus efficientem, nempe Deum; ſive ad ſubjectum, in quo occupantur, myſteria ſcilicet divina & auguſtiſſimum, quod offerunt in altari ſacrificium, ſive objectum reſpicimus, circa quod verſantur, animas nempe, & conſcientias hominum; ſive ſupernaturales ad effectus, converſionem fidelium, & ſalutem; ſive ad ſocios tam ſancti miniſterii Chriſtum, & Apoſtolos, ſive demum honorifica ad encomia ſacro ordini divinis in oraculis tributa: quæ a Chryſoſtomo tam egregie explicantur ſuis de Sacerdotio libris, quibus vix pretioſius aliquid reperire valet in univerſa antiquitate.

2. Ejuſmodi vero quum ſit ſacer ordo intelligit quiſque per ſe fuiſſe eumdem a Chriſto inſtitutum: quare Sacerdotes divino fuerint jure a Laicis ſeparati, & diſtincti: quemadmodum cum omnibus Orthodoxis tuentur qui de ſecta dicuntur Epiſcopalium apud Anglos adverſus Calvinianos præſertim rigidiores, qui ſacrum Eccleſiæ miniſterium nil aliud eſſe volunt, quam meram deſignationem, procurationemque, & deputationem a Populo factam, unde omnia ſint Eccleſiaſticis in cœtibus perturbata, & confuſa; nudum, inquam, miniſterium eſſe tutelæ, curationique ſimile: proindeque ſacrorum Miniſtros Eccleſiaſtico potius quam divino jure a Laicis, & a reliquo grege eſſe ſeparatos.

3. Hunc nos errorem ita ex ſacris literis clare refutamus: Actorum 13. legitur: *Miniſtrantibus autem illis, & jejunantibus dixit Spiritus ſanctus: ſegregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponenteſque eis manus dimiſerunt illos*. Et cap. 20. eorumdem Actorum habetur: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus vos poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Apoſtolus ad Epheſios 4. ita de Chriſto loquebatur: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti*; ubi impletum legimus quod promiſit Dominus per Iſajam cap. ult. inquiens: Annuntiabitur gloria mea in gentibus, & aſſumam ex eis Sacerdotes, & Levitas. Rurſus idem Apoſtolus II. ad Corinthios 3. *Sufficientia noſtra a Deo eſt, qui miniſtros nos fecit novi Teſtamenti non litera, ſed ſpiritu; litera enim occidit, ſpiritus autem vivificat. Quod ſi miniſtratio mortis fuit in gloria, multo magis abundat miniſterium Spiritus in gloria*. Tandem in Epiſtola ad Hebræos 5. Sacerdotali celebrato munere ſubdidit: *Nec quiſquam ſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Diſtinctio itaque inter Miniſtros Chriſti, & fideles ceteros diſtinctio, & ſeparatio eſt a virtute ſancti Spiritus profecta, a Deo eſt, a Chriſti voluntate, & mandato: diſtinctio denique, ratione cujus Miniſtri Chriſti ſpiritualem habent poteſtatem, juriſdictionem, auctoritatem.

4. Obj. 1. Apoſtolus ad Galatas 3. inquit. *quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: non eſt Judæus, neque Græcus: non eſt ſervus, neque liber: non eſt maſculus, neque fœmina: omnes enim vos unum eſtis in Chriſto*; ergo &c.

5. Reſpond. Si valeret argumentum, non modo non futuram diſtinctionem inter Miniſtros Chriſti, & Laicos de jure divino, ſed neque de jure Eccleſiaſtico: quam tamen admittunt Adverſarii. Dicimus itaque Apoſtolum ita loquutum fuiſſe reſpectu vocationis ad fidem; omnibus quippe ad eam divino munere vocatis unus eſt Deus, unus Dominus, una fides,

Digitized by Google

des, una ſpes, unus ſpiritus, unum Baptiſma, & omnes per Charitatem ſunt unum in Chriſto. Verum reſpectu ſacri Ordinis idem omnes non ſunt; dicente Apoſtolo I. ad Corinthios 12. *Numquid omnes Apoſtoli, numquid omnes Prophetæ, numquid omnes Doctores?* Non enim cunctis credentibus, ſed Apoſtolis dixit Chriſtus: *Vos eſtis ſal terræ. Vos eſtis lux mundi. Accipite Spiritum ſanctum &c.* Fideles utique omnes unam conſtituunt Chriſti Familiam; ſed Paterfamilias Æconomos, & Diſpenſatores ceteris familiæ membris præponit, quos vult; mirumque prorſus eſt, ut quum Evangelicis, & Apoſtolicis in literis ſæpe adeo de Apoſtolis, & Diſcipulis, deque Ovibus, ac Paſtoribus dictum ſit, non deſint qui alios cum aliis confundant.

6. Obj. 2. Petrus Apoſtolus in Epiſt. ſua 1. cap. 5. ſcribit: *Seniores paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum, neque dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Agit hoc Apoſtolus in loco de cura quam Epiſcopi gerere debebant ſuarum ovium, ſcilicet Fidelium ad univerſum cœtum pertinentium; quem cœtum, modo gregem vocat modo *Clerum*; itaque non diſtinguit Clerum a grege, neque gregem a Clero proindeque talis diſtinctio non videtur Apoſtolicæ Antiquitatis.

7. Reſp. Non videre nos quid difficultatis ingerat ejuſmodi teſtimonium, quod tria habet membra. Primo hortatur Epiſcopos Apoſtolus, hilari ut animo, veraque Charitate, bona, ac Eleemoſynas Eccleſiæ Pauperibus diſtribuant: Secundo ne ſuperbe agant erga miniſtros Eccleſiæ inferiores: Tertio, ut optimum ſe præbeant ſuis ovibus exemplum. Non confundit igitur gregem cum Clero, & Clerum cum grege. Etiamſi tamen vox *Clerus* de univerſo fidelium Cœtu intelligenda hic foret, nil adhuc ſequeretur Catholicam contra veritatem; ea quippe ratione qua univerſus Judæorum Populus Deuteronomii 9. vocatus eſt Clerus, & hæreditas Domini in oppoſitione Gentilium; quo non obſtante Deus in populo habebat ſuo peculiarem Clerum, Sacerdotes ſcilicet, & Levitas, qui ſpecialis erant hæreditas Domini, & hoc nomine a Laicis, & a reliqua multitudine diſtinguebantur; ita univerſus Populus Chriſtianus in oppoſitione Gentilium, & Judæorum appellari potuit Clerus, & Hæreditas Domini, quo tamen non obſtante Miniſtri Chriſti hæreditas ſpecialis Domini habiti ſunt, & proprio Cleri nomine ab aliis diſtincti. Sic omnes & ſinguli credentes in oppoſitione Gentilium, & Judæorum, dicebantur *Fideles*, ſed quando Ordinem hominum in Eccleſia alium ab alio diſtinguere volebant, nomen *Fidelium* Baptizatis tantum dabatur; reliqui appellabantur Catechumeni. Sic dum *Eccleſia* aliquid credidiſſe dicitur, intelliguntur omnes fideles; dum dicitur Eccleſia aliquid docuiſſe, vel præcepiſſe intelliguntur Apoſtoli, eorumque ſucceſſores.

8. Obj. 3. Presbyteri, qui ab Apoſtolis conſtituebantur, erant Seniores locorum quos Cœtibus præficiebant, nec enim aliud Presbyteri nomen denotat; ergo &c.

9. Reſp. Nil levius poſſe excogitari. Quæ enim neceſſitas imponendi manus cum oratione, & jejunio ſuper Senioribus locorum, ut efficerentur, ac declararentur ceteris ſeniores? Cur in impoſitione manuum gratiam recepiſſent, qui jam ob ætatem idonei erant qui reliquis præſtarent? Sed Timotheus ætate ſenior non erat dum impoſitione manus a Divo Paulo factus eſt Epiſcopus Epheſiorum. Presbyteri vero vocem in ſacris literis non ætatis, ſed Officii dignitatiſque fuiſſe nomen docent Clemens Alexandrinus Libro Stromatum VI. Gregorius Nyſſenus Homilia I. in Eccleſiaſten, & in Primam ad Timotheum. S. Cyrillus denique Alexandrinus in Commentario ad Iſaiæ caput 3.

10. Obj. 4. In nova lege quilibet fidelis eſt Sacerdos, ſcribente Divo Petro Epiſtola ſua 1. de omnibus Chriſtianis: *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium*; & Joanne capite Apocalypſeos 1. *Chriſtus fecit nos Sacerdotes Deo, & Patri ſuo*; igitur &c.

11. Reſp. Occurri his teſtimoniis ſolet oſtendendo intelligenda ea eſſe myſtico de Sacerdotio, juxta Petri ejuſdem textum, ſcilicet, *Sacerdotium ſanctum offerre ſpirituales hoſtias*, quæ de ſacrificiis precum accipere oportet, atque laudum, ſcribente etiam Paulo ad Hebræos 13. *Per Chriſtum offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, ideſt fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Tale Sacerdotium omnibus competit Chriſtianis; non vero illud quod ſpiritualem confert in adminiſtratione Sacramentorum, & regimine fidelium poteſtatem.

12. Addere nobis placet Apoſtolos non aliud voluiſſe, quam ſignificare Judæos poſt Chriſti mortem excidiſſe e Sacerdotio, illudque ad Chriſtianos fuiſſe translatum, hoc eſt a Religione Judaica ad Chriſtianam. Quemadmodum enim Exodi 19. Hebræis cunctis dixerat Deus: Vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale; quibus profecto verbis noluit ſignificare, Hebræos omnes futuros Sacerdotes; ſed tantummodo ſe Sacerdotium ſuum inter eos collocaturum; ita Petrus, & Joannes Chriſtianos appellavere Sacerdotium regale, & Sacerdotes, non quis omnes prædiri futuri forent Sacerdotali dignitate, ſed quia poſt mortem Chriſti ſanctiſſimum Sacerdotium fuerat inter credentes collocatum.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

De diſtinctione inter Hierarchicum Ordinem, & Laicalem ex Traditione.

13. PRoſtat hæc Traditio in ſcriptis Sanctorum Eccleſiæ Patrum, qui fere cuncti loca verſarunt ſcripturarum mox adducta. Genus electum, Regale Sacerdotium; &c. fecit nos Sacerdotes Deo, & Patri ſuo; eaque ita interprepretati ſunt ut omnes Chriſtiani dicti fuerint Sacerdotes, quia omnes Baptiſmate conſecrati ſunt; quia omnes ungi ſolent ſacro Chriſmate; quia omnes Euchariſtico de Sacrificio participare poſſunt, & Sacrificium Euchariſticum conſumere; quia Chriſtus eorum Pater Rex eſt & Sacerdos; quia ſunt membra myſtica unius ſummi Sacerdotis, nempe Chriſti; quia denique in Chriſtianorum religione verum habetur Sacerdotium. Sic Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo, oſtenſurus vetera ſacrificia fuiſſe demum a Domino rejecta, everſo ſcilicet Hieroſolymorum Templo, in quo ſolo poterant Judæi offerre ſacrificia, omnique Judæorum gente diſſipata; ex oppoſito proteſtatum jam olim fuiſſe Deum ſacrificium Chriſtianorum ſibi acceptiſſimum futurum, ſcribit: *vere genus ſacerdotale ſumus*: quo propterea inferret non adhuc Judæos, ut aliquando, ſed Chriſtianos evaſiſſe genus Sacerdotale: hoc eſt apud Chriſtianos jam verum eſſe Sacerdotium, veram hoſtiam, verum ſacrificium. Quemadmodum autem ita fuerat apud Judæos Sacerdotium, ut non cuncti de populo, ſed qui tantummodo erant ex Tribu Levi, divina inſtitutione erant Sacerdotes: ita ſimili ratione, juxta Juſtinum nova in lege oportuit eſſe Sacerdotium, ut inſtitutione divina non cuncti de populo, ſed aliqui tantum de numero fidelium eſſent Sacerdotes.

14. Porro, ſi exiſtimaviſſent Patres, miniſtros ſacros jure tantum Eccleſiaſtico eſſe a Laicis diſtinctos, quænam obſecro neceſſitas varias illas excogitandi locorum ſcripturæ, de quibus agimus, explicationes? Nulla profecto; pervium quippe erat ea ita interpretari: nullum quidem divino de jure intercedere inter Sacerdotes, & Laicos diſtinctionem; Eccleſiaſtico tamen jure idoneis de cauſis, inductam eam denique fuiſſe; atqui numquam ita Patres philoſophati ſunt; ſed imo conferentes Novæ Legis Sacerdotium cum Sacerdotio Legis veteris, prius illud eſſe præſtantius, illuſtrius, divinius oſtenderunt: ea ratione, qua ſacrificium Euchariſticum infinito præſtantius eſſe modo legalibus ſacrificiis tuebantur; atqui Sacerdotium, & ſacrificia veteris Legis erant divinæ inſtitutionis; quomodo igitur inſtitutionis tantum Eccleſiaſticæ fuiſſet juxta Patres Chriſtianæ Eccleſiæ Sacerdotium? Tale porro ponebant Patres Chriſtianum Sacerdotium, quale ſacrificium Chriſtianorum; ſed hoc a Chriſto inſtitutum prædicabant; itaque & illud a Salvatore conſtitutum fuiſſe profitebantur.

15. Obj. 1. Verum eſt, Patres in concertatione præſertim cum Judæis poſuiſſe abrogatum fuiſſe Leviticum Sacerdotium, & novum inductum. Sed qualenam juxta eos erat novum ejuſmodi Sacerdotium? Sane ſolum myſticum; vel ſi reale poſuiſſe dixeris, illud ad omnes Fideles extendebant; nec eos quos Sacerdotes appellamus, niſi Eccleſiaſtico jure non volebant a Laicis diſtinctos. Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone vetera extollente ſacrificia, ita diſſerebat: *Vere genus Sacerdotale ſumus prout Deus ipſe teſtatur perhibens nos quovis loco in nationibus victimas ſibi placitas & mundas offerre. A nemine ſane Deus hoſtias accipit niſi a Sacerdotibus ſuis. Univerſos igitur, qui per nomen iſtius ſacrificia offerunt, quæ Jeſus Chriſtus fieri tradidit, ideſt in Euchariſtia panis, & calicis, quæ in loco omni a Chriſtianis fiunt, in anteceſſum Deus gratos ſibi eſſe teſtificatur.* Ex hoc Juſtini teſtimonio Juſtus Henningius Bohemerus Diſſertatione IX. Juris Eccleſiaſtici antiqui; quæ eſt de jure Laicorum Sacerdotali, colligit Chriſtianos, *qua tales* eſſe Sacerdotes, quia offerunt ſacrificium in Euchariſtia, quod a nemine Deo offerri poſſet, niſi a ſuis Sacerdotibus; verbis enim ſequentibus ſubdit; oſtendit Juſtinus Euchariſtiam habitam fuiſſe ſacrificium, propter ardentiſſimas preces, hymnos, gratiarum actiones, & commemorationem Dominicæ paſſionis, quæ omnia uberrime & ſingulari quidem ardore in hoc convivio ſacro peragebantur. In hujuſmodi ſacrificii genus fuiſſe ſacrificia Levitica mutata exiſtimavit Tertullianus in libro de Oratione, cujus fragmentum in Editionibus non comparens vulgavit Muratorius libro Anecdotorum III. & ita ſe habet: *Hæc eſt enim hoſtia ſpiritualis* (Oratio) *quæ priſtina ſacrificia delevit .... Nos ſumus veri adoratores & veri Sacerdotes, qui ſpiritu orantes ſpiritu ſacrificamus orationem Dei propriam, & acceptabilem, quam ſibi requiſivit, quam ſibi proſpexit. Hanc Deo toto corde devotam, fide paſtam, veritate curatam, innocentia integram, caſtitate mundam, Agape coronatam, cum pompa operum bonorum inter Pſalmos, & Hymnos deducere ad Dei altare debemus, omnia nobis a Deo impetraturam.* Ut vero Euchariſticam ad oblationem Sacerdotes etiam poſtulaverit Tertullianus, eam adhuc Laicis conceſſit, juxta notiſſimum ipſius teſtimonium in libro de exhortatione ad caſtitatem, ubi ſcripſit: *Nonne & Laici Sacerdotes ſumus? Scriptum quoque eſt: nos & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo fecit. Differentiam inter ordinem ut plebem Eccleſiæ conſtituit auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus, adeo ut ubi Eccleſiaſtici Ordinis conſeſ-*

Digitized by Google

ſus non eſt, offers, & tingis, & Sacerdos es tibi ſolus, atqui ea quæ ſunt ex Eccleſiæ conſtitutione non ſunt juris Divini; itaque &c.

16. *Reſp.* Non potuiſſe inter Juſtinum ac Tryphonem controverſiam eſſe, vel de ſacrificio tantum interiori cordis, vel de ſacrificio myſtico bonorum operum: nam reſpondere facile Tryphon potuiſſet, Judæos æque, tametſi diſperſos, atque diſſipatos talia obtuliſſe, quæ Deo placerent ſacrificia: & quum an ea Numini grata forent ipſi ſoli cognitum eſſe poſſet, hinc nullum fuiſſet Juſtini in Tryphonem argumentum. Status etiam Chriſtianorum tunc temporis felicior non erat Judæorum ſtatu. Hi ſub jugum miſſi a Romanis fuerant; ſed noſtri immaniſſimis premebantur perſequutionibus; & ut Judæi Hieroſolymorum Templo, ita noſtri ſacris tunc publicis Ædibus carebant. Debebant igitur eſſe controverſia de externo aliquo viſibilique ſacrificio, quod in omni offerretur a noſtris loco, dum Judæi Hieroſolymis carentes, nullibi ſacrificare jam poſſent. Hoc ſacrificium revera prædicat Juſtinus, panis videlicet Euchariſtici, & Calicis, quæ ubique a noſtris offerri dicit, eo modo tamen, eaque ratione, qua vetera ſacrificia offerebantur a Judæis; atqui hæc ita offerebantur a Judæis, ut per Sacerdotum a Laicis jure divino ſeparatorum manus offerrentur; itaque oblationem Euchariſticam a Chriſtianis offerri oportuit, quemadmodum Apologia II. egregie deſcribit idem Juſtinus, per manus ſuorum Præſidentium, qui jure pariter divino debebant eſſe a Laicis diſtincti.

17. Hic autem controverſiæ ſtatus viam aperit ea explicandi loca, in quibus videntur Patres Sacerdotii aliquid cunctis fidelibus tribuere. Quemadmodum enim ex encomiis, quæ dabant ſacrificiis laudum, atque precum, ſacrificiis bonorum operum, ipſique bonæ voluntati, quam veluti ſacrificium cordis celebrabant, non ſequitur eos non admiſiſſe verum propriumque Euchariſticæ oblationis ſacrificium; quod ut oſtenditur fuſe in Tractatu hujus argumenti, adeo laudant & commendant, ita ex quo, ad inculcanda bonorum operum & cordis ſacrificia, dixerint de ſpirituali & myſtico omnium fidelium ſacerdotio, minime inferri debet eos verum propriumque non admiſiſſe divina ex inſtitutione ſacerdotium, de quo jam ſplendida & ſublimia dixere. Et ſicut Patres circumciſioni carnis ſucceſſiſſe dicentes circumciſionem cordis; vel dicentes converſione cordis veterem deletam fuiſſe circumciſionem, non propterea creduntur ab adverſariis excluſiſſe verum Baptiſmi Sacramentum: ita dum ſacrificiis laudum, & precum vetera ſacrificia deleta dixerunt, cenſendi non ſunt verum Euchariſtiæ excluſiſſe ſacrificium, verumque novæ Legis ſacerdotium a communi ſtatu fidelium diſtinctum.

18. Quod ad poſtremum Tertulliani locum attinet, ſunt qui eum in gyrum revocent Catholicæ ſententiæ, ac veritatis animadvertentes, ipſum ibi avertere fideles voluiſſe a ſecundis nuptiis, quas perperam exiſtimabat malas: quumque fideles reſpondere ſoliti eſſent, ſolis Sacerdotibus vetitas fuiſſe ſecundas nuptias, proinde Tertullianum confugiſſe ad Sacerdotium myſticum omnium fidelium, & ad munera quædam ſacerdotalia, quæ in caſu neceſſitatis, illo perſequutionis tempore fideles obire tenebantur: nam quum congregari libere non poſſent, ſacerdoteſque ſuos convenire, ideo Laici aliquando vel filios baptizabant, vel Euchariſticum panem domum delatum in familia diſtribuebant; & ſic quodammodo offerebant: non conſecrabant tamen, quod ad ſolos ſemper ſpectavit Sacerdotes: quibus ex actionibus conſequebatur demum, Laicos etiam ſacerdotali tenere diſciplinæ; adeo ut de more exaggeraverit Tertullianus quidem, inquiunt nonnulli, ſed eo numquam proceſſerit ut expreſſam rejecerit Miniſtros inter ſacros & Laicos divina ex inſtitutione diſtinctionem.

19. Nos tamen candide fatemur, videri nobis non poſſe Tertullianum ab errore liberari. Allegata ſiquidem ſcripſit Montaniſta jam factus: in libris autem, quos tunc adverſus Catholicam edidit Eccleſiam in graviſſima cecidit errata, adeo ut jure dictum de ipſo fuerit, *ubi bene nemo melius, ubi male nemo pejus*. Animadvertendum ſane Montaniſtas caruiſſe Epiſcopis rejectos: quare ut paucitatem ſuam, & ſacrorum inopiam Miniſtrorum conſolarentur, dicerent, Eccleſiam in uno vel altero, vel tribus Perſonis eſſe poſſe: quemadmodum dicere non erubuit Septimius, qui quam olim Catholicus Eccleſiaſticam extulisset Hierarchiam: apertum lapſus in Schiſma eam flocci fecit: quod Catholicæ non præjudicat veritati.

20. *Obj.* 2. Aliud eſt ſacrum Miniſterium eſſe divinæ inſtitutionis, quod a nemine negatur; aliud eſt diſcrimen inter ordinem, & plebem eſſe juris divini, quod negari poteſt. Ambroſius ſiquidem commentario in Epiſtolam Divi Pauli ad Epheſios 4. ſcripſit: „Primum omnes docebant, & omnes baptizabant, quibuſcumque diebus, vel temporibus fuiſſet occaſio: adhuc enim præter ſeptem Diaconos nullus fuerat ordinatus. Ut ergo creſceret plebs, & multiplicaretur, omnibus inter initia conceſſum eſt evangelizare, & baptizare, & ſcripturas in Eccleſia explanare: ac ubi omnia loca complexa eſt Eccleſia, conventicula conſtituta ſunt, & Rectores, & cetera in Eccleſia ſunt ordinata; ergo &c. “

21. *Reſp.* Objectum Commentarium inter Ambroſii quidem opera haberi, ſed inter ſpuria, nec illius ſancti Patris, neque Divi Hilarii, cui perperam olim tribuebatur, nec alterius ſancti Patris; ſed Hilario verius natione Sardo, ipſum nunc aſſeri, Romanæque Eccleſiæ Diacono, & vulgo Ambroſiaſtrum appellari. Sunt qui opus

ejuſ-

Digitized by Google

ejuſmodi nimis laudant; ſunt qui nimium vituperant: ſed utriſque miſſis dicimus allegato in loco nec verbum reperiri, quod non conſonet cum doctrina orthodoxa. Explicat tunc auctor Apoſtoli verba: Deus dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, quoſdam vero Paſtores, & Magiſtros ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii: atque docere volens quomodo munera illa, quæ in Eccleſia Apoſtolica fulgebant, muneribus Miniſtrorum Eccleſiæ poſterioris temporis correſponderent, hæc habet: *Apoſtoli Epiſcopi ſunt: Prophetæ vero explanatores ſunt Scripturarum: quamvis inter prima primordia fuerint Prophetæ, ſicut Agabus, & quatuor Virgines prophetantes propter rudimenta fidei commendanda; nunc autem Interpretes, Prophetæ dicuntur. Evangeliſtæ Diaconi ſunt, ſicut fuit Philippus, quamvis non ſint Sacerdotes; Evangelizare tamen poſſunt ſine Cathedra. Paſtores poſſunt eſſe Lectores; Magiſtri vero Exorciſtæ ſunt. Inter iſtos poſt Epiſcopum plus eſſe intelligitur, qui propter reſeratum occultum ſcripturarum ſenſum prophetare dicitur, præſertim quia futuræ ſpei verba depromit; qui ordo nunc poteſt eſſe Presbyterorum. Nam in Epiſcopo omnes ordines ſunt, qui primus Sacerdos eſt, hoc eſt, Princeps eſt Sacerdotum, & Propheta, & Evangeliſta, & ad cetera adimplenda officia Eccleſiæ in Miniſterio fidelium. Tamen poſtquam in omnibus locis Eccleſiæ ſunt conſtitutæ, & officia ordinata, aliter comparata res eſt, quam cœperat.* Primum enim omnes docebant, & omnes baptizabant quibuſcumque diebus, vel temporibus fuiſſet occaſio: adhuc enim præter ſeptem Diaconos nullus fuerat ordinatus. Ut ergo creſceret plebs, & multiplicaretur omnibus inter initia conceſſum eſt evangelizare, & baptizare, & ſcripturas in Eccleſia explanare. *At ubi omnia loca complexa eſt Eccleſia, Conventicula conſtituta ſunt, & Rectores, & cetera in Eccleſia ſunt ordinata, & ſtatutum eſt ut nullus de Clericis auderet, qui ordinatus non eſſet, præſumere officium, quod ſciret non ſibi creditum, vel conceſſum.* Hucuſque Ambroſiaſtes; cujus prolixum teſtimonium ideo libentius exſcripſimus, quo valere quodammodo poteſt ad eorum objectum refutandum, qui dicerent, divinæ quidem juxta Divum Paulum, inſtitutionis fuiſſe Apoſtolos, Prophetas, & Doctores, non autem Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos; ſiquidem iſtorum partes munera illorum ſunt, quamvis ſub nominibus diverſis. Nihil igitur allegato dicitur in teſtimonio, quod Catholicum non ſit. Non enim ſcripſit hic Auctor omnes fideles etiam laicos baptizaſſe, & prædicaſſe, ſed eos omnes, qui vel Apoſtolorum, vel Prophetarum, vel Evangeliſtarum, vel Paſtorum ordinem habebant, qui ſcilicet illius erant temporis, vel illius appellationis, Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi. Nec loquitur vel de conſecratione Euchariſtiæ, vel de remiſſione peccatorum, vel de regimine fidelium; ſed de munere tantum prophetandi, quod erat docendi genus quoddam, & extraordinarium donum Apoſtolica in Eccleſia etiam Laicis conceſſum: denique dicit omnes miniſtros ſacros baptizaſſe quocumque tempore ad differentiam ætatis ſuæ, qua ſolemnis baptiſmus, Eccleſiaſtica pro conſuetudine ſolo Paſchatis, & Pentecoſtes tempore ab Epiſcopo conferebatur. Nonne aperte ponit, in Apoſtolis primum inſtitutos fuiſſe Epiſcopos, & Epiſcopali in dignitate ceteros omnes Eccleſiæ ordines contineri? Itaque aperte conſtituit veram diſcriminis divino de jure inter miniſtros Chriſti, & Laicos ſententiam.

CAPUT III.

An valor ſacræ Ordinationis pendeat ab Electione facta a populo.

22. Concedunt rigidiores etiam Calviniani Miniſtros Eccleſiæ eſſe ordinandos; ſed contendunt valorem ordinationis pendere ab electione prius a Populo facta ſacrorum Miniſtrorum: adeo ut niſi talis electio præceſſerit, non valeat ordinatio. Ponunt illi Eccleſias veluti ſodalitia, ſodalitateſque, atque ſocietates, per modum Collegiorum, & communitatum conſtitutas, quæ quum ſe ſe libere congregaverint, ſua habent jura, ſuoſque poſſunt, ac debent eligere Rectores: quare niſi ſacer Miniſter a Communitate, vel ab eo, vel ab iis, in quos translatum eſt jus Communitatis electus ſit, ordinari eum non poſſe conſequuntur.

23. Verum hæc cogitandi ratio recedit a forma, & inſtitutione Chriſtianæ ſocietatis. Non enim Eccleſia ut egregie animadvertit Petavius Lib. III. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 14., ſive Eccleſiaſtica Politia, ideſt Reſpublica, & Communitas Chriſtiana ſic eſt ut Civilis, nec ad eamdem formam, & regulam, vel originis inſtitutioniſque modum exigenda eſt utraque; ſed longe invicem diſtant. Etenim civilis Communitas, & Reſpublica ortum quidem habuit ex domeſticis, & privatis familiarum Cœtibus, velut elementis, tamquam ex literis, & dictionibus oratio componitur: quod eleganter in Politicis traditum eſt ab Ariſtotele; proinde neceſſe fuit, ut ad coeundum ejuſdem communitatis, vel reipublicæ ſocietatem ſingularum familiarum, vel capitum ipſorum potius conſenſus accederet, & mutua inter illos factio in Commune vivendi, atque iiſdem utendi legibus: quo conſtituto deinceps & publicæ adminiſtrationis, & regiminis formam, qualem voluere elegerunt ſibi, eique conſentaneas leges, & jura ſive condiderunt ipſi, ſive a Principibus, & Poteſtatibus, quas ſibi propoſuerant latas ſponte ſuſceperunt.

24. Prima hac Rerumpublicarum, & Imperio-

Digitized by Google

riorum origo perhibetur a Sapientibus ordinaria formaque conſtitutorum Magiſtratuum, vel Regum, ad quam reſpiciunt Adverſarii, dum de Eccleſiis differunt inſtar Communitatum conſtitutis. Aſt diverſa ratione conſtituendum eſt de Communitate, & Eccleſia Chriſtiana; non enim humano invento, vel conſenſu ea nata eſt, & confecta ſocietas; ſed ejus auctor, conditor, & moderator eſt Chriſtus, qui qualem placuit, eam inſtituit, & quos voluit Principes, & Magiſtratus impoſuit, ſive Vicarios potius atque OEconomos, qui Myſteria diſtribuerent, & fideles reliquos gubernarent. Ejuſmodi vero, quam ipſis tribuit poteſtas, quum neque naturalis, nec ad communem, & naturalem efficientiam comparata ſit, ſed creaturæ captum vireſque ſuperet, & ad ſtupenda quædam, Deique propria ſolius opera præſtanda referatur, Conſecrationem videlicet Euchariſtiæ, & remiſſionem peccatorum, propterea nonniſi ex Dei voluntate conſtare, communicarique poteſt, hoc eſt nonniſi medio, rituque a Chriſto inſtituto, a quo quum vim omnem, & valorem habeat, neceſſario non indiget electione populi, vel conſenſu.

25. Revera non modo Chriſtus duodecim Apoſtolos, deinde ſeptuaginta duos Diſcipulos ſua tantum voluntate ordinavit, verum etiam Apoſtoli Epiſcopos, & Presbyteros nulla præmiſſa populi electione conſtituerunt. Paullus ejuſmodi omiſſa electione, Timotheum conſtituit Epheſiorum Epiſcopum, Titum Cretenſium; cui etiam, Capite Epiſtolæ, quam ad ipſum dedit, primo ſcripſit: *Reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per Civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi*. Dedit Apoſtolus plures Epiſtolas ad diverſas Eccleſias, in quibus numquam fideles docuit de modo eligendi Miniſtros ſacros, vel de dotibus, quæ ſacris fuiſſent Miniſtris neceſſariæ: quas tamen dotes in Epiſtolis deſcripſit ad Epiſcopos, Titum, & Timotheum datis. Quorſum hæc? niſi propterea quod ſacrorum ordinatio Miniſtrorum ab Electione populi neceſſario non pendebat.

26. Obj. I. Videtur Deus ipſe electionem, conſenſumque Populi probaſſe in Miniſtris ſacris inſtituendis; ſiquidem Deuteronomii VIII. ita præcepiſſe legitur ad Moyſem loquens: Applicabis Levitas convocata omni multitudine filiorum Iſrael: quumque Levitæ fuerint coram populo ponent Filii Iſrael manus ſuper eos. Hæc manuum impoſitio ſignificare videtur electionem, & conſenſum Populi in Levitis conſtituendis; quem revera ritum æmulatam diceres Apoſtolicam Eccleſiam; in actis quippe Apoſtolorum legimus non tantum Diaconos electione multitudinis deſignatos fuiſſe; verum etiam Paulum, & Barnabam per ſingulas Eccleſias Presbyteros conſtituiſſe ſuffragiis populi, & fidelium; hoc enim ſignificatur voce *Chirotonizantes*, qua Lucas uſus eſt Actorum 14. quippe quod Chirotonea eſſet elevatio manus ad præſtandum ſuffragium in eorum favorem, qui gradum, vel officium aliquod eſſent conſequuturi.

27. Reſp. In hoc argumentandi genere duo permiſceri, & confundi omnino ſeparanda. Aliud enim electio eſt ſacrorum Miniſtrorum, aliud ipſorum conſecratio. Electio facta a populo ſe habet per modum ſolius teſtimonii, & deſiderii, quod nullum Spirituale jus dat electo: Conſecratio ex oppoſito divinus eſt ritus, cujus virtute in hominem, qui conſecratur, deſcendit poteſtas ſacra, auctoritas & ſpiritualis juriſdictio. Circa electionem nil conſtituere Chriſtus, & Apoſtoli; ſed totum libertati, & prudentiæ Eccleſiæ reliquerunt ut ea in re legem Naturæ ſequeretur, quæ docet, & inſinuat, ut in Miniſtris ſacris deſignandis, eum modum, & methodum uſurpet, quæ utilior eſſe intelligitur pro diverſitate locorum, atque temporum: nec ullus umquam inter Orthodoxos fuit, qui electiones, ac deſignationes ſacrorum Miniſtrorum a Laicis etiam factas, expreſſeque, vel tacite ab Eccleſia admiſſas rejecerit, vel vituperaverit. Quod Orthodoxi negant illud eſt, adeo neceſſariam eſſe talem electionem ut niſi hac præmiſſa non valeat ſacra ordinatio.

28. Et vero ſacrorum Miniſtrorum a Laicis ſeparationem non electionis, ſed conſecrationis vi, & virtute fieri, patet ex facto Levitarum, quod hic obiicitur. Siquidem poſt impoſitionem illam manuum ab Iſraelitico factam populo ſuper eis: quam cæremoniam aliqui ſacri Interpretes conferunt cum impoſitione manuum, quæ ſuper victimis fiebat: quare oblationem quodammodo adumbraret: narrata inquam illa manuum impoſitione, quidnam addit ſacer Textus? Verba ſane Domini ad Moyſem hoc pacto: *Statueſque Levitas in conſpectu Aaron, & filiorum ejus, & conſecrabis Oblatos Domino, & ſeparabis de medio filiorum Iſrael, ut ſint mei*. En igitur quomodo poſt oblationem, ſive electionem Levitarum factam a Populo, iidem adhuc per conſecrationem erant a Laicis ſeparandi ut ſors evaderent & hæreditas ſpecialis Dei; proindeque talis ſeparatio non ab illa populi Oblatione, ſed ab hac facta per Moyſen conſecratione procedebat.

29. Quomodo hæc fieret conſecratio intelligimus ex Numerorum XVII. ubi legimus: *Dixit Dominus ad Moyſen: tolle Joſue, & pone manum ſuper eum; & dabis ei partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Iſrael*. Et Deuteronomii XXXIV. habetur: *Joſue repletus eſt Spiritu Sancto, quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas*. Ejuſmodi manus impoſitionis cæremoniam retinuerunt Judæi; dum Præſides in Synagogis conſtituerunt, & ſolemniter inaugurarunt, quemadmodum oſtendit Morinus Parte III. de ſacris Ordinationibus Exercitatione VII. cap. I. ideoque ritum hunc antiquitus a Prophetis

Digitized by Google

tis obſervatum, ſæpiuſque conſecratum a Chriſto Apoſtoli in inſtituendis Miniſtris ſacris uſurpaverunt.

30. Eodem revera dicendi modo uti voluit Spiritus Sanctus in inſtitutione miniſtrorum Chriſti, quo uſus fuerat in inſtitutione Levitarum: quemadmodum enim tunc dixerat, eos reliquis Iſraelitis fuiſſe in ſortem, hæreditatemque ſpecialem Dei ſeparandos, ita Actorum XIII. *Dixit Spiritus Sanctus: ſegregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos*. Obediverunt autem Sancto Spiritui Apoſtoli, quia ſtatim orantes impoſuerunt Barnabæ, Sauloque manus, ut ſubdit ſacer textus; illamque per manus impoſitionem & orationem Barnabas, & Saulus in Apoſtolos fuere conſecrati.

31. Electi ſane fuerunt ſeptem primi Diaconi a multitudine Diſcipulorum; ſed facta electione quidnam evenit juxta ſacrum Hiſtoricum? Conſtituti fuere ante conſpectum Apoſtolorum qui orantes impoſuerunt eis manus, ut habetur Actorum VI. Itaque non ab illa electione, ſed ab hac Ordinatione, Miniſtri Chriſti conſtituti ſunt: idemque de Presbyteris dicendum a Paulo, & Barnaba per ſingulas Eccleſias conſtitutis; ſiquidem nomen Chirotonia non tam elevationem manus ad præbendum ſuffragium, quam impoſitionem manus ad conferendam poteſtatem vere, & proprie ſignificat; quemadmodum Chryſoſtomus docet Hom. XIV. in acta Apoſtolorum, & Canon. I. dictus Apoſtolicus, qui ea voce utitur, & ad quem ita Zonaras: *Chirotonia appellatur perfectio precum, ſanctique Spiritus invocatio, dum Sacerdotio quis initiatur, & conſecrationem ſortitur ex eo dicta, quod Pontifex extendat manus benedicendo homini ad ſacra deligendo*. Quam ſignificationem nomini Chirotonia pariter tribuunt Balſamon ad Canonem V. Synodi Laodicenæ, & Philoſtorgius libro X. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 4. Juxta hanc igitur ſignificationem Paulus, & Barnabas dicuntur conſtituiſſe Presbyteros, non quia ipſi elegerint, vel aliis eligentibus eos approbaverint; ſed quia ſive electio aliqua præceſſerit, ſive ſecus; non enim ad rem id facit; ipſi manuum impoſitione, & oratione eos conſecraverunt; præſertim quum Chirotonia ibi Apoſtolis Ordinatoribus non multitudini, vel cœtui fidelium tribuatur.

32. Obj. 2. Non agitur; inquiunt adverſarii, an miniſtri ſacri ab impoſitione manuum, & oratione accipiant poteſtatem prædicandi verbum, & adminiſtrandi Sacramenta; ſed controverſia eſt, an valida ſit ejuſmodi Ordinatio, quæ fiat nulla præmiſſa populi electione. Divus enim Cyprianus non uno in loco docet, populum habere poteſtatem eligendi dignos Eccleſiæ miniſtros, & indignos recuſandi; idque divina ex Traditione, & obſervatione Apoſtolica deſcendens ait eſſe retinendum. Innumera vero ſunt veterum Decreta Synodorum, quæ tales fieri jubent a Clero, & a Populo electiones, vel conſenſum Populi expectandum, ut juſta legitimaque ſit ordinatio. Quis autem dixerit valere ordinationem, quæ juxta divinam Traditionem, & Apoſtolicam conſuetudinem, & decreta Synodorum facta non ſit?

33. Reſp. Divum Cyprianum electionem, & conſenſum populi poſtulaſſe in ſacrorum electione Miniſtrorum, quemadmodum deſiderium, & conſenſum poſtulabat populi in abſolutione lapſorum, publicorumque Pœnitentium; videlicet non ad valorem vel Ordinationis, vel abſolutionis, ſed ad bonum modo teſtimonium, in eorum favorem, qui vel abſolvendi, vel ordinandi eſſent; quemadmodum Divus Paullus in 1. ad Timotheum 3. reſpectu Epiſcopi ordinandi neceſſarium requirebat bonum teſtimonium etiam ab iis qui foris erant, a Gentilibus nempe, & a Judæis, ne indignus aliquis ordinaretur. Ea tantum de cauſa poſtulatum fuiſſe populi conſenſum evincit Ethnicus ipſe Lampridius in vita Severi Imperatoris ſcribens, *ubi enim aliquos voluit vel Rectores Provinciis dare, vel Prepoſitos facere, nomina eorum proponebat hortans populum, ut ſi quis quid haberet criminis probaret manifeſtis rebus, dicebatque grave eſſe non fieri in Provinciarum Rectoribus, quum id Chriſtiani, & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi ſunt*. Ecce in quonam conſtitutus foret populi conſenſus dum de ordinationibus ſacris agebatur; qui ſane mos hodie quoque religioſiſſime ſervatur præmiſſis Proclamationibus, & inquiſitione in mores eorum accurate facta, qui ordinandi ſunt.

34. Addimus, Cyprianum objectis dicere in locis morem illum per cunctas fere Provincias fuiſſe obſervatum. Si in Provinciis fere cunctis; itaque non omnino in omnibus: proindeque mos ille non erat ex divina Traditione, & obſervatione Apoſtolica, niſi tamquam Diſciplina libertati, prudentiæ, & arbitrio Eccleſiæ relicta; eo pacto quo Apoſtolicæ erant obſervationes abſtinentia a ſuffocato & ſanguine, ritus trinæ immerſionis in Baptiſmo, Communio Euchariſtica poſt cœnam, aliaque hujuſmodi: propterea ſicut Synodi fuere, quæ pro temporum opportunitate populares electiones preceperunt: fuere etiam Synodi, quæ pro opportunitate temporum eas rejecere: idque quia etiamſi bonum teſtimonium reſpectu Ordinandorum neceſſario poſtuletur, modus tamen poſtulandi præbendique tale bonum teſtimonium alius, aliuſque eſſe poteſt juxta locorum, ac rerum, ac temporum adjecta; eo fere pacto, quo etiamſi Pœnitentia ad obtinendam peccatorum remiſſionem ſit jure divino neceſſaria; modus tamen pœnitendi alius aliuſque eſſe ſolet, ac debet pro Pœnitentium, locorum, ac temporum diverſitate, diverſoque Sacerdotis, atque Eccleſiæ præſcripto; nec idem umquam fuit, bonum alicui præbere teſtimonium,

& ipſi

Digitized by Google

& ipſi jus dare conſecrandi Euchariſtiam, & abſolvendi a peccatis; quum jus enim hoc ſit ſupernaturalis poteſtatis, debet a ſupernaturali cauſa & medio produci, proindeque divino a ritu per Chriſtum inſtituto: qui quum vim omnem ſuam habeat a promiſſione Salvatoris, ſemel ab ejuſdem Miniſtro rite celebratus, ſive electio populi præceſſerit, ſive ſecus: ſive acceſſerit populi conſenſus, ſive non acceſſerit, ſpiritualem Ordinato ſemper conferi poteſtatem, jurisdictionem, & auctoritatem.

35. Obj. 3. Sacrorum electio Miniſtrorum ſpectare videtur ad jus ſummarum Poteſtatum circa ſacra; non enim modo Reges Iſrael, & Juda Sacerdotes populi conſtituerunt; ſed & Alexander quoque, & Demetrius Reges Syriæ, conſtituerunt ſummos Sacerdotes Judæorum, propterea certe quod tale jus radicaliter ſit in Eccleſia, ſive populo, qui vel eo uti poterit, vel illud in Rectorem Communitatis transferre.

36. Reſp. Non eſſe hujus temporis ac loci, neque ad inſtitutum pertinere noſtrum, agere de Jure ſummarum Poteſtatum circa ſacra, de quo tot poſt Concertationes, ac lites, tot poſt ſcripta, & cogitata, neque adhuc convenit inter Proteſtantes, uti colligere poſſumus ex Chriſtophoro Matthæo Pfaffio, Auguſtanæ Confeſſionis homine, in Libro de Originibus Juris Eccleſiaſtici Capite 4. neque intelligo quomodo Reformationis illud Jus, quod A. MDCXXIV. in Monaſterienſi Pacificatione, inconſulto Populo, & Eccleſiis, ſibi Proteſtantes Germaniæ Principes aſſeruere, componi cum Jure poſſit, quod adverſarii divino ex præcepto plebi populoque tribuunt in ſacrorum conſtitutione Miniſtrorum.

37. Ut propius ad objectas difficultates accedamus, dicimus, ea quæ ex Hiſtoria Judæorum allegari ſolent facta, & exempla nullum cum ordinationibus noſtris habere nexum; quemadmodum quippe mox citatus Pfaffius, quamvis a ſacris noſtris alienus, laudato in Opere animadvertit, Regum exempla Iſraeliticorum ſacris de rebus in Vetere Teſtamento decernentium huc trahi non queunt; quum a ſtatu Judaico, qualis olim ſub Theocratia vel ſtrictiori, vel remiſſiori floruit eam ob rationem ad aliarum ſtatus Societatum illatio non valeat. Religio ſiquidem Judaico ſtatui ita annexa fuit, ut qui a Religionis tunc legibus receſſerit, eſſe civis non potuerit: quod alibi ſane non contingit. Quidquid igitur Judaica in Republica factum eſt, vel jure id evenit, vel injuria. Si primum id certe vel quia Sacerdotio gaudebant qui ſacris ſe rebus immiſcebant; vel quia divino erant Numine afflati; vel quia augebatur tantum de jure perſonali, quemadmodum, etiam apud nos Civilia Tribunalia judicant de poſſeſſorio in Beneficialibus; vel quia ſpeciale aderat Dei juſſum, & imperium. Verum ubinam tale, vel ſimile habemus præceptum in Libris Novi Teſtamenti, quod noſtrorum reſpiciat electionem Sacerdotum? *In electione, conſtitutione, Ordinatione Presbyterorum*, inquit non ſemel citatus Auguſtanæ vir Confeſſionis, Pfaffius cap. 1. Artic. 2. Originum Eccleſiaſtic., *mox a ſolis Apoſtolis, aut eorum Coadjutoribus, mox cum conſenſu totius Cœtus res peracta fuit*. Veriſimile ne vero Apoſtolos, & Apoſtolorum Diſcipulos elegiſſe, conſtituiſſe, & ordinaſſe aliquando Presbyteros abſque ſuffragio multitudinis, ſi tale ſuffragium divino jure, divinaque inſtitutione fuiſſet neceſſarium? Quæ vero injuria, hoc eſt per vim, & nefas in Eccleſia Judaica, præſertim a Syriæ Regibus facta ſunt, nullum alicujus juris Chriſtiano in populo, & plebe ſuppeditare valent fundamentum.

CAPUT IV.

De Ordine generatim, Tonſura Clericali, & Ordinibus Minoribus.

38. ORdo dupliciter ſumitur, vel pro ſtatu, & dignitate hominum, qui ſolemniter initiati jus habent ad miniſterium aliquod ſacrum in Eccleſia exercendum; vel pro actione ſacra, & cæremonia, qua homo in eum ſtatum eamque dignitatem allegitur, & cooptatur. Actio hæc eſt quædam Benedictio, & conſecratio verbis, & cæremoniis præſcriptis concepta, quare proprie Ordinatio magis dicitur, quam Ordo. Quin Ordinatio actionem ſignificat; Ordo vero proprie ſtatum, ad quem actione illa pervenitur.

39. Ordinationum ſeptem vulgo referuntur ſpecies: Presbyteri nempe, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarii. Quidam octo enumerant, his namque Epiſcopus adjungunt: cui ſententiæ favent Rituales omnes tam Græci, quam Latini, in quibus Ordinationes Epiſcoporum a Presbyterorum ordinationibus disjunguntur. Sed de hoc alias. Tres autem dicuntur ordinationes Hierarchicæ, Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, qui Eccleſiaſticam Hierarchiam conſtituunt; inferiorum quippe Ordinationes Clericorum Hierarchicæ non ſunt: propterea ſi ordo, ſive ordinatio definiri debeat juxta quod hierarchicas reſpicit conſecrationes dicenda erit: *Sacramentum Novæ legis a Chriſto inſtitutum, quo ſpiritualis poteſtas traditur Ordinato, & incrementum ipſi ſanctificantis gratiæ confertur.* Si vero reliquæ Ordinationes definiantur, dicentur tantummodo: *ſignaculum Eccleſiæ, quo ſpiritualis quædam poteſtas traditur Ordinato.* Quamvis enim veteres Scholaſtici priorem illam definitionem darent Ordini in genere prout Ordines omnes continet: attamen ſe ſe deinde interpretantes, dicebant: Ordinem in genere ſecundum quod Ordines omnes continet, non eſſe totum quoddam univerſale, vel integrale; ſed quum character Sacer ad ſacram poteſtatem reducatur, eſſe totum quoddam poteſtativum, de

cu-

cujus ratione eſt, ut natura ejus, & eſſentia, ſecundum ſuam plenitudinem, & perfectionem in uno contineatur; in aliis vero per quandam ſolum participationem; totam ſiquidem ſacramenti perfectionem Ordinis eſſe in Sacerdotio; inferiores vero Ordines de Sacerdotii Sacramento magis, minuſque participare: ea ratione, qua in Imperio, vel Regno regiminis poteſtas in ſolo Rege, vel Principe ſupremo eſt juxta ſuam plenitudinem: in Præſidibus autem, & magiſtratibus juxta aliquam tantummodo participationem; ita, inquam, Theologi illi differebant, ut Ordines omnes cum Sacerdotio unum conſtituere ſacramentum Ordinis explicarent: quamvis nos aliam Ordinibus hierarchicis, aliam non hierarchicis definitionem aſſerentes, procedere expeditius, clariuſque videamur.

40. Progreſſum jam vero ſequentes, quo Ordinationes celebrantur, & Ordines traduntur in Eccleſia, ab imperfectioribus ordiri placet, ut inde ad excellentiores aſcendamus, a Tonſura auſpicantes Clericali, alios poſtea gradus, & Epiſcopatum tandem, in quo omnium Ordinum, atque adeo Sacerdotii plenitudo reſidet, expoſituri.

41. Antiquiſſimum eſſe Clericos tondendi morem dubitari non poteſt; quum enim capillos alerent niſi molles, atque delicati, profanam hanc novitatem abs ſe abjeciſſe viros Deo conſecratos oportebat. Hoc ex more orta eſt Tonſura Clericalis, quæ proceſſu temporis varias induit formas, & figuras, quarum varias etiam myſticas excogitavere rationes ſequiorum temporum ſcriptores. Simul cum primo Ordinum gradu conferri Tonſura antiquitus ſolebat, eratque primo illi Ordini annexa cæremonia, quemadmodum nunc etiam eſt in Eccleſia Græca, in qua ſimul cum Lectoratu traditur, & pars ritus cenſetur dandi Lectoratum. In Eccleſia Occidentali cæpit dari ſeparatim ab Ordinibus circa annum a Chriſto ſeptingenteſimum: Ut animadvertit Morinus part. 3. *de Sacris Ordinationibus*, *exercit.* 15. *cap.* 3. Quia cum Parentes tunc filios ſuos impuberes, & omnino infantes, Eccleſiaſtico ſtatui conſecrarent, inſtituendoſque Epiſcopis afferrent, eos Epiſcopi in eadem educandas domo, & inſtruendas curabant, ut eſſent Cleri velut reparandi Seminarium. Quum autem propter imbecillitatem ætatis tales pueruli minorum officiis ordinum fungi in Eccleſia non poſſent ejuſmodi propterea Ordines illis Epiſcopi non conferebant, ſed ſolam Tonſuram cum veſte Clericali, ut ita deſignati Eccleſiaſticum ad miniſterium comparerent. Longo poſt tempore prudenter temperata Civiles per Leges patria illa poteſtate, nec amplius innocentibus illis pueris Miniſterio Eccleſiaſtico oblatis, quod propter infirmitatem ætatis in pueria fiebat, in ætate valentibus uſurpari cœpit; proindeque Clericalem Tonſuram iſtis quoque Epiſcopi ſeparatim ab ordinibus conferre perrexerunt, ut quemadmodum in infantibus olim, ita in adoleſcentibus, tanquam diſpoſitio, & præparatio ad Ordines Tonſura Clericalis haberetur. Cæremonia igitur Eccleſiaſtica ipſa eſt, per quam quis cenſetur in ſortem, & hæreditatem Domini vocatus, ſpecialiter divino deputatus cultui, deſignatuſque, tanquam Eccleſiaſticus ad gradus ſuo tempore aſcenſurus.

42. Hunc Eccleſiæ tamen morem abſque nota non reliquerunt nonnulli Proteſtantes, ſed ſuperſtitioſum eſſe contenderunt, in medium producentes ea, quæ leguntur Levitici XIX. Neque in rotundum attondebis comam; addentes, Ezechielis XLIV. præcipi ne radatur caput, unde Hieremiæ IX. comminatus fuerit Deus viſitaturum ſe ſuper omnes, qui attonſi forent in comam. Ad rem non faciunt tamen ejuſmodi meditationes; neque enim unquam prohibitum fuit Judæis radi, vel tonderi; quippe Hieremiæ VII. & Ezechielis V. Dominus præcepit Prophetis illis, ut tonderent, ſive raderent capillos: quod factum legimus præcipue a Nazaræis. Prohibitum igitur fuit Sacerdotibus Judæorum ne tonderentur, vel raderentur, juxta ritum, & formam ethnicorum, eoque modo, quo ſeſe idolorum Sacerdotes tondebant, ne viderentur eandem profiteri Idololatriam, & in falſorum honorem Numinum id feciſſe, ſicut Ethnici proteſtabantur, qui conſueverant puerorum capillos non ſemel radere, atque Iſidi offerre, quemadmodum Ambroſius, Hieronymus, Theodoretus, & Eſychius, ad allegata ſacrarum Litterarum loca adnotant. Hinc quia ſuperſtitiones illæ adhuc ætate ipſorum Patrum ſupererant, ideo Chriſtiani Clerici alicubi non radebant, nec tondebant caput: alibi ita præſtabant, ut cutis tecta remaneret. Quo diſſimiles forent Sacerdotibus Gentilium, atque hominibus per illum ritum cultui Idolorum conſecratis. Tondere autem in comam, nil aliud erat olim, quam comam relictam ornare per tonſionem aliorum capillorum. Verum Clerici noſtri comam abſcindunt, coronam capillorum relinquentes.

43. Semel vero in Clerum per Tonſuram cooptatus, ad minores Ordines valet promoveri, ad Oſtiariatum nempe, Lectoratum, Exorciſtatum & Acolythatum, qui minores Ordines ideo appellantur, quia gradus ſunt unde aſcendatur ad majores. Oſtiariatus autem eſt Ordo, quo præficitur Clericus ad Eccleſiæ, ſacræque ſupellectilis cuſtodiam, vindicandamque reverentiam domui Dei debitam. Lectoratus eſt Ordo quo traditur poteſtas legendi in Eccleſia Scripturam Sacram, ſcriptaque Patrum Sanctorum. Exorciſtatus Ordo eſt, quo datur poteſtas expellendi Dæmones a corporibus, ſive Baptizatorum, ſive Catechumenorum. Acolythatus demum Ordo eſt, quo datur poteſtas miniſtrandi Subdiacono, & Diacono in Miſſæ ſacrificio.

44. Quamvis autem jure optimo fuerint Ordines

dines ejuſmodi in Eccleſiam inducti, ne quis temere, & improviſo primos ad gradus proſiliret, ſed in minoribus exercitatus, pedetentim progrederetur ad Majores: non ſunt tamen vera, & propria Novæ Legis Sacramenta. Quid enim eſt Novæ Legis Sacramentum, niſi ſenſibile ſignum ad juſtificationem, vel majorem ſanctificationem noſtram, a Chriſto inſtitutum? Jam vero minores Ordines ab eo conſtitutos non fuiſſe, intelligitur, tum ex eo quod nil de illis in ſacris Litteris habeatur, nilque in divina, & Apoſtolica Traditione: quia etiamſi oſtendi poſſit, Latinam, & Occidentalem Eccleſiam vel a primis temporibus ordines minores habuiſſe; eos tamen non habuiſſe reperitur Orientalis, & Græca Eccleſia, unico Lectoratus ordine contenta. Nulla minorum mentio Ordinum eſt apud Neſtorianos Syros, Syroſque Maronitas; nulla apud Jacobitas Ægyptios. Quod profecto non eveniſſet, ſi fuiſſent Sacramenta: Quemadmodum cum aliis innumeris diſputat Morinus, qui parte 3. *de ſacris Ordinationibus exercit. xi. cap.* I. animadvertit, ut dum Apoſtoli in Ordinibus majoribus, & ſacris a Chriſto inſtitutis, conferendis, cæremoniam ab Eccleſia veteri, & Synagoga derivatam uſurpavere, manuum ſcilicet impoſitionem cum Oratione; Latina, & Occidentalis Eccleſia in Minoribus Ordinibus, quos inſtituit, conferendis, Romanorum creationem magiſtratuum imitata ſit, qui per inſignia magiſtratus ſui creabantur. Confertur revera Oſtiariatus Clavium traditione; Lectoratus traditione Codicis divinarum Lectionum; exorciſtatus traditione Libelli, in quo ſcripti ſunt exorciſmi; Acolythatus traditis Ceroferario, cereo, & vacuis urceolis, quibus aqua, & vinum ad euchariſticum ſacrificium miniſtrantur, & in omnibus ejuſmodi traditionibus proferuntur ab Ordinatore verba, quæ varias illas ſignificant poteſtates, juxta præſcriptum Concilii Carthaginenſis quarti. Quum itaque hos ſibi gradus conſtituerit Eccleſia, tum ad majorem Dei cultum, tum ne Tyrones, Neophyti, & impediti, ſanctiſſimo graviſſimoque Presbyteratus munere fungerentur; nec inſtituendi Sacramenta habeat Eccleſia facultatem, ſed ea tantummodo adminiſtrandi; ſequitur tales gradus eſſe Eccleſiaſticos quidem & rituales Ordines, non tamen ſacramenta.

CAPUT V.

De Ordine Subdiaconatus.

45. Subdiaconatus eſt ordo Sacer, quo datur Ordinato poteſtas miniſtrandi Sacerdoti, & Diacono in ſacrificio Euchariſtico. Tres pro hodierna diſciplina obligationes contrahit, qui hoc ordine initiatur: prima eſt Tituli, ſive Beneficii, vel Patrimonii poſſidendi ne rerum temporalium cura a Miniſteriis ſacris abſtrahatur. Secunda eſt perpetuæ caſtitatis, quæ huic Ordini, ac Majoribus, Eccleſiaſtica ex lege annexa eſt. Tertia demum, recitandi horas Canonicas, Eccleſiæ quoque lege, vel potius univerſali conſuetudine, inducta. Quæritur, an ſit Sacramentum, cum inter ſacros & majores Ordines recenſeatur in præſens. Affirmant aliqui; ſed præſtantiores quique negant, Morinus, Goarius, Habertus, Thomaſſinus, Juveninus, Menardus, & qui ceteri doctius, & diligentius de re Sacramentaria, deque ſacris Ordinationibus egerunt.

46. Nemo Sanctorum revera Patrum docuit in Ordinatione Subdiaconi dari Spiritum Sanctum, donum videlicet, vel uberiorem gradum gratiæ ſanctificantis: nemo Patrum docuit, Subdiaconatum eſſe divinæ inſtitutionis, immo omnes indicaverunt, eum inſtitutionis eſſe tantum Eccleſiaſticæ. Quomodo igitur erit ſacramentum? Urbanus II. Romanus Pontifex in Concilio Beneventano hæc protulit notanda: *Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum, & Presbyteratum: hos ſiquidem ſolos primitiva habuiſſe Eccleſia legitur: ſuper his ſolis preceptum Apoſtolicum habemus*. Gratianus æque in eundem ſcopum Diſtinctione XXI. ſcripſit: *Levitas ab Apoſtolis ordinatos legimus; Subdiaconos progreſſu temporis Eccleſia ſibi conſtituit*. Idem ſcripſit Magiſter etiam ſententiarum. Adde Latina in Eccleſia, dum ordinatur Subdiaconus non uſurpari manuum impoſitionem, cui ex Apoſtolica praxi, ex Traditione, effectum Sacramentalis Ordinis aſſerere ſolent Patres, nec ullo officio, vel miniſterio Subdiaconum perfungi, ad quod Laicus, non valide modo, ſed etiam licite, non poſſit ab Eccleſia deputari.

47. Confirmant id vehementer ea, quæ de materia, & forma hujus ordinis Theologi conſtituunt. Quamvis enim Honoratus Tournely cautiſſimus fuerit ne ſcholaſticos læderet, quorum ſententia eſt; ea, quæ ſuo fieri ſolebant tempore, neceſſaria habere ac perpetua: attamen hoc agens de argumento ſcripſit: „ De materia, & „ forma eſſentiali Subdiaconatus non ita ſcrupuloſe hic ſtatuendum, ſicut de materia, & for„ ma Presbyteratus, & Diaconatus; quia nempe „ cum Subdiaconatus non ſit verum Sacramen„ tum, ſed Ordo ab Eccleſia inſtitutus, potuit „ Eccleſia varios ſubinde ritus addere, vel de„ trahere; atque ſervandi ſunt ii omnes, quos „ illa præſcribit: unde non eſt improbabilis eo„ rum ſententia, qui putant eos omnes ritus, „ qui a Pontificali Romano deſcribuntur, eſſe „ partim materiam, partim formam Subdiacona„ tus. “ Prudentem hanc cogitandi rationem exſcripſit hic Auctor ex Morino III. *parte de ſacris ordinationibus exercitat. xii. cap.* I. ubi ſcripſerat; „ Quum iſta ex Eccleſiæ inſtituto „ pendeant, quid impedit diverſas cæremonias „ diverſis temporibus, & occaſionibus a Summo „ Pontifice, vel Conciliis, eſſe inſtitutas? Nec

„ etiam

Digitized by Google

„ etiam hac de re ſummopere eſt contendendum, „ modo apud omnes ratum ſit, Epiſcopum conferentem Subdiaconatum debere diligenter attendere ad omnes cæremonias in Pontificali „ præceptas ut eas omnes exequatur, nec ullam „ prorſus omittat &c. “ Num ſimilia dici de Ordine poſſent, quem a Chriſto revera inſtitutum haberemus?

48. Obj. 1. Quod univerſalis tenet Eccleſia, ut inquit Auguſtinus, neque Conciliis conſtitututum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum certiſſime dicitur; atqui nullum reperitur Concilium, nullum Eccleſiæ Decretum, quo inſtitutus fuerit Subdiaconatus; quem tamen ſemper habuit Eccleſia; Apoſtolicæ igitur inſtitutionis eſt, ideoque Sacramentum.

49. Reſp. Fore ut valeret difficultas, ita ſi concepta eſſet: Quod univerſalis tenet Eccleſia, neque Conciliis inſtitutum, ſed ſemper receptum eſt nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum certiſſime dicitur; atqui Subdiaconatum eſſe Sacramentum univerſa tenet Eccleſia; nec id Conciliis conſtitutum eſt; itaque Apoſtolica traditum auctoritate eſt, Ordinem hunc eſſe Sacramentum. Valeret, inquam, hæc diſputandi ratio, niſi falſum eſſet univerſam Eccleſiam id vel credere, vel crediḍiſſe. Quibus enim momentis id oſtenderetur, dum in ſinu Eccleſiæ præſtantiores Theologi oppoſitum tuentur? Effatum Auguſtini egregium eſt, ſed ad rem non facit. Nam aliud eſt, aliquid eſſe originis Apoſtolicæ, vel ab univerſa Eccleſia teneri; aliud vero aliquid eſſe Sacramentum. Apoſtoli ſiquidem, poteſtate a Domino accepta, conſtituerunt plurima ad utilitatem Eccleſiæ, & fidelium pertinentia, quæ univerſaliſſima fuere conſuetudine recepta: qualis jejunii eſt quadrageſimalis obſervatio, quin ejuſmodi ſacramentalem habeant dignitatem: quare tametſi contra mentem ſapientum, aſſerentium, Subdiaconatus Ordinem ceteroſque minores, fuiſſe ab Eccleſia inſtitutos, vellet adhuc quis ex univerſalis Eccleſiæ conſuetudine Apoſtolicam originem inferre: quum nullibi tamen divinum de ipſis compareat mandatum; nec ab ipſis proinde Apoſtolis induci Subdiaconatus poſſit tanquam Sacramentum.

50. Obj. 2. Subdiaconatus eſt ordo ſacer; ſed ejuſmodi eſſe non poteſt, niſi ratione dignitatis Sacramentalis; non enim ſacer eſt ratione obligationis ad cælibatum, & ad recitandas horas Canonicas, quia tales obligationes a monaſtica profeſſione æque deducuntur, quæ tamen ordinem ſacrum non conſtituit; non ratione Tituli, & Beneficii, quæ nullum cum ſacramentali dignitate habent nexum; non quia iterari non poſſit, quia neque Tonſura, neque Ordines Minores iterantur, qui tamen Sacramenta non ſunt: non alia igitur de cauſſa erit ſacer ordo, niſi ratione dignitatis Sacramentalis.

51. Huic ut ſatisfaciant Difficultati, aliqui ſunt, inter quos Vaſquez in 3. partem D. Thomæ, qui ſtatuerunt Ordinis Sacri nomine non intelligi Sacramentum vel Ordinem a Chriſto inſtitutum; ſed Ordinem eum, cui annexum ſit votum continentiæ. Et hac de cauſſa inter Ordines ſacros primitivæ Eccleſiæ enumeratum non fuiſſe Subdiaconatum, quia eo temporis Continentiæ obligationem non habebat. Verum, quonam pacto primitiva in Eccleſia ſacer ordo ille fuerit, cui annexa erat Obligatio Continentiæ, ſi Eccleſia Orientalis, & Græca, quæ tamen Ordines ſacros ſemper habuit, atque habet, hodie quoque reſpectu Presbyterorum, & Diaconorum, qui ante Sacram Ordinationem nupſerant, tale votum non agnoſcit. Etiamſi vero Romana in Eccleſia Miniſtri Sacri vel ab initio plurimum continentes fuerint; id tamen votum tunc temporis non erat, vel præceptum, vel Lex, ſed magis mos paullatim inductus, qui decurſu temporis in Legem, votumque tranſiit. Urbanus ſane Pontifex non alia, ut vidimus, de cauſſa ſacros dixit ordines Presbyteratum, atque Diaconatum, niſi quod eos ſolos primitiva dicitur Eccleſia habuiſſe, & ſuper illis ſolis præceptum Apoſtolicum habemus; atqui Apoſtolus Presbyteris, & Diaconis non perpetuam Continentiam, ſed monogamiam ſolum indixit obſervandam; itaque Ordinis ſacri nomine ille Ordo intelligi non debet, cui ſit annexa Lex, vel obligatio, vel votum Continentiæ.

52. Satius videtur nobis, confundendam non eſſe rationem vel generalem, vel ſpecialem ſacri Ordinis; cum ratione Ordinis Majoris, & ratione demum Sacramenti. Duplici de cauſſa juxta S. Thomam dicitur Ordo ſacer; uno modo, ſecundum ſe, quia eſt ſacra cæremonia ad finem ſacrum ordinata; & hoc modo quemlibet Ordinem eſſe ſacrum nemo eſt qui dubitet. Dicitur alio modo Ordo ſacer ratione materiæ circa quam verſatur, & ſecundum hanc conſiderationem tres tantummodo Ordines dicuntur ſacri; Sacerdotium videlicet, & Diaconatus, qui verſantur circa Euchariſtiam, & Subdiaconatus, qui ſuum habet actum circa vaſa conſecrata.

53. Quod Subdiaconatus itaque Ordo ſacer ſit, hoc non habet profecto ratione Tituli, vel Beneficii; neque ratione Continentiæ, neque ex eo quod iterari non poſſit; ſed ſolum quia habet actum circa rem conſecratam; ex quo tamen haud ſequitur quod ſtatim vel Ordo major fuerit, vel fuerit unquam Sacramentum. Ordo quippe eſt major ille qui ſolemniter in Sanctuario confertur, & cui non ſolemnis modo Diſciplina convenit; ſed & ſolemniora jura competunt, & privilegia: proindeque etiamſi ex quo inſtitutus fuit non fuit tamen ſtatim inter Ordines majores, neque hodie major eſt in Eccleſia Orientali, & Græca; quia illi nunc etiam inter Orientales, & Græcos illa deeſt Diſciplina, illæque deſunt cæremoniæ, illa jura, & privilegia, quæ

N 2 ipſi

ipſi olim apud Latinos etiam deerant, quæque paullatim, & pedetentim obtinuit, & acquiſivit.

54. Poſt impoſitum vero Ordini etiam Subdiaconorum Cælibatum, poſtquam cœpit intra ſanctuarium, & Altare, interque Miſſarum ſolemnia conferri; poſtquam Subdiaconi ad recitandas horas Canonicas teneri conſuevere; poſtquam ſtatis tantummodo diebus, more Presbyterorum, atque Diaconorum, & niſi cum Titulo ſive Beneficio, vel Patrimonio non potuere ordinari; poſtquam Subdiaconis conceſſum fuit, ut non minus quam Presbyteri, & Diaconi, eligi in Epiſcopos poſſent; tunc demum accedente Eccleſiæ Occidentalis conſenſione Subdiaconatus, non præciſe Ordo ſacer, ſed verius Ordo major factus, & appellatus eſt, quin adhuc ſublimem obtinuerit Ordinis ſacramentalis dignitatem. Nam etiamſi potuerit Eccleſia plura jura, ac privilegia Ordinatis, nec non auguſtiorem concedere ordinationi Subdiaconorum ſolemnitatem, rigidiorem demum inducere in eos diſciplinam; non potuit unquam tamen cæremoniæ, per quam hic Ordo confertur, alligare vim producendi ſanctificantis & habitualis incrementum gratiæ: quod divinæ tantummodo virtutis eſt, divinæ voluntatis, promiſſionis, & auctoritatis: & quorum inopia nullus in Eccleſia ſolemnis etiam ritus eſſe poteſt Sacramentum.

55. Contra ſit: Falſum eſt Subdiaconatum eſſe Ordinem ſacrum propterea quod habeat actum, & officium circa vaſa conſecrata; ſiquidem Concilium Laodicænum Canone XXI. ſtatuit: *Non oportere Subdiaconos locum habere in Diaconico, & ſacra vaſa tangere*; itaque ſacer ſit oportet ob dignitatem Sacramenti.

56. Reſp. Ex Græcis Canonum interpretibus, ea decreto prohiberi Subdiaconis contingere vaſa ſacra dum Corpus, & Sanguinem Chriſti continent: hoc enim diaconorum eſt proprium; non autem dum ſunt corpore, ſanguineque Chriſti vacua. Addunt nonnulli, Laodicænos Patres reſpexiſſe Græcorum morem, qui magno cum apparatu Euchariſtica deferre ſolent Symbola a propoſitionis menſa ad Altare ut conſecrentur. Diaconus enim tunc præcedentibus lampadibus, & ſubſequentibus Clericis, ſuper humeros ſanctum panem defert; Sacerdos vero Calicem manibus; hacque ſacra pompa gyro per Eccleſiam facto, omnibuſque interim ante ſacra Symbola procumbentibus, ad Altare accedunt Sacerdos, atque Diaconus, eaque ſuper Altari reponunt. Prohibent igitur Laodicæni Patres, Subdiaconum ingredi in locum, in quo eſt menſa propoſitionis, ſacraque antitypa ad ſacrificium præparantur, eaque cum Sacerdote in ſacra illa pompa deferre: quare non contradicunt perpetuæ propriæque Subdiaconorum in ſacra vaſa prærogativæ. Quamvis enim panem cum antitypis illis non liceat in ſolemnitate illa deferre, haud inde conſequitur eorum actum, & officium non eſſe circa vaſa conſecrata. Græcos videmus in hunc uſque diem, utrumque præſtare: ſolus Diaconus ſacra vaſa in ea ſolemnitate defert; & Subdiaconi vaſa ſacra tangunt, & contrectant; quo ex munere, & officio effluit eorum Ordinem ſpecialiter ſacrum eſſe; ſed non propterea habere decus, & virtutem ſacramenti.

57. Obj. 3. Divus Thomas in IV. ſententiarum diſt. XXIV. quum objeciſſet ſibi, ſacris in literis non fieri mentionem niſi de Presbyteris, & Diaconis, reſpondit: *In primitiva Eccleſia propter paucitatem miniſtrorum omnia inferiora miniſteria Diaconis committebantur; nihilominus erant prædicta omnes poteſtates, ſed implicite in una Diaconi poteſtate; ſed poſtea amplificatus eſt divinus cultus, & Eccleſia quod implicite habebat in uno Ordine, explicite tradidit in diverſis, & ſecundum hoc dicit Magiſter ſententiarum quod Eccleſia alios ordines ſibi conſtituit. Si itaque Subdiaconatus in Diaconatu Apoſtolorum tempore continebatur, & Diaconatus pro fere Theologorum omnium opinione, ſacramentalem habet dignitatem, cur Subdiaconatus ea præditus non erit?*

58. Reſp. Divum Thomam, dum dicit poteſtates ordinum inferiorum primitiva in Eccleſia implicite fuiſſe in una Diaconi poteſtate, nil aliud ſignificare voluiſſe, quam officia, & munera inferiorum Ordinum fuiſſe tunc Diacono commiſſa, quia tunc niſi Diaconi non erant. Progreſſu temporis munera illa, & officia inferiores diſtribuit in clericos Eccleſia, novaſque propterea induxit ordinationes, ſibi ſubdiaconos conſtituens; ſed quum præcipuum, & proprium munus Diaconorum alteri conferre, inſtitutiſque a ſe ordinationibus habituatis donum, vel gradum gratiæ adjicere minime potuerit, ſequitur Eccleſiam veras quidem Ordinationes, veroſque inſtituiſſe Ordines, ſed abſque illa ſupernaturali virtute, & efficacia; qua ſacra gaudent ſymbola a Chriſto inſtituta; proindeque ſubdiaconatum fuiſſe quidem ſacrum, & majorem ordinem, ſed non Sacramentum.

Ad hæc: Si juxta D. Thomam inferiorum miniſteria Ordinum primitiva in Eccleſia erant Diacono commiſſa; itaque juxta ipſum primitiva in Eccleſia ordinationes Subdiaconorum non fiebant, atqui ratio ſacramenti propria eſt ordinationis magis quam Ordinis ſive gradus; quia ipſe potius eſt effectus illius actionis cæremoniæ atque ritus de quo diſputatur an habeat ſacramentalem dignitatem; itaque etiamſi Ordo & gradus ſubdiaconi in diaconatus Ordine fuerit implicite contentus ſtatim tamen atque nulla tunc celebratur actio, & ſingularis cæremonia per quam talis gradus traderetur, dici non poteſt aliquod tunc fuiſſe Ordinis Subdiaconatus ſacramentum.

C A-

CAPUT VI.

De Ordine Diaconatus.

59. Diaconatus eſt ſacer Ordo, quo præcipue datur Ordinato ſpiritualis poteſtas proxime inſerviendi Sacerdoti ſacrum facienti. Quæritur utrum ejuſmodi Ordinatio ſit verum Sacramentum: quod quidem negavere Durandus, Cajetanus, & Scholaſtici nonnulli; quorum opinionem non valde reprehenſione dignam exiſtimavit Dominicus Soto, cui ſubſcribere videtur Eſtius, Bellarmino id etiam non eſſe Fidei fatente Tomo controverſiarum III. de Sacramento Ordinis capite 6. propterea quod id non poſſit evidenter ex verbo Dei ſcripto vel tradito deduci. Communiter hodierna tamen die Theologi ordinationem Diaconi eſſe Sacramentum ita arbitrantur, ut oppoſitum tueri temerarium habeatur.

60. Hæc autem in hanc rem Theologica proponuntur monumenta. Pro doctrina Tridentini Chriſtus Eccleſiaſticam inſtituit Hierarchiam Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris conſtantem. Hujuſmodi Miniſtri niſi Diaconi eſſe non poſſunt; itaque ſi ex quo Epiſcopi & Presbyteri ad Hierarchiam pertinent, eorum ordinatio eſt ſacramentalis, cur non erit ſacramentalis ordinatio Diaconorum, qui æque pertinent ad Hierarchiam? Rurſus Diaconi, ut Act. VI. legimus, conſtituti fuere per manus impoſitionam, & orationem, eo modo quo Epiſcopi, & Presbyteri ab Apoſtolis inſtituebantur; ſed iſtorum Ordinatio, quia per Apoſtolicam impoſitionem manus, & orationem facta fuit, habuit dignitatem ſacramenti, talem igitur dignitatem habuerit oportet ordinatio Diaconorum. Ad hæc, ſicut Epiſcopi, & Presbyteri aſſimilantur Aaroni Sacerdoti ſummo, & filiis ejus Sacerdotibus, ita Diaconi Levitis; atqui non tantum Aaron, & filii ejus fuere in eorum ordinatione ſanctificati, ſed etiam Levitæ; itaque non tantum Epiſcopi, & Presbyteri debent in eorum ordinatione ſanctificari, ſed etiam Diaconi. Ideo autem Presbyteri ſanctificari indigent dum conſecrantur, quia conficere, & offerre debent ſacrificium Euchariſticum; ſed Diaconi proxime miniſtrare debent ſacrificio Euchariſtico; indigent igitur & ipſi ſanctificante gratia dum ordinantur; ideoque eorum ordinatio debet eſſe Sacramentum. Elogia denique quibus Diaconi donati ſunt, idem evincunt; Sanctus Ignatius Martyr, vir Apoſtolicus in Epiſtola ad Trallianos ſcripſit: *quid ſunt Diaconi niſi imitatores Chriſti, miniſtrantes Epiſcopo ſicut Chriſtus Patri, & operantes illi operationem mundam & immaculatam? Diaconi miniſtri exiſtentes myſteriorum Chriſti, non ciborum, & potuum miniſtri*. Et in Epiſtola ad Magneſianos inquit; *Moneo ut in Deo omnia facere ſtudeatis: præſidente Epiſcopo loco Dei: & Presbyteri in loco conciſtorii Apoſtolorum, & Diaconi, quibus creditum eſt miniſterium Chriſti Jeſu*. Denique in Epiſtola ad Polycarpum, aliiſque pluribus in locis fideles adhortatur, ut Diaconis ſubditi ſint, eoſque revereantur ut Jeſum Chriſtum, hoc eſt ut miniſtros cultui ejus intentos. S. Polycarpus, vir pariter Apoſtolicus in Epiſtola ad Philippenſes ſcribebat: *Diaconi inculpati eſſe debent ſicut miniſtri Chriſti, & Dei, & non hominum*. Auctor conſtitutionum Apoſtolicarum Diaconos appellat Prophetas Dei. Tertullianus Lib. de fuga in perſecutione cap. 11. ſcribebat: *Quum ipſi auctores, id eſt, ipſi Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi fugiunt, quis de gregario numero ſuſtinebit? Optatus tandem Milevitanus lib. 1. contra Parmenianum, inquiebat quid commemorem miniſtros in Eccleſia plurimos? Quid Diaconos in tertio? Quid Presbyteros in ſecundo ſacerdotio conſtitutos? Apices & Principes omnium Epiſcopi &c.* Diaconi igitur juxta hos veteres non ut menſarum, neque ut ſolius Eccleſiæ, ſed ut fidei Chriſtique miniſtri ordinati ſunt; ſi Prophetæ ſunt Dei, & Rectores populorum; ſi operationem mundam, & immaculatam operari debent: mundi profecto, immaculatique virtute propriæ ordinationis ſint oportet, ideoque per eam conſequi donum vel gradum ſanctificantis debent gratiæ, quæ ordinaria via proprius eſt effectus ſacramenti.

61. Obj. 1. In ſacris literis Diaconi non dicuntur a Chriſto inſtituti, ſed ab Apoſtolis, ut patet capite Actorum VI. ubi conſtituti leguntur, ut charitatis menſis inſervirent, viduarum haberent curam, & eleemoſynam pauperibus diſtribuerent; mere igitur œconomicum erat eorum miniſterium, & non ſpirituale; ideoque eorum ordinatio non fuit Sacramentum.

62. Eſſent fortaſſe qui reſponderent, Diaconos, qui altari, & ſacrificio miniſtrant, non eſſe deſumendos ex illis ſeptem, de quibus ſermo fit Actorum VI. ſed vel ad imitationem cœleſtis Hierarchiæ, vel ad Hierarchiæ Leviticæ exemplar, fuiſſe eos ab Apoſtolis divino jure, & præcepto in Eccleſiam inductos. Clemens revera Alexandrinus libro Stromatum VI. inquiebat: *In Eccleſia gradus Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, imitationes, ut arbitror, ſunt Angelicæ gloriæ, & diſpenſationis*. Originis autem tractatu XXIV. in Matthæum verba ſunt: *Proprie Epiſcopus, Dominus Jeſus eſt; & Presbyteri, Abraham, Iſaac, & Jacob, vel cæteri, qui hoc nomine digni habiti ſunt, quales fuerunt Apoſtoli Chriſti; Diaconi vero ſeptem Archangeli ſunt Dei, ad quorum myſteria ſeptem Diaconi in Actibus ſunt ordinati*. Cæleſtem hæc & Angelicam: ſequentia Hierarchiam Leviticam reſpiciunt. Clemens Romanus, vir Apoſtolicus in ſua Epiſtola 1. ad Corinthios de Chriſtianæ Eccleſiæ miniſtris ſcribebat:

bebat: *Summo Sacerdoti ſua munera tributa ſunt; Sacerdotibus locus proprius aſſignatus, & Levitis ſua munera incumbunt*. Auctor vero conſtitutionum Apoſtolicarum libro 2. capite 25. inquiebat: *Epiſcopi namque ſunt veſtri Pontifices: Sacerdotes vero veſtri ſunt Presbyteri: Levitæ autem veſtri, qui nunc ſunt Diaconi*. Hieronymus tandem in Epiſtola ad Evagrium ea habet: *Et ut ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumptas de vetere Teſtamento: quod Aaron, & filii ejus, & Levitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicent in Eccleſia*. Neque deſunt in antiquitatibus Judaicis verſati, qui Eccleſiæ Diaconos ad ſimilitudinem Diaconorum Synagogæ inductos, pro mandato Chriſti, ab Apoſtolis exiſtimant, quemadmodum ad exemplar Presbyterorum Synagogæ, Presbyteros Chriſtianos.

63. Murmur revera, ratione cujus conſtituti dicuntur Actorum VI. Hieroſolymitana in Eccleſia Diaconi, eorum videlicet, quæ ex idololatria converſi ad fidem fuerant adverſus eos, qui converſi fuerant ex Synagoga, eo quod deſpicerentur quotidiano in miniſterio viduæ eorum; ejuſmodi, inquam, murmur in aliis fuiſſe Eccleſiis non reperitur, in quibus tamen, & certe in omnibus, Diaconi reperiebantur, ut ex Epiſtola 1. D. Pauli ad Timotheum 3. patet, in qua de Diaconis omnium Eccleſiarum agens, tales in ipſis requirit dotes, quæ miniſtros Dei decent, & ad officia ſpiritualia referuntur. Sane nullibi ſacris in literis ſeptem illi Hieroſolymitana in Eccleſia ad miniſterium menſarum electi, Diaconorum nomine donati ſunt; ſed generali duntaxat ſeptem virorum denominatione; quemadmodum & Philippus, unus ex ſeptem illis Actorum XXI. appellatus eſt: Sacros igitur Diaconos, a Græcis Hierodiaconos vocatos, ad differentiam Diaconorum miniſterialium, qui in Eccleſiis erant Orientis, quoſque Diaconos ſimpliciter vocabant: quemadmodum Hieromonachos eos vocant, qui altari deſerviunt; ad eorum differentiam, qui monaſteriorum miniſterii addicti ſunt, quos ſolum, & ſimpliciter monachos appellant; ſacros, inquam Diaconos ſpiritualibus muneribus addictos, ab illis ſeptem miniſterialibus diſtinxere Patres Concilii Trullani Canone XVI. Præcipue veteres illius Canonis interpretes; & quod magis eſt, D. Joannes Chryſoſtomus Homilia XXXIV. in acta Apoſtolorum, Theophylactus, atque Æcumenius, in Caput Actorum VI. Heinc Petavius, vir doctiſſimus etiamſi communiorem in ſententiam trahere ſatagat Chryſoſtomum, libro tamen Diſſertationum Eccleſiaſticarum II. Cap. 1. candide fatetur, Catholicos non deeſſe eruditoſque Theologos, & viros, qui putent, eos, qui in illo Actorum loco conſtituti referuntur, non habuiſſe ſacram ordinationem, nec ex ſacro Diaconorum ordine fuiſſe.

64. Hanc juxta interpretationem intelligit quiſque, nullius eſſe ponderis propoſitum objectum. Quia communior tamen tum Patrum, tum Theologorum ſententia eſt, Diaconos etiam ſacros a Septem viris laudatis eſſe derivatos, propterea recte dicitur, turbas illas Hieroſolymitana in Eccleſia exortas occaſionem fuiſſe, non quidem ob quam inſtitueretur primum, ſed ob quam a Presbyteratu ſepararetur Diaconatus. Apoſtoli ſiquidem in Eccleſiæ exordio non ſuperius modo, verum etiam omne inferius miniſterium exercebant; nec Epiſcoporum, & Presbyterorum tantum, ſed æque Diaconorum muneribus perfungebantur. Aucta Diſcipulorum multitudine, quum Apoſtoli omnia ſacri ordinis implere munia non poſſent, aliquam eorum partem, ſic edocti a Chriſto, in mox electos Diaconos tranſtulere: tumque primum Levitici miniſterii non inſtitutio, ſed ſeparatio facta eſt: proindeque in ipſa divina Sacerdotii inſtitutione habetur divina inſtitutio Diaconatus: Quare ſi Sacramentum eſt Presbyterorum conſecratio, pariter erit Sacramentum conſecratio Diaconorum.

65. Contra eſt: etiamſi tunc primum Levitici ſeparatio miniſterii facta ſit, quum tamen dixerint Apoſtoli: non eſſe æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis: Conſiderate viros ex vobis, quos conſtituamus ſuper hoc opus: nos vero orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus, patet, Apoſtolos, a ſe quidem ablegaſſe illam miniſterii partem, quæ reſpiciebat pauperes, & eleemoſynas, non autem, quæ Liturgiam reſpiciebat, & munia ſpiritualia; ergo &c.

66. Hæc difficultas tamen a Proteſtantibus communiter objecta in ejus auctores retorquetur, præſertim in Bohemerum, qui Diſſertatione VI. juris Eccleſiaſtici antiqui, totus eſt ut evincat menſarum communium apud fideles plerumque pauperum præcipuos Rectores, & miniſtros proprie, & ſemper fuiſſe Presbyteros, & Epiſcopos, ipſoſque adeo Apoſtolos: de quo dubitare revera non poteſt. Quemadmodum igitur Apoſtoli Act. VI. ita curam pauperum, & Viduarum Diaconis commiſerunt; ut ab ſe tamen præcipuam illius rei partem non ablegaverint; ita ſibi præcipuam Liturgiæ, & prædicationis curam retinuerunt, ut miniſterialem tamen eorum partem Diaconis commiſerint. Et quemadmodum Apoſtoli ita ſibi prædicationem verbi Dei, & Baptiſmi collationem reſervaverunt, ut illi non obfuerit, quin Diaconi ſtatim baptizaverint, & prædicaverint ſicut ex ipſis Apoſtolorum Actis intelligimus; ita ſibi Euchariſtiæ celebrationem reſervarunt, nil ut obfuerit, quin miniſterialem Euchariſticæ celebrationis partem Diaconis commiſerint: quam revera partem Diaconis commiſſam fuiſſe priorum Patres temporum fidem faciunt. Proximum hoc autem, & immediatum Euchariſtiæ miniſterium quum poſtulet ſanctificatos, ſequi videtur talium or-

dine-

ordinationem miniſteriorum eſſe Sacramentum.

67. Obj. 2. Divus Hieronymus in Epiſtola ad Evagrium de Diaconis ita ſcribit: *quis patiatur, ut menſarum, & Viduarum miniſter, tumidus ſupra eos ſe efferat, ad quorum preces Corpus Chriſti ſanguiniſque conficitur?* Auctor vero quæſtionum ex vetere, & novo Teſtamento, qui Tomo 3. operum S. Auguſtini editus eſt, quæſtione CI. contra Falcidium quendam ſcribens, qui Levitas Sacerdotibus, Diaconos Preſbyteris coæquare contendebat, hæc habet: *qua audacia eſt Presbyteris Miniſtros ipſorum pares facere? qua temeritatis præſumptio Sacerdotibus bajulos Tabernaculi, & omnium vaſorum ejus, & lignorum conciſores, & portitores aquæ conferre? hoc enim officium fuit Levitarum, quod etiam nunc in Eccleſia cuſtoditur.* Ante hos Auctores S. Cyprianus Epiſtola LXV. quæ eſt ad Rogatianum ſcripſerat: *Meminiſſe autem Diaconi debere, quoniam Apoſtolos, ideſt Epiſcopos & Presbyteros Dominus elegit: Diaconos autem poſt aſcenſionem Domini in cælos Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui, & Eccleſiæ miniſtros.* Si Diaconi divinæ inſtitutionis non ſunt; igitur non ſunt ſacramentali ordinatione conſecrati.

68. Reſp. Non Hieronymum modo, & Auctorem quæſtionum veteris & Novi Teſtamenti; ſed plurimas etiam Synodos ſimilibus dicendi modis Diaconos cohibere ſtuduiſſe. Quippe quum iſti ex tribus ſuperioribus Eccleſiæ ordinibus non tantum haberentur, ſed in quibuſdam Eccleſiis Evangelium legerent; vaſorum altaris gererent curam; reciperent dona populi, eaque offerrent Sacerdoti, & nomina offerentium recitarent, in quibuſdam locis baptizarent ſolemniter, plebem ad preces hortarentur, eamque in ſolemnibus officiis dirigerent; abſentibus Epiſcopis concionarentur; Pœnitentes, urgente extrema neceſſitate in gremium Eccleſiæ alicubi reciperent, & in extraordinariis quibuſdam caſibus inferiorum ordinum Clericis officium ad tempus abrogarent: in Conciliis interdum Epiſcopos repræſentarent, & ſuffragia ferrent; de criminibus populi Epiſcopo nuntiarent; poteſtate præditi eſſent reprehendendi, corrigendique eos, qui inordinate ſeſe in Eccleſia gererent; Epiſcoporum ſubeleemoſynarii eſſent; bonaque Eccleſiæ tunc prope immenſa in manibus haberent; & tanquam Epiſcoporum aures, oculi, ora, manus, & prope anima haberentur; heinc talem, tantamque ad ſuperbiam, & arrogantiam, & faſtum aſcenderent, ut gradum ſuum Diaconatus, in quo ea tempeſtate ad mortem uſque communiter perſeverabant, faſtu, & gradu Presbyterorum ſuperiorem alicubi jactarent, & Eccleſiaſtico jure quodammodo eſſe vellent, fautoreſque erroris, & ambitionis invenirent: Synodi proinde atque illorum Patres temporum, tam immanem Hierarchici perturbationem ordinis ferre non valentes, ut arrogantiam Diaconorum retunderent, omiſſis ſpiritualibus eorum muneribus; profana, & ſecundaria tantum illis objiciebant, quin ea tamen, aliis præcipue in locis negarent. Nonne Hieronymus eadem ut vidimus in Epiſtola, ex Apoſtolica Traditione ita Diaconos cum Levitis confert, ſicut Epiſcopos, & Presbyteros cum Aarone, & filiis ejus Sacerdotibus? Nonne in libro contra Vigilantium Capite 1. Diaconatum expreſſe vocat Sacramentum Chriſti, dum quoſdam Epiſcopos reprehendens, quod non ordinarent Diaconos, niſi prius uxores duxerint, his verbis utebatur: *Chriſti Sacramenta non tribuunt?* verba igitur illa, a neceſſitate eos reprimendi quodammodo extorta, non ſunt in ſacramentalem ordinis retorquenda dignitatem.

69. Quod ad S. Cyprianum adtinet, conſtat, ipſum audaciam tunc Diaconi repreſſiſſe, qui adverſus Epiſcopum ſuum arroganter ſe geſſerat: itaque jure optimo ea protulit S. Pater, quia, etiamſi Diaconatum eſſe Sacramentum poſuiſſet; eſt ordo ſemper tamen Epiſcopatus ordine inferior: ea quoque de cauſa, quod Epiſcopatus fuit a Chriſto, & inſtitutus, & collatus: quum Diaconatus, quamvis a Chriſto inſtitutus, ſoli Apoſtoli Diaconis contulerint. Fortaſſe fuit Cyprianus in eorum opinione, qui ſacramenta aliqua credunt a Chriſto per canalem Apoſtolorum inſtituta: fortaſſe etiam fuit in opinione Durandi, & Cajetani: quod theſi tamen noſtræ nihil officit, quam non ut fidei Caput, ſed ut theologicam modo veritatem propugnamus. Namque ſi Patres omnes in ſacramentali Diaconatus dignitate conſenſiſſent, nonne Catholica Eccleſia id eſſe fidei caput expreſſe declaraſſet?

CAPUT VII.

De Ordinatione Diaconiſſarum.

70. Antequam de ordinatione ejuſmodi dicamus, operæ pretium eſt in examen revocare, an Fœminæ ſint ordinis capaces. Sunt enim qui id omnino inficiantur, hiſque utuntur momentis: ab Orbe condito, ad hæc uſque tempora, apud veræ Religionis cultores nulla unquam mulier ſacerdotali officio functa eſt. In Lege Naturæ ſacrificia obtulerunt Patriarchæ non eorum uxores aut filiæ: in Lege ſcripta ſolis Aaroni Poſteris collatum fuit Sacerdotium, nec ulla unquam Judæa Mulier inſignis licet ſanctitate prædita, Leviticum ſibi uſurpavit miniſterium. Solos Apoſtolos Chriſtus in Lege Evangelica ordinavit; Apoſtoli vero viris manus tantummodo impoſuere; adeo ut ne Beatam quidem Virginem Apoſtolico functam miniſterio intelligamus. Non ſunt igitur mulieres ſacri ordinis capaces.

71. Confirmant id ex Apoſtoli verbis 1. ad Corinthios 18. præcipientis ut *Mulieres in Ec-*

cleſia

Digitized by Google

cleſia taceant; non enim permittitur eis loqui, turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia. Et 1. ad Timotheum 2. docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe ſub ſilentio. Quamvis enim tum ex vetere, tum ex Novo Teſtamento fœminas propheta ſſe intelligamus, id non evenit tamen per modum publicæ prædicationis, & perperam confunderetur privatum, ac tranſiens prophetandi donum cum permanente ordinis poteſtate, auctoritateque prædicandi verbum Dei, & adminiſtrandi ſacramenta. Heinc Tertullianus libro de velandis Virginibus Capite 8. inquiebat: „ Non permittitur mulieri „ in Eccleſia loqui, nec offerre, nec ullius vi„ rilis muneris, nedum Sacerdotalis officii par„ tem ſibi vindicare; " & in conſtitutionibus Apoſtolicis libro 3. capite 6. habetur peculiaris titulus, quod non oporteat mulieres docere: ne alia heic recenſeantur ex Legibus Judæorum monumenta a Pfaffio collecta libro ſingulari de origine juris Eccleſiaſtici.

72. Repugnare tandem dicunt Sacerdotale quodcumque munus naturali Mulierum erga viros ſubjectioni, nativæ infirmi ſexus verecundiæ, innatæ ipſarum levitati, & inconſtantiæ, a quocumque ſeveriori negotio ipſarum averſioni, & ſtudiorum præſertim ſacrorum incapacitati: repugnare perpetuæ conſuetudini catholicæ Eccleſiæ: Quare Tertullianus, Hieronymus, Ambroſius, Epiphanius, Auguſtinus, Gnoſtico, Collyridianos, alioſque damnavere Hæreticos, qui Ethnicorum ritus cum Chriſtianis ſacris male confundentes, fœminas in ſuis cœtibus ad ſacerdotalia munera admiſiſſent. Heinc ſtatim atque Chriſtiana in Eccleſia fœminæ nonnullæ deprehenſæ ſunt attentaſſe, aſſumpſiſſeque aliqua ſibi munera, quæ Sacerdotum ſunt, earum auſus, & conatus fuere a Patribus, & Conciliis ſeveriſſime repreſſi, ut in capitulari Aquiſgranenſi A. DCCLXXXIX. videre eſt in Concil. Pariſienſi IV. A. DCCCXXIX. celebrato, aliiſque pluribus.

73. Sunt hæc eorum fundamenta, qui omnino inficiantur fœminas eſſe alicujus in Eccleſia Ordinis, capaces. Verum Morinus Parte III. de ſacris Ordinationibus exercitatione X. videtur opinionem eam temperare, acturus quippe de Diaconiſſis, cap. 1. Ita auſpicatur: Tres illi antiquiſſimi Rituales Græci uno conſenſu, & eodem tenore nobis tradunt Diaconiſſæ Ordinationem, & ſimilibus proprietatibus, & verbis, quibus Diaconi adminiſtrant. Utraque enim Ordinatio *Chirotonia*, & Chirotheſia dicitur. Utraque ad Altare a Pontifice celebratur, & eodem Liturgiæ loco: in utraque manus imponitur, dum adprecatur Pontifex: in utraque ſtola collo apponitur, in altari Ordinatus, & Ordinata communicantur; Calix ſanguine Chriſti plenus, ut ex eo deguſtent in manu traditur. Hæc videri poſſunt communem Theologorum ſententiam evertere, quæ negat Ordinationem ullam Mulieribus competere poſſe, immo quæ gravi cenſura contrariam ſententiam afficit. Verum non exiſtimant Græci iſta cæremoniarum communicatione ullam mulieribus proprie dictam *Chirotoniam* infundi. ut diſertiſſime teſtatur D. Epiphanius Hæreſi LXXIX. Nec opinor, ſubdit Morinus, Theologos aliquos ita ſeveros fore, ut Mulieres abdicare velint omni in Eccleſia erga alias Mulieres miniſterio, & ſacra aliqua ad illud ſuſcipiendum, & conferendum cæremoniali inauguratione. Si al quis tam auſterus, & tetricus fuerit, ut nihil qnod ad Ordinationem Eccleſiaſticam ſpectat, mulieribus concedi poſſe contendat, facile antiquiſſima multorum ſæculorum Traditione revincetur, ejuſque tetricitas retundetur. Nihil enim nobis perhibent Rituales antiqui de Diaconiſſis, & earum Ordinatione, quam quod exploratiſſimis teſtimoniis conſtat olim in Eccleſia tam Latina, quam Græca fuiſſe uſitatiſſimum. Hucuſque Morinus, qui pergit inde ex Canonibus, ac Patribus evincere, Diaconiſſas ad Clerum ſpectaſſe, & ſi peccaſſent, ut clericos punitas; nec unitatem Matrimonii in viduis illis, quemadmodum in Diaconis fuiſſe a D. Paullo, & a Conciliis poſtulatam, niſi propterea quod ad officium, ſive dignitatem eccleſiaſticam, præter ſimplex caſtitatis votum, fuiſſent evectæ; illud vero officium fuiſſe Diaconatum, ſive miniſterium Eccleſiaſticum reſpectu fœminarum.

74. Hujuſmodi opinionum oppoſitio facillime conciliatur tamen ſi dixerimus, Ordinationem Diaconiſſarum, veram quidem, & Eccleſiaſticam Ordinationem eſſe, inſtar Ordinum Minorum; non tamen vel ad Sacerdotii rationem ſpectaſſe, vel ad Sacramenti dignitatem. Revera Diaconiſſæ ad nullum proximum, & immediatum Altaris miniſterium conſecrabantur; in Epiſtola ſiquidem, quæ D. Ignatii dicitur ad Antiochenos, & libro conſtitutionum Apoſtolicarum 8. appellatas eas legimus Cuſtodes Sanctarum Januarum; libro autem earumdem 3. electæ tantummodo dicuntur ad Mulierum Miniſteria, nempe ad denudandas mulieres ſacro Baptiſmatis lavacro abluendas, & ad faciendas exhortationes junioribus, ad quas decens, & decorum non erat, ut præſertim Infidelium in domibus Diaconi accederent. Eodem in opere dicitur, ſpectaſſe ad Diaconiſſas, honeſtatis, & decoris cauſſa, præſentes eſſe, quotieſcumque Mulieres ad Epiſcopum eſſent introducendæ. Illarum igitur Ordinatio ad evitanda ſcandala, & ad ſervandam fidelium æſtimationem inſtituta fuit, non in gratiam divinorum Myſteriorum; ideoque ritualis quidem, & cæremonialis eſſe poterat, ſed non ſacramentalis.

75. Teſtatur id S. Epiphanius Hæreſi LXXIX. quæ eſt Collyridianorum his verbis: *Quanquam Diaconiſſarum in Eccleſia Ordo ſit, non tamen ad ſacerdotii functionem, aut ullam ejuſmodi ad-*

adminiſtrationem inſtitutus eſt; ſed ut muliebris ſexus honeſtati conſulatur, ſive ut Baptiſmi tempore adſit, ut quum nudandum eſt mulieris corpus interveniat; ne virorum, qui ſacris operantur, aſpectui ſit expoſita, ſed a ſola Diaconiſſa videatur, qua Sacerdotis mandato mulieris curam gerit, quo tempore veſtibus exuitur. Qua in re cum Ordinis illius modeſtia, tum Eccleſiaſtica Diſciplina prudenter admodum ex Canonis praſcripto eſt conſultum. Nullam revera ſacram dignitatem Diaconiſſas habuiſſe, præter veteres ab innumeris Theologis citatos, Plinius ipſe Secundus ſignificat Epiſtola XCVII. Libri X. ubi de Quæſtione agens, quam de Chriſtianis fecerat, ad Trajanum Cæſarem ſcripſit: *Quo magis neceſſarium credidi ex duabus Ancillis, qua miniſtra dicebantur, quid eſſet veri, & per tormenta quarere.* Adeo & Ethnici ipſi noverant tales mulieres Miniſterio cuidam inferiori in Eccleſia addictas, nil ſacerdotalis Ordinis tamen habuiſſe.

76. Obj. I. Non ſolum Abbatiſſæ ſolemniter inaugurantur; verum etiam ipſis ſpiritualis conceditur poteſtas tum in ſubditas ſibi filias, tum in viros etiam aliquando; eſt ſiquidem in Gallia Ordo Fontebraldenſis a Roberto de Abriſſello inſtitutus, in quo Generalis Abbatiſſa nedum in ſacras Virgines, ſed in viros æque illius Ordinis, eorumque Monaſteria habet regimen, adeo ut Cardinalis Quirinus libro II. Commentariorum de vita ſua Capite 10. narret, Salmurienſis Monaſterii Præpoſitum, dum A. MDCCXIII. illud viſeret, ſignificaſſe ſibi, tam anxias eſſe Abbatiſſas, ne Primatui ſuo in univerſum Ordinem quidquam damni inferatur, ut quum una ex ipſis morti proxima, ab eo, qui bonus ei hortator aderat, ſe ſororis nomine vocari intellexiſſet, vel ſuprema illa hora ipſum monere non dubitaverit, ſe ab eo non ſororem, ſed matrem eſſe nuncupandam. In Canonibus autem antiquis nedum Diaconiſſarum, ſed Presbyterarum etiam & Epiſcoparum fit mentio: Quare Concilium Laodicænum Canone XII. ſtatuerit: Non oportere Seniores dictas, vel Præſidentes in Eccleſiis conſtitui; aliquando igitur præfuiſſe dicendæ ſunt.

77. Reſp. In Superiore duplicem conſiderari Poteſtatem, alteram dominii etiam ſpiritualis, alteram juriſdictionis. Prima eſt per quam aliquis dirigi ſolet in finem vitæ æternæ; & hæc eſt quædam ſpiritualis Æconomia, & paternum veluti dominium, quod ex conventionali pacto competere Rectori alicujus Piæ ſodalitatis poteſt; vel ex voto Obedientiæ convenit ſuperioribus Ordinum, ut ſecundum profeſſam Regulam ſubditos ſibi filios regant. Ex oppoſito Poteſtas juriſdictionis, vel arcana, & interior illa eſt & ſupernaturalis, ad myſteriorum Dei diſtributionem conceſſa, & ad ligandum ſolvendumque in foro interiori; & hæc proprie ſacerdotalis ordo eſt, & a Chriſto profecta; vel eſt facultas dicendi jus, præcipiendique ſecundum jura ſub pœnis & cenſuris in Eccleſia, ligandique, & ſolvendi in foro contentioſo, & hoc a poteſtate publica procedit. Quum igitur ex natura rei ad regimen Monaſticum non requiratur in Rectore poteſtas juriſdictionis, ſed ſufficiat poteſtas æconomica & paterna; idcirco neque ſacer Ordo, neque Clericatus, neque Tonſura ipſa iis neceſſaria eſt, qui regunt monaſteria, ut Antonii, Hilarionis, Pacomii, aliorumque exempla evincunt veterum Abbatum, qui laici omnino erant, & abſque ullo ordine poteſtatem in ſuos ſpiritualem exercebant.

Ejuſmodi eſt Abbatiſſarum poteſtas, ſcilicet materna, œconomica & domeſtica, non ſacri Ordinis, non juriſdictionis, quia ut recte docet S. Thomas, Sacramentum Ordinis eſt ſignum eminentiæ, quod proinde conferri niſi ſubjecto non poteſt, in quo talis eminentia valeat ſignificari. Quum autem pro divina voluntate, & inſtituto mulier ſit in ſtatu ſubjectionis, ut habemus Geneſeos III. & in Epiſtolis Pauli, cunctiſque Patribus, & Legulatoribus Civilium populorum, non poteſt in fœmina ſignificari talis eminentia: ideoque non poteſt mulieri Sacramentum Ordinis proprie conferri. Nec porro obſtat quod Abbatiſſæ inaugurentur, ac revera Monaſteriis præſint. Illa ſiquidem benedictio, ut ait D. Thomas, illa conſecratio, & inauguratio non dirigitur ad Myſteriorum diſtributionem, ſed ad ſolam monaſtici regiminis tutelam, & ad aliquam perfectioris ſtatus imaginem in animis infirmioris ſexus ingerendam: proindeque nullam adfert Ordinis ſacri poteſtatem. Præſunt ſane Monaſteriis fœminæ, ſed ut iterum ait S. Thomas, non per modum ordinariæ poteſtatis, atque prælationis, ſed maternæ ſolum, vicariæ, & delegatæ, & quaſi commiſſionis, ob periculum cohabitationis virorum cum mulieribus: Quare S. Præceptor 2. 2. qu. CLXXVII. Artic. 2. quærens, an gratia Sermonis, Sapientiæ & Scientiæ pertinere etiam ad Mulieres poſſit, ſcribit: *Sermone poteſt aliquis uti dupliciter*: uno modo privatim ad unum vel paucos, familiariter colloquendo: & quantum ad hoc gratia Sermonis poteſt competere mulieribus: alio modo publice alloquendo totam Eccleſiam, & hoc mulieri non conceditur: ex quibus conſequamur oportet, quantumcumque extenſa ſit Abbatiſſæ prærogativa; nullam tamen Ordinis habere juriſdictionem, nulla ſacrarum adminiſtratione rerum gaudere in Catholica Eccleſia.

78. Maternum igitur modo eſt, œconomicum, & domeſticum Abbatiſſæ Fontebraldenſis Ordinis imperium, quæ forum exterius per viſitatores Monachos exercet, facultatis litteras habentes a Pontifice, & ab Abbatiſſa tantum nominatos, veluti jure Patronatus, ut Chardonus monet, ubi de Sacramento agit Ordinis. Quem-

admodum autem Laici ita ſunt etiam fœminæ juris Patronatus capaces; quum præſentatio Clerici tum a fœminis, tum a laicis facta viris, non ſit per modum niſi commendationis, teſtimonii, optationis, atque deſiderii, nullum præſentato jus ad Beneficium tribuentis, nullam requirentis in Præſentante juriſdictionem, & ordinis ſacri poteſtatem. Cæterum tametſi non deſint, qui Fontebraldenſis diſciplinam Ordinis tueri ſatagant, velut inſtituti in memoriam illius facti, quo Chriſtus Joannem Apoſtolum, & Evangeliſtam Beatæ Virgini ſubdidit tamquam Matri; candide fatetur tamen allegato loco Cardinalis Quirinus, integerrimos, doctiſſimoſque viros, qui nomen primo dederant Ordini Fontebraldenſi, in eo non perſeveraſſe, ſed alios in Ordines ſe ſe recepiſſe, quod abſonum iis nimirum videretur, regendorum Monachorum poteſtatem non quidam ad Sacerdotes, ſed Fontebraldenſes ad Abbatiſſas pertinere.

79. Presbyteræ autem, Epiſcopiſſæque non ita in Canonibus fuere appellatæ, quod Clero dediſſent nomen, ſed quod earum viri ad Presbyteratum, vel Epiſcopatum, vel Diaconatum promoti fuiſſent. Quum enim Presbyteri, & Diaconi nunc etiam apud Græcos, poſt Ordinationem ductis jam antea uxoribus utantur, ſolæque Electorum Epiſcoporum uxores, ſi viri ordinentur, caſtitatem voveant, ſeque ſe in monaſteria recipiunt, ut legere eſt in Concilio Trullano Cap. XLVIII. ex oppoſito quum apud Latinos conſtitutum fuiſſet, ut Cælibes forent Sacrorum Myſteriorum Miniſtri: Canones propterea editi ſunt adverſus incontinentes Presbyteros, Diaconoſque, & aliquando etiam Subdiaconos, ut quas acceperant ante Ordinationem uxores ſerio relinquerent: & Canones etiam conſtituti ſunt adverſus uxores clericorum, qui ordinem acceperunt; nec viventibus adhuc Clericis illis ordinatis, & a quibus ſeparari conſenſerant, alias ad nuptias ipſæ convolarent: idque dum Canones illi præcipiebant, uxores illas populari receptoque dicendi modo appellavere Epiſcopas, & Presbyteras, non ut eædem ſacrum ordinem haberent. In Canone demum Concilii Laodiceni agitur de ſeniorum mulierum in Eccleſia, quæcumque tandem illæ fuerint, ad certam Præfecturam in illa regione uſitatam inſtitutione: quam præſidentiam tollit Concilium. Zonaras, & Balſamon ſeniores illas interpretantur vetulas quaſdam Mulieres, quæ tum temporis in illa Provincia cæteris mulieribus in Eccleſia, Ordinis, & confeſſus cauſa præficiebantur. Adnotat autem Morinus Parte III. de Sacris Ordinationibus exercitatione X. cap. 3. male interpretes omnes locum Canonis interpretari latine *Presbyteras*; quum Epiphanio Hæreſi LXXIX. nullæ unquam fuerint *Presbyteræ* apud Græcos, ſed *Presbytides*, hoc eſt ſeniores mulieres, Viduæ Matriculariæ, Diaconiſſæ provectiores.

80. Obj. 2. D. Paullus eaſdem conditiones, ac dotes exigit in Diaconiſſis, quas in Diaconis poſtulat; nam quum in I. ad Timotheum 3. ſcripſerit: *Diaconi ſint unius uxoris viri*; *eadem in Epiſtola* capite 5. ſubdit: *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis teſtimonium habens*: quam comparationem animadvertit Tertullianus Libro 1. ad uxorem capite 7. ubi habet: Quum Apoſtolus bigamos non ſinat præſidere, nec viduam adlegi ad Ordinem, niſi univiram, non concedit; itaque ſi Sacramentum eſt Diaconorum Ordo, cur ejuſmodi non fuerit Ordo Diaconiſſarum?

81. Reſp. Argumentum deductum ex conditionibus, ac dotibus, quæ Diaconos decebant, non eſſe præcipuum illud, quod urgeri ſolet in ſacramentali dignitate Ordinationis ipſorum vindicanda; ſed quamvis pluribus uti ſoleant Theologi, ut id evincant, unum illud tamen eſſe fortius, & valens magis, quod ex proximo, & immediato eorum miniſterio ad altare, & in ſacrificio Euchariſtico deducitur: Quod auguſtum miniſterium quum mundos poſtulet ac immaculatos, ideo infertur, eorum Ordinationem adferre gratiam, atque eſſe Sacramentum. Ex oppoſito Diaconiſſæ, quamvis dotibus præditæ fuerint, quæ dotibus Diaconorum veluti correſponderent: attamen quum ad nullum Altaris, & ſacrificii miniſterium ordinatæ fuerint; ſed ob Baptiſmum modo, & inſtitutionem, & directionem fœminarum, propterea earum Ordinatio ſacramentalem ſibi non poſtulabat ſtatum atque dignitatem.

82. Contra eſt. In Conſecratione Diaconiſſarum adhibebantur, ut ex Morino vidimus, ii omnino ritus, qui in uſu erant in conſecratione Diaconorum, & Euſebius Renaudotius Tomo II. Collectionis Liturgiarum Orientalium, obſervationibus in Syriacas Liturgias animadvertit, Diaconiſſis apud Syros licuiſſe non modo Calicem accipere de manu Sacerdotis, verum etiam illas abſente Sacerdote, & Diacono, Sororibus ſuis in monaſterio Euchariſtiam adminiſtrare potuiſſe; immo & pueris, modo quintum ætatis annum non attigerint; vaſa etiam ſacra abſtergere, & abluere ipſis fas fuiſſe. Addi poteſt, Diaconos in Oriente uxores retinere ſuas, immo ducere eas olim etiam poſt Ordinationem potuiſſe; Diaconiſſas contra, debuiſſe continentiam profiteri, adeo ut excommunicarentur, ſi nubere poſt Ordinationem perrexiſſent.

83. Huic tamen difficultati egregie reſpondet Goarius in Adnotationibus ad Euchologium Græcorum, ubi Arcudium reprehendit ob ordinationem illam Diaconiſſarum Græcos veluti hæreticos calumniantem. Quis enim error, vel hæreſis eſt, inquit Goarius, ſi quædam ſacramentalis formæ Diaconatus verba, verbis conſecrandæ Diaconiſſæ neceſſariis adjungantur? An ignorat Arcudius,

Digitized by Google

cudius, formas, ſicut, & rerum definitiones numeris eſſe ſimiles, quibus ſi unitatem addas, vel detrahas priorem numerum perdi, & alium exurgere neceſſe eſt? Diaconi autem inſtituendi forma, quam diverſa ſit ab ea, quæ Diaconiſſæ pariter creandæ convenit, Arcudius attendat: in illa ſiquidem Subdiaconum, virum Ordini ſuſcipiendo ſubjectum idoneum reperiet; in hac nedum Subdiaconiſſam, ſed mulierem ſacræ germanæque Ordinationis ſuppoſitum incapax, contemplabitur: in illa rurſus Diaconum ſacramento inſtructum, & promotum; in hac mulierem Benedictionis non autem gratiæ, vel characteri ſubjacentem mirabitur: in illa poteſtas ad ſacramentum ſaltem ex parte diſtribuendum; in hac ad miniſteria ſolum quædam obeunda facultas traditur: ibi ſacramentum conferre: hic cæremonialem tantum Conſecrationem perficere Pontifex intendit: quanam igitur ratione eadem erit Diaconi, Diaconiſſæque creandorum forma, ubi nec ſomniari poteſt una & eadem miniſtri intentio, & ubi verbis diverſum Ordinationis ſubjectum, immutatuſque etiam Ordinationis ejuſdem effectus, & finis exprimitur? Ille hucuſque. Illa itaque ſimilitudo rituum, & cæremoniarum non arguit ſimilitudinem effectus ſtatim atque Inſtitutorem eundem non habet, non eandem in ordinatore intentionem, non idem ſubjectum, non idem officium: diligenterque animadvertendum eſt, quum dicitur impoſitionem manuum in Sacrorum inſtitutione Miniſtrorum habitam a Patribus fuiſſe tanquam inviſibilis gratiæ viſibile ſignum, id accipiendum eſſe, ſi tamen impoſitio manuum fiat cum intentione faciendi id, quod Apoſtoli fecerunt, & ſi cum intentione fiat id operandi quod Apoſtolis præcepit, ac tradidit Chriſtus; ſi denique ea cum oratione conjungatur quæ dirigatur ad conſtituendum proximum, & immediatum Sacrificii Euchariſtici Miniſtrum: quod in Diaconis contingit, in Subdiaconis, & Diaconiſſis, in Exorcizatione Catechumenorum, in conſecratione virginum, & Abbatiſſarum, nunquam contigit.

84. Quod apud *Syros* Diaconiſſæ Sororibus ſuis miniſtraverint in monaſterio Euchariſtiam, id profecto tale munus non eſt, ut eas altaris Miniſtras immediate, & proprie conſtituat. Perſequutionum tempore fœminis etiam Euchariſtia in manus tradebatur, ut eam ſecum domum ferrent, & pro opportunitate ſumerent. Quid mirum igitur, ſi in Sacerdotis, & Diaconi inopia id alicubi præſtiterint Diaconiſſæ privatis præſertim in Monaſteriis; quum ex oppoſito Diaconi id ubique publice, & ſolemniter præſtiterint. Continentes demum eas eſſe oportebat, non ratione ordinis, ſed virtute voti, quod emittebant, quodque Orientales Diaconi nunquam emiſere.

85. Duo explicanda remanent. Primum eſt, quanam de cauſſa, dum Apoſtolus præcepit, Diaconiſſas e viduis eligendas fuiſſe, quæ annum ſexageſimum attigerint; tot poſtea reperiantur Canones, qui quadrageſimum annum ſufficere conſtituunt. Sed hunc nodum ex Græcis Canonum Interpretibus Theologi ſolvunt, animadvertentes, Apoſtolum eſſe de viduis intelligendum, Canones vero de virginibus idem ad officium electis. Virgines enim, eo quod Matrimonii illecebras non cognoverint, minus viduis nuptiarum deſiderio accendi. Patres Concilii Trullani Canone XL. aliam conciliationis rationem ineunt, videlicet Concilia, quæ Diaconiſſam annorum XL. ordinari permiſerunt, vidiſſe Eccleſiam Dei gratia potentiorem, & robuſtiorem evaſiſſe, & ulterius ad divinorum obſervationem mandatorum, firmitatemque, & ſtabilitatem proceſſiſſe.

86. Aliud, quod monendum ſupereſt, eſt, Diaconiſſas tum in Oriente, tum in Occidente paullatim deſiiſſe, quod earum miniſterio non amplius Eccleſia indigeret. Nam cum factum tandem eſſet, ut Baptiſmatis ſolemnes ac ſtati dies Paſchatis, & Pentecoſtes non amplius obſervarentur; quumque infantes, ubique cæpiſſent baptizari; adulti vero rariſſime; Quum Baptiſmus per immerſionem paucis Provinciis exceptis, deſierit conferri; quum virorum in Eccleſia ſedes a ſedibus mulierum non eſſent amplius diſtinctæ, opus non adhuc fuit Diaconiſſis, quæ tum immerſionis Baptiſmalis fœminarum, tum aliorum rituum officiis perfungerentur. Quis autem ſibi perſuadeat, Ordinationem, quæ ſacramentalis, & a Chriſto propterea fuiſſet, Eccleſiam abrogare permiſiſſe?

CAPUT VIII.

De Ordine Presbyteratus.

87. Presbyteratus eſt Ordo Sacer, quo datur ordinato poteſtas conſecrandi Euchariſtiam, & remittendi peccata. Licet enim Romano in Pontificali quinque Presbytero officia aſſignentur. videlicet, offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, & baptizare: ex primario tamen munere ejus definitur, quod eſt offerre, & a quo pendent reliqua. Quæritur an talis Ordinatio ſit Sacramentum, quod negavere primi Proteſtantes, quamvis Calvinus libro inſtitutionum ſuarum IV. ſe ſe correxerit his verbis: *Quantum ad veri Presbyteri munus attinet quod ore Chriſti nobis eſt commendatum, libenter ſacramenti loco habeo; illic enim ceremonia eſt primum ex ſcripturis ſumpta, quam non eſſe inanem, & ſupervacaneam, ſed fidele ſpiritualis gratiæ ſymbolum teſtatur Paullus. Quod autem in ſacramentorum numero non poſui, eo factum eſt, quod non ordinarium, & commune eſt apud omnes fideles, ſed ad certam functionem ſpecialis ritus.* Hæc Calvinus, qui ſi-

milia repetit in eodem opere. Entherum quoque, & Melanctonem rediiſſe ad mentem, ſunt qui arbitrentur; verum magna heterodoxorum pars Catholicæ hac in re doctrinæ adverſatur, Doctoreſque ſuos de Sacramento late ſumpto intelligendos eſſe contendit, de ſigno ſcilicet & Symbolo conferente poteſtatem Miniſterii, non autem ſanctificantis donum gratiæ: quem proinde errorem its oppugnamus.

88. Apoſtolus Paullus ad Timotheum ſcribens Epiſtola I. capite 8. inquit: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii*. Et in Epiſtola II. capite t. ita rurſus: *Admoneo te ut reſuſcitet gratiam Dei, quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum*. Manus itaque imponentes Apoſtoli, in conſtitutione Presbyterorum, & Epiſcoporum, gratiam largitos ſe fuiſſe proteſtabantur; atqui id proteſtati minime fuiſſent, niſi Chriſtus id promiſiſſet. Itaque illa manuum impoſitio in ſacrorum inſtitutione Miniſtrorum a Chriſto conſtituta, & præcepta fuit, habenſque gratiæ effectum, eſt verum propriumque Sacramentum.

89. Unanimi ore id Patres docuere: S. Ambroſius libro de dignitate ſacerdotali capite 5. inquiebat: *Quis dat frater Epiſcopalem gratiam: Deus an homo? Reſpondes ſine dubio, Deus; ſed tamen per hominem dat Deus: homo imprimit manus, Deus largitur gratiam. Sacerdos imponit ſupplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera: Epiſcopus initiat Ordinem, & Deus tribuit dignitatem*. Theodoretus in Philoteo capite 15. Ordinationem narrans Eremitæ in Sacerdotem: inquit: *Hic quidem flectens genua expectabat gratiam; ille vero manum imponens erat adminiſtrator ſpiritus*. Sanctus Gregorius Magnus de Sacerdotio loquens in Caput XVI. libri 1. Regum ſcripſit: *In eum cui Ordo datur, Spiritus dirigitur, ut foris ſublimitatem ſuſcipiat Ordinis, & intus robur Spiritus Sancti: foris Ordo committitur, ut quæ Dei ſunt agere debeat; intus dirigitur ſpiritus, ut quod injungitur, potenter agat*. Nubem vero Sanctorum Patrum indicat hoc agens de argumento Eſtius, ubi ſcilicet verba Chriſti Apoſtoli dicta interpretantes: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt*, es non tantum de poteſtate miniſtri, quam de ſublimiori ſanctificantis gratiæ dono & gradu explicant.

90. Et vero ſi in Leviticorum conſecratione Sacerdotum erant ipſi ſanctificandi, quemadmodum Deus proteſtabatur ad Moyſen Exodi XXVIII. his verbis: „ Sanctificabis illos, ut Sacerdotio fungantur mihi; repletuſque ſancto ſpiritu fuerat Joſue, quia Moyſes poſuerat ſuper eum manus ſuas, ut Deuteronomii ultimo habetur; Quanto magis ſanctificandi erant Sacerdotes Legis Chriſtianæ, quæ Lege Moſaica ſanctior, ſublimior, & perfectior eſt? Si Novæ legis ſacramenta veteribus illis virtute ſunt efficaciora, quomodo vetera ſanctificaſſent conſecratos, noſtra vero non ſanctificarent? Si ſanctos, vi conſecrationis ſuæ, eſſe oportebat eos, qui carnales Deo victimas tractabant; quanto magis vi ſuæ Ordinationis mundatos, purgatoſque eos eſſe neceſſe eſt, qui offerunt ipſum Gratiæ fontem & largitorem æterno Patri Chriſtum in Euchariſtia? Sacerdotum igitur Ordinatio gratiæ donum ſanctificantis afferens, verum propriumque eſt Novæ Legis Sacramentum „.

91. Obj. 1. Loca D. Paulli de impoſitione manuum, & Epiſtola ad Timotheum citata, non probant eam contuliſſe donum ſanctificantis gratiæ; dicitur enim Gratia Timotheo data per Prophetiam, ſcilicet ad prophetandum, quum græco revera in Textu vox Chariſmatis habeatur, hoc eſt, doni gratis dati. Finis revera ordinationis non eſt propria ſanctificatio, ſed ædificatio aliorum; proindeque nil aliud eſt, quam poteſtas miniſterii, prædicandi ſcilicet verbum Dei, & diſpenſandi Sacramenta. Judas certe ordinationis gratiam habuit, gratiam ſanctificationis non habuit; qua deficiente Presbyteratus eſſe non poteſt Sacramentum.

92. Reſp. Nomine Chariſmatis denotari omnia gratiarum genera, omnes gradus, & Græci Patres, & Lexica Græca uberrime evincunt. Paullus ipſe de gratia juſtificationis pertractans integro Cap. V. Epiſtolæ ad Romanos, eam Chariſma ſemper appellat. Et in I. ad Corinthios 12. habet: *Numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? Æmulamini autem Chariſmata meliora*. Quænam vero erant ejuſmodi Chariſmata? Ea confeſtim explicat Paullus, ſubdens: *ſi linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens; & ſi habuero Prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam: Charitatem autem non habuero, nihil ſum*. Charitas igitur & gratia per Spiritum Sanctum diffuſa in cordibus noſtris, virtuteſque, quarum ipſa radix eſt, dicuntur ab Apoſtolo Chariſmata meliora Chariſmatibus gratis datis; ideoque chariſmatis nomine ſanctificans etiam gratia ſignificatur. Neque in loco, de quo agitur, data dicitur Timotheo fuiſſe Prophetiæ gratis, ſed vis antecedentis Prophetiæ, ideſt, ſecundum quod Spiritus Sanctus præmonſtraverat, & juxta revelationem prius Paullo factam de Timotheo ordinando, ut ex capite Epiſtolæ I. liquet: quem ſane ſenſum Schmidius ipſe, inter Lutheranos celebris agnovit. Porro qui ordinantur, Spiritum Sanctum recipiunt: itaque vel dono ſanctificantis gratiæ, vel majore ipſius gradu donantur; ea etiam

de

Digitized by Google

de cauſa, quod poteſtas miniſterii, & Sacerdotalis gratia characteris, habitualem non excludit gratiam, ſed hanc immo ſecum affert, & cum hoc perfectiſſime conjungitur, ſi tamen ſubjectum ſit diſpoſitum & capax quale Judas non erat.

93. Ratio præcipua, ob quam ordinatio Presbyterorum dicitur eſſe Sacramentum, ea ſane eſt, quod in Sacerdotes ordinentur, & offerre debeant ſacrificium, quod poſtulat mundos, & immaculatos, atqui hoc gratis ponitur, & præconcipitur, quia nullum aliud datur in nova Lege Sacrificium, quam in Cruce a Chriſto peractum; & in univerſo Novo Teſtamento nunquam Presbyteri appellati ſunt Sacerdotes; ſed unus ponitur Novæ Legis ſummus ſacerdos Chriſtus; ergo &c.

94 Reſp. Mirum non eſſe, adverſarios negantes celebrationem Euchariſtiæ verum eſſe Sacrificium, negare pariter, Presbyteros eſſe veros Sacerdotes. Sed ut nexus errorum datur, ita magis veritatum: proindeque quum in Tractatu de Sacramento Euchariſtico Theologi Orthodoxi, immo, & plures anglicani, tam evidenter, & clare evincant Euchariſtiæ celebrationem eſſe verum Sacrificium, ſequitur, eos, qui Euchariſtiam celebrant, eſſe veros Sacerdotes. Doctrinam heic illam nos præconcipientes, addimus in præſens, Deum vetere jam in Teſtamento Sacerdotes noſtros fuiſſe præſtolatum, dum de temporibus Meſſiæ apud Hieremiam capite 33. loquens; dixit: *Erunt Levitæ, & Sacerdotes, Miniſtri mei*; & apud Iſaiam Cap. ultimo, de Gentibus credituris inquit; *Et aſſumam ex eis Sacerdotes, & Levitas*. Nova igitur in Lege quum futurum foret verum ſacerdotium: quod cuinam conceſſum, collatumque niſi Presbyteris noſtris eſſe poteſt? Sanctus Ignatius Martyr in Epiſtola ad Smyrnæos Epiſcopum *Principem Sacerdotum appellabat*; Presbyteros autem *Sacerdotes* in Epiſtola ad Heronem, & in altera ad Philadelphienſes. Tertullianus in tractatu de Baptiſmo Epiſcopum vocabat *Summum Sacerdotem*; & in tractatu de velandis Virginibus inquiebat: *Non permittitur mulieri Sacerdotalis officii ſortem ſibi vindicare*. Sanctus Cyprianus in omnibus ſuis epiſtolis, & ſcriptis Sacerdotium, & Sacerdotes celebrat Chriſtianos, Epiſtola præſertim 4. ſcribens: *Nec putent ſibi vitæ, & ſalutis conſtare rationem, ſi Epiſcopis, & Sacerdotibus obtemperare voluerint*. Nonnullos apud ſcriptores, & in Canonibus antiquis, Epiſcopi in primo ſacerdotio, Presbyteri in ſecundo, Diaconi in tertio dicuntur conſtituti, hoc eſt in Sacerdotali miniſterio; itaque ordinatio Presbyteri nedum illum conſtituit verbi Dei Concionatorem, & miniſtrum Baptiſmi, ſed etiam Sacrificii Novæ Legis verum Sacerdotem.

95. Quod autem Presbyteri Novo in Teſtamento nunquam Sacerdotum nomine appellari reperiuntur, idoneas adferunt cauſas egregii ſcriptores. Tempore, quo Novum Teſtamentum ſcriptum eſt, templa nondum habebant credentes, ſed privatos cœtus, inſtar Synagogarum cogebant, quibus ſui Præfecti erant, Presbyteri vocati. Aliquæ etiam Synagogæ nomen Chriſto dederant, illarumque Presbyteri, & Præfecti in Chriſtianos Presbyteros conſtituti, & ordinati ſunt. Quamvis autem Præſidentes, ſive Presbyteri illi Euchariſticum offerrent in Cœtu Chriſtianorum Sacrificium, ut ex Actis Apoſtolicis, Juſtino Martyre, Tertulliano, conſtitutionibus Apoſtolicis, & antiquiſſimis habemus monumentis, proindeque Sacerdotes revera eſſent: attamen Presbyterorum nomen retinere, & nomen Sacerdotis tunc omittere decens fuit, tum quod, quum adhuc in uſu, vel recenti memoria forent veteris Legis ſacrificia, ſacrificarentque, ubique Ethnici Sacerdotes victimas carnales, periculum fuiſſet, ne quis perſuaſiſſet ſibi, Chriſtiana etiam in Lege talia ſacrificia, vel ſimilia offerri; tum etiam quod periculum, & majorem rei chriſtianæ invidiam conflaſſent noſtri, ſi novos oſtentaſſent Sacerdotes. Metum a Synagoga in cauſa fuiſſe exiſtimat vir doctus, (a) cur a Sacerdotum nomine abſtinendum duxerint primi Chriſtiani, non perſequutionis quidem metu, ſed ſcandali. Si enim Sacerdotes alios Templi Sacerdotibus oppoſuiſſent, ſi Pontificem alium, Principemve Sacerdotum ſummo illi Judæorum Pontifici, id in defectionis ſignum Judæi videbantur interpretaturi, quum idem jam in defectione Samaritana exemplum diris atrociſſimis devoviſſent. Sacerdotalia igitur officia, nominibus tamen aliis erant exercenda, quum præſertim primævos illos Chriſtianos de hoc ſcandalo vitando maxime fuiſſe ſollicitos ex Actorum XXI. intelligimus, ubi quum accuſaretur Paulus, quod diſceſſionem a Moyſe doceret, ſcandalo ut occurreret, cum viris votum habentibus comam totondit, & purificavit ſe in Templo. Eo vero magis per modicum tempus ab appellatione Sacerdotum debebant abſtinere ætatis Apoſtolicæ Presbyteri, quod æternum Chriſti Sacerdotium, ſecundum Ordinem Melchiſedech, Sacerdotio Aaronis Levitico, eo ipſo nomine præferebant, quod mortales eſſent homines, qui eo munere Moſaico fungerentur, ut ex Epiſtola ad Hebræos VII. ſatis conſtat. Cavendum igitur erat, ne quis eam Sacerdotum vicem in Evangelio ſupplerent, ii Sacerdotum titulo conferentur; quare titulus ille

(a) Henricus Dodwellus Diſſ. X. Cyprianica quæ eſt de Ordine Epiſcoporum.

Digitized by Google

ille uni Sacerdoti Chriſto reſervandus tunc erat, ne ipſi, pariter ut Aaroni mortuo ſuccedendum videretur.

96. Ex quo autem Novo in Teſtamento, unus dicatur Summus Sacerdos Chriſtus, non ſequitur, Presbyteros non eſſe Sacerdotes, non quidem qui Chriſto ſuccedant, tanquam Sacerdotes ſummi ſummo Sacerdoti, ſed ſolum tanquam Sacerdotes ſecundarii, ejuſque Vicarii, & Miniſtri. Nec enim exempla deſunt, in quibus quum res ipſa communis ſit, rei tamen titulus uni duntaxat proprius quodammodo agnoſcatur. Deum *ſolum* ſapientem, *ſolum* immortalem, appellant ſacræ literæ, & tamen eædem alios alibi vocant ſapientes, & immortales. Solum Chriſtum ſtatuunt pro Doctore eſſe agnoſcendum; nec minus tamen alios agnoſcunt itidem Doctores. Chriſtum eundem *ſolum* Martyrem celebrant Lugdunenſes Martyres, & Viennenſes apud Euſebium, nec ſe eo dignos titulo; qui tamen vitam dedere, & ſanguinem pro Chriſto. Ita igitur factum eſt, ut Presbyteri noſtri, qui Sacerdotes re vera eſſent, & Sacerdotes a Fidelibus haberentur, a Sacerdotum tamen titulo temperarint, quem & Chriſto proprium agnoverint: nam vix paulo poſt, Templo & Hieroſolymis everſis, deletoque Judæorum Sacerdotio, Epiſcopi noſtri, & Presbyteri appellari cæperunt Pontifices, & Sacerdotes, ut ex Epiſtolis S. Ignatii patet, ſanctique Polycarpi, ex ſcriptis Hippolyti Martyris, Tertulliani, Cypriani, aliorumque ad prima Eccleſiæ tempora ſpectantium. Si Presbyteratus igitur Sacerdotii dignitatem ſecum fert, quæ exerceri poſtulat a ſanctificatis, atque mundis, conferatur neceſſe eſt per cæremoniam, & ritum, qui efficax Symbolum, & ſignum ſit Gratiæ reddentis hominem acceptum Deo, hoc eſt, per actionem a Chriſto inſtitutam, & præceptam, quæ habeat dignitatem Sacramenti.

CAPUT IX.

De ſacri Ordinis Charactere.

97. IN Sacerdotum conſecratione ſacrum imprimi characterem vetus adeo in Eccleſia doctrina eſt, ut poſteriores Ethnici, qui teſte Tertulliano in libro de præſcriptionibus Capite 4. ea præſertim, quæ ad Sacerdotium, & ad ſacramenta pertinent, ex noſtris æmulati ſunt; ſacrum quoque characterem in ſuorum conſecratione Sacerdotum conferri, & imprimi docuerint. Teſtes ſunt Porphyrius, Proclus, Eunapius, Julianus, & præcipue Jamblicus in Libro de Myſteriis Seſſione IV. Cap. 2. ubi duplicem in Sacerdotibus ſuis conſiderandam eſſe rationem ſtatuebat: alteram, qua tamquam homines: alteram qua tamquam Deorum miniſtri, auctoritateque divina, ut ipſe inquiebat, muniebantur. Hic per initiationes, & conſecrationes eas ſacra obtineri Symbola conſtituebat, quibus Sacerdotes divino induti charactere, & conſortes facti divinæ veluti naturæ, ſacris operabantur, ut idonei vectores, heinc precum, inde donorum eſſent, cæteroſque mundare ab animarum ſordibus valerent, ut ad allegatum Jamblici locum, fuſe diſſerit Gaihiæus.

98. Sublimem hanc ſacrarum theoriam rerum, quam vel ab ipſo naturæ lumine ſuis adumbravere in Sacerdotibus vetuſtiſſimi Gentilium, potiore profecto jure tradiderant Chriſtiani Patres; ſiquidem D. Gregorius Nazianzenus, oratione in Baptiſmum Chriſti, ait, virtute conſecrationis, & benedictionis, *Sacerdotes plurimum condecorari, & non tantum officio, ac munere, verum etiam interiori charactere, & ſancti unctione a Laicis ſecerni:* ſubditque eoſdem Sacerdotes, quamvis exteriori cultu non immutatos, *quadam tamen inviſibili, & inexplicabili gratia interiorem animum gerere in meliorem transformatum.* Sanctus Auguſtinus de Bono Conjugali Capite XXIV. docet, *Sacramentum ordinationis* permanere in ordinato; & hunc etiamſi ab officio dimoveatur, non carere *Sacramento Domini ſemel impoſito.* In ſermone ad Cæſarienſis Eccleſiæ plebem inter cetera hæc habet: *Invocatio nominis Dei ſuper caput Donatiſtarum, quando ordinantur Epiſcopi, invocatio illa Dei eſt, non Donati. In errante, & deſerente militie crimen eſt Deſertoris; character autem non eſt Deſertoris, ſed Imperatoris. Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus quærit Deſertorem, delet erroris crimen, ſed non exterminat ſuum characterem.* Hæc Sanctus Pater, qui de ordinatione ſacra loquens, ſemper utitur vocibus teſſeræ, ſigni, ſignaculi, ſigilli, characteris, & notæ. Hanc autem doctrinam ſexcentis confirmat in locis adverſus Donatiſtas, ordinem conferens ſemper cum Baptiſmo, & ab utroque characterem imprimi propugnans: quo cum ſancto Doctore nedum Africani Epiſcopi convenere in iteris ab Auguſtino ipſo productis; ſed Patres etiam ceteri, omneſque ſcriptores Eccleſiaſtici longo agmine ab Eſtio recenſiti, vel denotati faſtem, Diſtinctione XXIV. in Librum IV. ſententiarum.

99. Maximum tamen hac in re momentum ex doctrina deſumitur & ratione agendi veteris Eccleſiæ, quæ ſicut ſemel baptizatos, ſi ad Judaiſmum, vel ad Paganiſmum defeciſſent, & pœnitentes poſtes rediſſent ad fidem, & Eccleſiam, iterum non baptizat; ita Clericos etiam majores ſemel ordinatos, ſi ob ſcelera laicam ad communionem detruſiſſet; plenamque, & perfectam per degradationem, ſive ordinum privationem ad ſtatum, & conditionem laicorum reduxiſſet: attamen dum peracta pœnitentia amiſſam ſtationem, & gradum recuperare eos poſſe contendebat, non propterea iterum ordinabantur, ſed ſolam reconciliationis cæremonia priſtinum ſtatum recuperabant.

Digitized by Google

bant, Quorſum id obſecro? Niſi propterea quod in ſemel ordinatis, & ad communionem laicam ob ſcelera rejectis, remanſiſſe adhuc exiſtimaret Eccleſia inhærentem aliquam poteſtatem, & auctoritatem, indelebilemque eos ordinis characterem retinuiſſe. Quippe talem ſi indelebilem animæ characterem, ut in Baptizatis, ita in ordinatis Eccleſia præconceptum non habuiſſet, quemadmodum deſertores fidei & ad Eccleſiam reverſos, rurſus baptizaret, ita ordinatos ob ſcelera depoſitos, & factos laicos, novam per ordinationem amiſſum ipſis gradum reſtituiſſet.

100. Hoc ab argumento vix ſe ſe expediunt heterodoxi, qui in negando charactere ordinis conveniunt, non illi tantum, qui Eccleſiaſticam oppugnant Hierarchiam, verum illi etiam, qui eam quam maxime propugnant, nempe Anglicani, qui licet ordinum ſacrorum vindices, in duobus adhuc peccant; tum quod eorum aliqui Stillingflectus, & Burnetus Calvinianos Hierarchiæ oppugnatores, non propterea Hæreſe ac crimine, condemnant; tum etiam quod, dum eos proinde Hæreſeos condemnant crimine, ipſi adhuc ſacrum Ordinis characterem inficiantur: qui in re, minus conſequenter, ut ajunt, eos differere dixeris, quam adverſarios. Quomodo enim ſacro charactere ſublato Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, non tantum a Laicis, ſed etiam inter ſe, divino erunt jure ſeparati?

101. Bingamus inter Anglicanos celebris, Libro Originum Eccleſiaſticarum XVII. Capite II. §. V. ita factum, de quo agitur, explicare contendit, ſcribens: indelebilis character ordinationis vateribus nihil amplius, quam indelebilis character Baptiſmi ſignificat, quod ſicut externa Baptiſmi forma, lavatio ſive immerſio in aquam, quantumvis tranſiens ſolum actus in perpetuum eo valeat, ut Chriſtianus a mere Pagano vel Judæo internoſcatur; ita quidem, ut etiamſi a Religione Chriſtiana ad Paganiſmum, vel Judaiſmum deficiat, tantum tamen Chriſtiani characteris retineat, ut ſi ad fidem Chriſti redeat, ſecundo Baptiſmate ei non ſit opus: ſimilem in modum externa ordinationis forma, quæ eſt impoſitio manuum, hominem ad clericale aliquod officium deſignans, licet tranſiens tantum actus ſit, ſufficiat ad diſcernendum talem hominem a mere laico nullam ejuſmodi ordinationis cæremoniam adepto; ita quidem, ut per hanc notam, ſive characterem officii ſui ſemel receptum, licet propterea officium ſuum, omnemque honorem & poteſtatem ad id pertinentem perdat, ſemper tamen quodammodo diſtinctus maneat ab eis, qui tale officium numquam geſſerunt; & quamvis hoc officio ſuo, & poteſtate omnino privatos, ad ſimplicem conditionem, & ſtatum laici reducatur, tantum tamen de priſtini muneris ſui notis, & veſtigiis in eo remaneat, ut ſi poſtea in officium ſuum reſtituatur, quamvis nova illud ei committendi cæremonia neceſſaria ſit, hic tamen externus character ſive ritus novæ ordinationis haud requiratur. Nemo eſt, qui veterum hac de re ſententiam explanarit apertius, quam quidem eruditus Forbeſius: idcirco ad uberiorem ejus confirmationem verba illius hic licet tranſcribere: Manet quidem in depoſito clerico aliquid diſtinctivum, quo ab aliis laicis diſtinguitur: ad diſtinctionem tamen eſt neceſſaria aliqua impreſſa forma, ſed ſufficit actus tranſiens in præteritum, nempe quod ſit aliquando ordinatus. Manet in depoſito non character præſentis alicujus officii, vel poteſtatis, ſed veſtigium quoddam præteriti honoris, & aliquando habitæ poteſtatis; per quod veſtigium ab aliis laicis, nunquam ordinatis, diſtinguitur: & propterea ſufficienti pœnitentia, ſi idoneus in re inveniatur, & utilitas Eccleſiæ poſtulet reſtitui poteſt abſque nova *Ordinatione*. Exempli gratia, ſi quis Princeps Miniſtris ſuis Aulicis numerum, quæ ſub ipſo ſuſtinent, notas, & characteres imprimeret, candenti ferro faciens in brachio cubicularii figuram clavis & imaginem equi in brachio Præfecti ſtabuli, & imaginem Calicis in brachio Cellarii; poſtea autem Princeps juſta ira, & indignatione commotus eos ab officiis ſuis amoveret, aliosque in eorum locum ſuſtineret, iiſdem eos functionum ſuarum ſignans characteribus: iſtæ notæ, quæ in miniſtris non depoſitis characteres eſſent præſentis ſuæ poteſtatis, in depoſitis veſtigia tantum præteritæ poteſtatis forent: & quidquid depoſiti illi iſtorum numerum reſpectu facerent, nihil amplius valeret, quam quod ab alio quocumque privato homine, qui nunquam iſtiuſmodi munus ſuſtinuiſſet, fieret. In hoc tamen aliquid diſcriminis intercederet, ut ſi Principi placeret dejectos ab officio reſtituere, non opus eſſet novam illis notam apponere; ſed veſtigium antiquæ poteſtatis novus jam character præſentis poteſtatis eorum evaderet. Ex hac illuſtratione nemo non intelligit quomodo Eccleſia non ſolum Clericos ab officii ſui ſuſpenderit adminiſtratione, ſed munere ſuo omnino amoverit; ordineſque ſuos ei eripuerit; quod proinde nonniſi laici fuerint, hoc tantum cum diſcrimine, ut externum præteriti honoris haberent characterem, quo ceteri laici carebant, quod jam nec officium habuerint clerici, nec ejus poteſtatem; nec actiones eorum in Eccleſia alio loco, quam quo actiones hominum privatorum, & laicorum habitæ fuerint. Hucuſque Bingamus.

102. Prolixum adeo retulimus teſtimonium non modo ut heterodoxorum opinio, & explicandi ratio, verum magis, ut quantum præjudicati affectua in deterius rapiant, intelligatur. Quum enim ignorare non poſſint Proteſtantes characterem ſacrum juxta veteres eſſe in ſacerdotibus admittendum, propterea ad actionem ordinationis confugiunt, ad officium ſemel exercitum, ad honoris præteriti veſtigium, quibus hunc characterem quoquomodo tueantur muneri ſatisfactum ſuo arbitrati, ſi tantum a ſententia Catholica recedant:

Digitized by Google

cedant. Verum imprimis voce characteris intelligendam eſſe notam, ſignum, teſſeram, imaginem permaneuter impreſſam, vel inſculptam, ex Ariſtotele, Luciano, Philone, aliiſque optimæ notæ ſcriptoribus adnotant Adverſarii ipſi in commentariis ſuis ad caput primum epiſtolæ ad Hebræos. Quis autem dixerit, actionem præteritam, & tranſeuntem, vel præteritam aliquam alicujus muneris executionem, eſſe ſignum, ſigillum, notam, vel teſſeram, & imaginem iu aliquo inſculptam. Nonne in veſtigiis præteritæ poteſtatis exprimendis confugit Binghamus Ipſe ad teſſeras, & notas, ſigna, & characteres candenti ferro in brachio cubicularii, præfecti ſtabuli, & cellarii permanentes impreſſo? Si ſacrum miniſterium juxta Anglicanos non eſt ſimplex deſignatio, & deputatio a populo facta, ſed divini juris eſt, utpote facientibus ipſis, Eccleſiaſtica Hierarchia a Deo inſtituta eſt; igitur ſacri miniſtri habeant in ſe oportet ſpiritualem vim, virtutem, poteſtatem, auctoritatem ab ordinatione derivatam: quæ demum omnia ſacrum characterem appellamus. Sique miniſtri ſacri ſemel depoſiti, & ad communionem aliquam detruſi, peracta poſtea pœnitentia potiſſimum ad munus abſque nova conſecratione reſtituuntur, nil aliud cogitari poteſt, niſi eos acceptum ſemel characterem in ſuſpenſione illa non amiſiſſe. Debent enim iterum Euchariſtiam conſecrare, iterum abſolvere a peccatis, quæ ſupernaturalem virtutem poſtulant, & auctoritatem. Virtus hæc & poteſtas ſi iu ſola exteriori ordinatione conſiſteret, vel in exercitio officii ſemel præſtito, per ſolam depoſitionem, & ceſſationem ab officio immitteretur. Non amittitur autem, quia per ſolam reconciliationem, & abſque ulla nova ordinatione, poteſtas & auctoritas illa exercetur; igitur id eſt, quia character ſacerdotalis ſemel per ordinationem impreſſus in ordinato ſemper remanet.

103. Nullum autem præſidium in eo adverſarii habent, quod ab ordinibus depoſiti, aliquid ſi pertentent, priſtinum ad munus ſpectant, nihil efficiant. Id enim primum in controverſia adhuc eſt, deque hoc poſtea dicemus. Deinde, etiamſi nihil tunc efficerent, non eſt idonea illatio, characterem in illis non perſeverare. Quippe permanere adhuc valeret characteris poteſtas, etiamſi ipſa exire in actum non poſſet. Heinc Crogæum nuperum Calvinianum ſcriptorem peſſime argumentatum dicimus, libro Hiſtoriæ Chriſtianiſmi Indiarum III. ubi ex eo quod apud Græcos, & Moſcovitas, ſi qui inter Presbyteros ſecundis implicentur nuptiis ad laicam retruduntur communionem, nec amplius ut Presbyteri habentur; propterea infert Græcorum, & Moſcovitarum Eccleſias nullum in ordinatis admittere characterem. Male, inquam, dicimus argumentatum; quippe apud nos hodierna etiam die, hoc eſt diſcrimen inter ſuſpenſionem, depoſitionemque, & degradationem, quod per priores illas non honor, vel locus ordinis debitus adimitur, ſed tantum executio miniſterii inhibetur; ex oppoſito per degradationem, gradus, honor, dignitas, & locus ordini congruens degradato abrogatur, nec alio deinceps loco, quam laici habetur, quin tamen ordinis character ipſi ablatus cenſeatur. Detruſio igitur ordinati ad ſtatum laicalem non arguit negationem characteris ſacri.

104. Quidquid autem de hodiernis Græcis, & Moſcovitis ſit, ferendus non videtur Crogæus, ubi Latina quoque in Eccleſia de doctrina Characteris dubitatum fuiſſe ſatagit, ut inſinuet; dum poſt citatam meditationem legendum ſubdit Morinum exercitatione III. de ſacris Ordinationibus: qua quidem in allegatione obſcure & generatim facta calumniam miramur. Nam Morinus, aliquos tunc quidem adducit veteres ſcholaſticos qui dubitavere, num ſacerdotalis doctrina Characteris in ſacris haberetur literis, & in antiquis Patribus; ſed eam ipſi tamen ob Eccleſiæ auctoritatem profitebantur. Nutabant nonnulli in Characteris eſſentia exprimenda: An aliquid morale tantum eſſet, an relatio aliqua, an Phyſica entitas; ſed in admittenda exiſtentia ipſius, & ejuſdem effectibus non nutabant: quemadmodum enim conſtabat homines per Characterem Baptiſmi evadere Chriſtianæ Societatis Cives per Characterem ſacræ Confirmationis evadere milites Chriſtianæ militiæ; ita per Ordinis characterem evadere ejuſdem Societatis, & militiæ rectores, duces, miniſtros publicos, & Sacerdotes, minime dubitatum eſt. Morinus ipſe tunc proteſtatur ſe ponere characterem ſacrum, non aſſumere ad probandam; atque ex teſtimoniis, quæ deinde exſcribit, ſolum effluit, juxta plures veteres, & aliquos ſcholaſticos, characterem Epiſcopalem non eſſe entitative diverſum a presbyterali, ſed hujus extenſionem tantum ad aliquas Hierarchicas actiones: qua de quæſtione dicemus iu loco.

105. Unum eſt, quod objicere quis poſſet; nempe per Tonſuram, & minores Ordines aliquem ita cooptari in Clerum, ut a Laicis diſtinguatur, nec tamen, vel Tonſuram, vel ordines minores imprimere characterem juxta præſtantiores Romanæ Eccleſiæ Doctores. Rurſus Minores Ordines in Clericis ob ſcelera ab officio dejectos non reiterantur, dum priſtinum reſtituuntur ad gradum; neque hoc tamen, & ex Charactere aliquo impreſſo provenit; ergo &c.

106. Reſp. Eorum in opinione apud noſtros, qui dicunt Ordines Minores eſſe ſacramenta, etiam ſequi eas imprimere characterem. Eorum autem in ſententia qui negant utrumque; differentia eſt, quia illud ſolum valet imprimere Characterem, quod virtutem, & vim habet a Chriſto. Ejuſmodi autem ſunt ordines Hierarchici, non autem minores, qui ab Eccleſia Inſtituti non producunt niſi exteriorem veluti Characterem, iu deputatione ad aliqua Eccleſiaſtica mi-

miniſteria conſiſtentem. Ideo autem nec ordines minores iterantur, quia ſic ſtatuit Eccleſia, nullaque eſt iterationis neceſſitas, & cauſſa. Taliter autem Clerici a Laicis diſtinguuntur, qualis eorum ordinatio eſt. Si hæc Eccleſiaſticæ inſtitutionis eſt, ut in ordinibus minoribus Eccleſiaſtico ſolum jure a Laicis ſeparati ſunt: ſi inſtitutionis divinæ eſt ordinatio, qua conſecrantur, ut in Ordinibus Hierarchicis, jure tunc divino a Laicis diſtinguuntur. Ceterum etiam ſi Character ſacer ſignum ſit diſtinctivum Ordinati a non-ordinato, id tamen totus non eſt Characteris effectus; ſed ut recte docet Beatus Thomas, & cum eo Theologi Orthodoxi per Sacerdotalem Characterem non modo divinitus a Laicis ſejungimur, verum etiam divinam accipimus conficiendi, adminiſtrandique ſacramenta poteſtatem; configuramur Chriſto Sacerdoti Summo, exprimimus perſonam ejus, ejuſque ſpiritualis Principatus inſignibus ornati, de Sacerdotio ipſius participamus.

C A P U T X.

De Ordine Epiſcopatus.

107. Primi Lutherani, qui reformationis ſpecie nil revera concupiſcebant magis quam nimiam, ut ajebant, Eccleſiaſticorum infringere potentiam, Epiſcopatum illico abrogandum eſſe conſtituerunt. Negato itaque Sacerdotio, & Sacrificio, Paſtores, modo in Eccleſia voluerunt; & ne Schiſmata orirentur, variarum Eccleſiis urbium, & Provinciarum ſuperintendentes præfecere, veluti Paſtorum inſpectores: quo pacto rationem agendi Apoſtolorum ſe ſatis imitatos jactavere.

108. Diverſas abiere in partes Calviniani. Siquidem rigidiores Sectæ Aſſeclæ, vel ipſam Epiſcopatus imaginem de medio tollendam ſtatuerunt, ſolis verbi Dei, ut ajunt, contenti miniſtris, qui in Synodis coacti doctrinam, & diſciplinam conſtituerent: quumque univerſam ſibi opponi Antiquitatem animadverterent, ita interpretati ſunt prima etiam Chriſtianæ Religionis ætate, Epiſcopos nullum in Presbyteros habuiſſe dominatum, ſed eas tantum partes, quas habet Conſul in Senatu, ut referat de negotiis, ſententias roget, & quod communi decretum fuerit conſilio exequatur; non aliud propterea primos fuiſſe Chriſtianæ Reipublicæ Epiſcopos, quam Presbyteros, inter quos unus, perturbationis vitandæ cauſſa, Epiſcopus inſigniter appellaretur: quemadmodum in Reipublicæ Athenienſis Magiſtratu ex novem Prætoribus conſtituto, licet omnes veri Prætores eſſent pari jure, & poteſtate, eorum e numero unus tamen, quod ab eo anni, faſtique ſignarentur, Prætor per excellentiam appellabatur.

109. Alii Calvinianorum, Epiſcopales in Anglia præſertim dicti, præſtantiam, jus, dignitatem, auctoritatemque Epiſcoporum ſupra Presbyteros magno nobiſcum ſtudio, magnaque diligentia tuentur. Verum, etiamſi inter Orthodoxos in eo tanquam de Fidei Capite conveniat Epiſcopos eſſe Presbyteris ſuperiores, non convenit tamen, ſit ne id divino, vel Eccleſiaſtico ſolum de jure; teſte ſiquidem Cardinali Pallavicino in Hiſtoria Concilii Tridentini, quum prius illud apertis verbis in Synodo definiri vellent Germani, & Galli, nunquam aſſenſere Itali; non ordinis cauſſa arbitror, ſed juriſdictionis potius Epiſcopalis, quam contrahi, augerique poſſe conſtituebant.

110. Graviores autem Theologos ſequuti, dicimus, præſtantiam Epiſcoporum ſupar Presbyteros divinæ eſſe inſtitutionis; idque unico oſtendimus, ſed invicto argumento. Illi, qui præter poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, remittendique peccata, & Eccleſiam regendi divino adhuc jure, divinaque inſtitutione, Lege, mandato, præcepto, poteſtatem habent conſtituendi per Sacramentalem actum Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos; poteſtatem illi profecto habent iis præſtantiorem, qui nec Epiſcopos, nec Presbyteros, nec Diaconos poſſunt conſtituere; atqui Epiſcopi præter priores illas, hanc etiam, pro Chriſti voluntate, & præcepto, habent poteſtatem, & in id ſunt omnino ordinati, ut ex Liturgiis Eccleſiarum omnium patet, & juxta Apoſtoli verba ad Titum Cretenſium Epiſcopum: *reliqui te Cretæ ut ea quæ deſunt corrigas & conſtituas per Civitates Presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi*: quum ex oppoſito nuſquam inveniamus, nunquam legamus, talem poteſtatem Presbyteris conceſſam, nunquam ab eiſdem uſurpatam; itaque Epiſcopi dignitatem, poteſtatem, auctoritatem, divino habent jure divinaque inſtitutione Presbyteris præſtantiorem.

111. Obj. 1. Apoſtolus, initio Epiſtolæ ſuæ ad Philippenſes, ſalutem dicit Epiſcopis, & Diaconis illius Eccleſiæ, nulla facta Presbyterorum mentione: in Epiſtola autem ad Titum, ſignificatis dotibus, quæ Epiſcopos decebant, immediate tranſit ad qualitates, quæ decebant Diaconos, prætermiſſis dotibus Presbyterorum propriis; atqui ſi Epiſcopi jam tum fuiſſent a Presbyteris diſtincti, iſtos Apoſtolos non prætermiſiſſet; itaque Apoſtolica in Eccleſia idem fuere Epiſcopi, & Presbyteri. Revera Actorum XX. vocavit ad ſe Paulus Presbyteros Eccleſiæ Epheſinæ, eoſque appellavit Epiſcopos, poſitos a Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei; ergo &c.

112. Reſp. Orthodoxi, præcipue Chriſtianus Lupus, & Petavius Diſſertationum Eccleſiaſticarum Lib. I. Cap. 2. pro antiquiſſimorum doctrina Patrum, primis Eccleſiæ temporibus, quæ illius infantia fuere, Presbyteros ſic ordinari conſueviſſe, ut Presbyteratus non ſolum, ſed etiam Epiſcopatus gradum obtinerent; idque fieri oportuiſſe, quod quum Chriſtiana Religio pro-

Digitized by Google

greſſum in dies faceret, opus fuit, paratam eſſe copiam Epiſcoporum, quæ ad Urbes, & Provincias Chriſtianas cum poteſtate mitterentur. Morem immo hunc in aliquibus perſeveraſſe Eccleſiis ſunt, qui contendant, præcipue amplioribus in urbibus, in quibus plures aliquando erant fidelium Cœtus diverſis linguis, & diverſis ritibus utentes, quorum cuique ſuus præerat Epiſcopus Presbyter vocatus. Ejuſmodi Epiſcopi ſimul conjuncti Collegium conſtituebant ſive Catholicæ Eccleſiæ illa in Urbe Presbyterium cui Metropolitico veluti jure ſuperior præerat Epiſcopus: qui ſuceſſu temporis in Epiſcopum ſolus conſecratus, aliis in poſterum in Presbyteros ſolum ordinatis, ſolus illius, & Eccleſiæ remanſit propterea Epiſcopus. Alexandrina profecto in Eccleſia id contigiſſe indicant Epiphanius & Sozomenus: quare factum fuerit, ut a D. Marco ad III. uſque ſæculum mortuo Alexandrinæ Urbis Epiſcopo, Presbyteri unum aliquem ſui corporis eligerent, qui defuncto abſque nova conſecratione ſuccederet: quia ſcilicet Presbyteri illi jam in Epiſcopos erant cuncti conſecrati. Sicut autem initio Romanæ Civitatis omnem rex habebat poteſtatem: Conſules deinde inſtituti duo, penes quos illud jus erat, quod unice antea fuerat apud regem: ſequuti poſtea Decem viri, quibus eadem, quæ conſulibus fuerat, tranſlata eſt poteſtas; ſic ex oppoſito quum plures ſingulis Eccleſiis initio Epiſcopi præeſſent: itemque Presbyteri plures poteſtate præditi, quam communiter exercebant; poſtquam unus modo in Epiſcopum ordinari cæpit, omnis ad eum poteſtas reſtricta eſt (a).

113. Ex quo autem ætate illa Presbyteri fere cuncti in Epiſcopos complete ordinarentur, non ſequitur tunc etiam Presbyteratus gradum non fuiſſe ab Epiſcopali Ordine diverſum: ſicut ex quo homo anima præditus eſt humana, quæ ſimul eſt intellectiva, ſenſitiva, & vegetativa, non ſequitur, vegetativam, & ſenſitivam animam natura, eſſentia, quidditateque differre ab intellectiva: & quemadmodum certis in locis, ex populis inde olim Reges & Sacerdotes fuerint iidem homines, ſequi non debet idem fuiſſe Regnum, & Sacerdotium: & ſicut etiamſi aliquis idem ſit Presbyter, & Judex, nemo intulerit, Presbyteratum a Magiſtratu non differre; quamvis quippe Sacerdotium, & Regnum, Presbyteratus, & Magiſtratus illo in caſu idem ſint ſubjecto; attamen virtute nativa, natura, eſſentia, quidditate, proprietateque differunt: ita quamvis iidem ſubjecto fuerint Presbyteri aliquando, & Epiſcopi, videlicet, quamvis initio cuncti fere Presbyteri fuerint in Epiſcopos complete ordinati minime inferri debet, Epiſcopatum non eſſe inſtitutione, natura, eſſentia, dignitate, auctoritateque a Presbyteratus Ordine diverſum.

114. Obj. 2. Nomen Presbyteri commune olim fuit Epiſcopis, & Presbyteris, ſicut Epiſcopi nomen fuit Presbyteris commune. Nam Divus Petrus omnium conſenſu fuit Epiſcopus, qui ſeſe tamen Presbyterum vocavit; & Sanctus Joannes ſe Presbyterum appellavit, qui erat utique Epiſcopus. Synonima autem grammatica habent quidem diverſa nomina, ſed res denotant eaſdem. Sic Synodus, & Concilium, Janitor, & Oſtiarius, quia communia ſunt nomina idem ſignificant; proindeque ſi ætate Apoſtolica Epiſcopi & Presbyteri communia habebant nomina, communem habuerint oportet dignitatem, ordinem, & auctoritatem.

115. Reſp. Ex eo quod nomina fuerint communia, male inferri communia æque fuiſſe officia, communes poteſtates. Quid enim alienum a veritate magis excogitari poteſt? Apoſtolus dictus eſt Chriſtus ipſe ad Hebræos III. Epiſcopus appellatus eſt I. Petri 2. ergo ne Apoſtoli, & Epiſcopi cenſendi erunt pares Chriſto? Canonicis in epiſtolis Apoſtoli Diaconorum nomine donati ſunt; Diaconi autem nomine Apoſtolorum; ergo ne id erit Apoſtolorum, & Diaconorum Ordo? Nemo id dixerit. Prælatorum nunc nomine, hoc eſt Præſidentium, & Præpoſitorum, quod idem ac olim Presbyterorum appellatione ſignificatur; Prælatorum, inquam, nomine appellantur Abbates, Vicarii Epiſcoporum, Epiſcopi ipſi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, atque etiam Cardinales: numquid ſequitur, hos omnes, quia communiter Prælati Eccleſiæ appellantur, eandem habere dignitatem, gradum, poteſtatem? Minime profecto.

116. Sane non animadvertunt Adverſarii, tranſitum ſe argumentando facere a ſignificationibus, quas habebant illa nomina initio & infantia Eccleſiæ, ad ſignificationes, ad quas ſequutis inde temporibus reſtricta ſunt. Appoſito exemplo rem, de qua agimus, illuſtrat Petavius Libro II. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 3. Romæ inquit, Prætor olim commune fuit nomen majorum omnium Magiſtratuum, ipſiuſque adeo exercitus Ducis, ſive Imperatoris, ut ſcribit Varro; unde & Prætorium in Caſtris, ubi Imperatoris Tabernaculum erat; Prætoria Porta, Cohorſque Prætoria. Poſt vero peculiaris in Magiſtratus vocabulum tranſiit. Nec recte ratiocinaretur, qui ex eo quod illos, qui poſtea Conſules dicti ſunt, olim Prætores vocatos eſſe legeret; ut nominatim Feſtus adnotat, concluderet, eundem apud Romanos fuiſſe Prætorem, & Conſulem. Nam Prætor, primo illo & antiquiore modo, non certi Magiſtratus nomen, ſed univerſe, & infinite majoris nomen fuit: poſte-

rio-

(a) Videatur J. F. Gruner de origine Epiſcoporum, eorumque in Eccleſiam primitivo jure. Halæ 1765.

rioris vero, in quo cum Cônſule comparatur, unum & peculiarem aliquem deſignat, Conſulatu minorem; non diſpar ejus eſt ratio, de quo in præſena agitur. Presbyter, qua dignitatis, & honoria dumtaxat appellatio eſt, utrique communis fuit, hoc eſt, primo, & ſecundo Ordini, ſive in eadem perſona reperiretur, ſive in diverſis. Quemadmodum etiam Sacerdotis nomen utrique Ordini attributum eſt, & diutius, in primo conſtitit, quam vox Presbyteri, nam hæc in ſolo tandem reſedit Ordine ſecundo; quum Sacerdos in primo perſeveraret, nec minus tamen ad ſecundum pertineret. Equidem negabit nemo poſteriori ætate Epiſcopos Eccleſiaſticos aut fuiſſe jure Presbyteris ſuperiores; in tot adhuc tamen ſcriptis veterum, in tot Actis Conciliorum, Epiſcopi appellati ſunt modo ſacerdotes. Si itaque non obſtante communi hac appellatione, poſteriori ætate habiti ſunt Epiſcopi Presbyteris Eccleſiaſtico certe jure ſuperiores; cur ex quo Apoſtolica ætate vocati fuerint ſimpliciter Presbyteri, non potuerunt divino eſſe jure ipſis ſuperiores? vel cur ex nominis æqualitate erit inferenda æqualitas Ordinis, juris, & auctoritatis?

117. Obj. 3. Ex quo Ordo Diaconatus diverſus jam foret ab Ordine Epiſcopatus, Epiſcopos a Diaconis Apoſtoli in Epiſtolis ſuis nomine etiam ipſo diſtinxere; itaque ſi Epiſcopatum, & Presbyteratum Ordines diverſos poſuiſſent; alium ab alio ipſi appellatione diſtinxiſſent; ſed hoc non præſtiterunt; ergo &c. (a).

118. Reſpondent viri præſertim in Judaicis antiquitatibus exercitatiſſimi, Apoſtolos, qui uno eodemque Ordine Epiſcopatum complecti videntur, & Presbyteratum; attamen alium atque alium Ordinem eoſdem agnoviſſe, propterea quod Judaico veluti more loquerentur & ſcriberent. In Sacerdotibus quippe Judæorum, quibus Euchariſtici Sacrificii Sacerdotes in Lege Chriſtiana reſponderunt, nunc unum dumtaxat Ordinem, nunc duos ordines agnoviſſe Helleniſtas, ſive Judæos græce loquentes, pluribus teſtimoniis oſtendunt: pro analogia autem illa, quæ Judæorum inter, Chriſtianorumque Sacerdotes interceſſit, in ipſa nominum communitate, ſicut ſummo apud Judæos Sacerdoti divina profecto inſtitutione ſuperior reſervata erat poteſtas; ita primario æque Presbyteris apud Chriſtianos. Ad Judæorum itaque exemplum bipartitas illas veterum Chriſtianorum diſtributiones fuiſſe conceptas addunt; adeo tamen ut ſicut unum facerent Ordinem apud Judæos Helleniſtas Sacerdos ſummus vulgareſque, tum quum Levitis opponebantur, ita unum Ordinem facerent primarius vulgareſque Chriſtianorum Presbyteri, tum quum opponebantur Diaconis: ea ratione, quæ Judæorum pariter imitatione, & exemplo factum diximus fideles omnes Infidelibus oppoſitos, in ſacris etiam Literis fuiſſe Clerum appellatos; ſed dum inter ſe conferebantur poſtea fideles, ſolos miniſtros ſacros, non autem Laicos ad Clerum ſpecialiter & proprie ſpectaſſe. Quum igitur Apoſtolus, virique Apoſtolici, de Epiſcopis, & Presbyteris tam ſæpe ſcripſerint, ſecundum quod opponebantur Diaconis, mirum eſſe non debet, ſi Diaconos Levitarum Succeſſores, appellatione ipſa ab Epiſcopis, & Presbyteris diſtinxerint; iſtos ex oppoſito, ſummi Judæorum Sacerdotis, & gregalium Succeſſores, bipartito quamvis Ordine diſtinctos, Judaica tamen phraſi, dum conferebantur cum Diaconis, tanquam unum conſtituentes Ordinem repræſentaverint.

CAPUT XI.

Eadem veritas ex SS. Patribus.

119. INfiniti eſſemus, ſi vel aliquam teſtimoniorum Patrum partem exſcriberemus: quod jam præſtitere innumeri Theologi, præſertim Natalis Alexander Diſſertatione XLIV. ſæculi IV. & Vitaſſius in ſuo Tractatu de Sacramento Ordinis: quamvis Petavius tum ſuis in libris de Eccleſiaſtica Hierarchia, tum in Diſſertationibus contra Salmaſium, omne punctum tulerit, ſcripturarumque, & ſanctorum doctrinam Patrum cum acumine, elegantia, eloquentia, & ratiocinatione ita conjunxerit, ut præſtantiam Epiſcoporum ſupra Presbyteros divino de jure copioſiſſime, & ſupra modum vindicaverit. Nos heic quoque unico contenti erimus, ſed evidenti ſane ratiocinio. Hanc Epiſcoporum ſupra Presbyteros præſtantiam prædicant primæ ætatis Patres; Ignatius Martyr, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, & Cyprianus, innumeris teſtimoniis paſſim inveniendis; non itaque juris eſſe poteſt tantum Eccleſiaſtici. Illis tantum perſequutionum temporibus ubinam gentium inveneris Concilia, vel conſtitutiones, vel Eccleſiaſtica Decreta; & adeo quidem generalia, & communiter recepta quibus ſtatui potuerit, Epiſcopos Presbyteris præſtare debuiſſe? Nil profecto tale; vel fuit, vel eſſe potuit. Hoc adhuc non obſtante; Epiſcopi, & præeſſe dicebantur, & porro perfectiſſime, ubique, & abſque oppoſitione præerant Presbyteris; itaque id eveniſſe debuit, atque evenit, propterea quod divina inſtitutione, voluntate, & lege, conſtitutum, & ab

(a) Henr. Dodwellus Diſſertatione Cypriana X. quæ eſt de Ordine Epiſcoporum, Presbyterorumque diſtinguendo.

ab Apoſtolis pro Chriſti præcepto traditum, juſſum, & mandatum cenſebatur.

120. Divus tamen Hieronymus negotium faceſſit Theologis; quippe Epiſtolam Apoſtoli ad Titum explicans, ita commentatur: *Idem eſt ergo Presbyter, qui & Epiſcopus, & antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in Religione fierent, & diceretur in populis: ego ſum Pauli: ego Apollo: ego autem Cephæ, communi Presbyterorum Concilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam vero unuſquiſque eos, quos baptizaverat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti; in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur ceteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur. Sicut ergo Presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus fuerit eſſe ſubjectos; ita Epiſcopi noverint, ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate, debere Eccleſiam regere.* Idem verſans argumentum S. Doctor in Epiſtola ad Evagrium, eadem repetit de æqualitate Epiſcopi, & Presbyteri argumenta, additque: *Quod autem poſtea unus electus eſt, qui ceteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt.* Nam & Alexandriæ a Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam, & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe elevatum, in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant, quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat; aut Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent. Quid enim facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod Presbyter non faciat? Hucuſque Hieronymus, cujus mens, & verba adeo clara ſunt, ut Blondellus, Calvinianæ Sectæ vir, Librum pro æqualitate inter Epiſcopos, & Presbyteros ſcripturus, illum Apologiam pro ſententia Hieronymi inſcripſerit.

121. Ex his Hieronymi locis, quos aliqui veteres exſcripſere, varias abierunt Theologi in opiniones; alii enim conſequuti ſunt præſtantiam Epiſcoporum ſupra Presbyteros eſſe Eccleſiaſticæ tantum conſuetudinis, & inſtitutionis. Alii dixerunt gradum Epiſcoporum & Presbyterorum eundem eſſe reſpectu poteſtatis ordinis, non reſpectu poteſtatis juriſdictionis: quaſi vero ætate Apoſtolorum, de qua loquitur Hieronymus, ſeparari jam conſueviſſet poteſtas juriſdictionis a poteſtate ordinis: quod ne ſuſpicari quidem licet. Alii dixere, Epiſcopatum non eſſe Sacramentum a Sacramento Presbyteratus diſtinctum, neque characterem imprimere diverſum a charactere Presbyteratus; ſed eſſe extenſionem tantum Presbyteralis characteris ad aliquas hierarchicas actiones; vel dignitatem quidem, & poteſtatem ſacram a divina voluntate procedentem, non tamen ordinem a Presbyteratus ordine diverſum; ſed iſtius perfectionem, & complementum. Sed ejuſmodi interpretatio inepta eſt Hieronymo explicando. Nam talis extenſio, talis dignitas, talis perfectio, talē complementum, eſto neque character, neque Sacramentum ſit in hac hypotheſi, a divina tamen voluntate ce ſetur eſſe; quare ob ipſam jam diverſi divino jure ſint Epiſcopi, & Presbyteri, neque ſola conſuetudine Eccleſiaſtica diſtincti. Sunt qui objecta ſancti Patris teſtimonia membratim ſumpta interpretati, noſtras trahere ſatagunt in partes; præſertim quum alibi Hieronymus Epiſcoporum præſtantiam ſuper Presbyteris tanquam divinæ inſtitutionis prædicare videatur. Verum in locis, de quibus agimus, repugnat mens, ſcopus, finis, & complexio Hieronymianæ Orationis, antecedentia, & ſequentia repugnant, quum Pauli teſtimonia eo loci ſanctus Pater eo ipſo ſenſu adferat, quo nobis ab Adverſariis opponuntur.

122. Salva igitur veneratione tanto Patri debita, dicimus cum Morino exercitatione III. de ſacris ordinationibus, cap. 3. ipſum, conſiderato tum jure, tum facto, heic eſſe omittendum. Nam ſi jus ſpectamus, quum ipſemet heic ſcribat, occaſione Schiſmatis Corinthiaci, quo diceb ant: ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, præpoſitos fuiſſe Presbyteris Epiſcopos, ſequitur id ab Apoſtolis, & in Apoſtolica Eccleſia fuiſſe conſtitutum. Ab Apoſtolis autem divino id factum fuiſſe mandato tenendum omnino eſt. Quis enim quod Apoſtolorum omnium conſilio factum eſt expreſſæ auctoritati divinæ non imputabit? Hoc principium ſi ſemel quaſſes, vix erit aliquid in ſacramentis, cetera ut omittam, quod probari poſſit eſſe juris divini. Secum igitur ipſe pugnat Hieronymus, dum conſuetudini tribuit Eccleſiaſticæ id, quod ab omnibus Apoſtolis factum confitetur. Sed rurſus ſecum ipſe heic pugnat, dum fatetur ſolos Epiſcopos ordinare potuiſſe, Presbyteros autem id nullo modo potuiſſe, & nihilominus eundem eſſe dicit Presbyterorum, & Epiſcoporum ordinem. Nonne enim rudior quiſque intelligit, eos qui poteſtatem habent conſecrandi Miniſtros ſacros, divina inſtitutione ordinem habere præſtantiorem iis, qui tali carent poteſtate? Tandem ſecum pugnat Hieronymus, dum in omnibus objectis locis, Novi Teſtamenti Hierarchiam confert cum Hierarchia veteris Teſtamenti; atqui in hac ſummus Sacerdos divino jure vulgaribus præerat: cur igitur non idem fuerit in noſtra?

123. Factum vero ſi reſpicimus, certiſſime Hiſtoria docet Eccleſiaſtica, ſanctum Jacobum fratrem Domini paulo poſt ejus in cælos aſcenſum, creatum ab Apoſtolis fuiſſe Hieroſolymorum Epiſcopum, & antequam Corinthi diceretur: Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, ut non modo Euſebius in Chronico, & lib. 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſed Hieronymus ipſe in Eccleſiaſticis Scriptoribus fatetur; neque deſunt, qui ipſum manu Domini in Epiſcopum fuiſſe conſecratum tradant, ut Nicephorus, & Photius. Eo mortuo, ſuffectus ipſi eſt Simeon Cleophæ filius,

Digitized by Google

ſilius. Divus Petrus fuit Antiochiæ ſpecialis Epiſcopus, annis XIII. vel XIV. ante Corinthiacum ſchiſma; & Antiochia diſcedens profectus Romam, Evodium creavit ſuum ſucceſſorem; quo mortuo Ignatium Antiochiæ Epiſcopum conſecravit Divus Paulus. Marcus Evangeliſta a S. Petro Alexandriam Roma miſſus eſt, ut ibi Epiſcopum ageret. Dionyſius Areopagita aliquot annos Athenis; Timotheus autem anno uno, vel altero Epheſi, ante Corinthiacum Schiſma, fuere conſecrati. Quum hæc vero Hieronymus ipſe, & in Chronico Euſebii, quod edidit, & ampliavit, & in Scriptoribus Eccleſiaſticis, & alibi tradiderit, verum eſſe non poteſt, occaſione ſolum Corinthiaci Schiſmatis Epiſcopos fuiſſe Presbyteris præfectos. Quid illud autem quod addit Sanctus Pater, nihil facere excepta ordinatione Epiſcopum, quod Presbyter non faciat? Ignorare ne poterat Hieronymus, in toto Occidente præter ordinationem multa fuiſſe Epiſcopis reſervata, quæ nullo modo Presbyteris licerent, ut Confirmationis Sacramentum, quod ipſemet teſtatur in Dialogo contra Luciferianos, Eccleſiarum, & Altarium benedictiones, & nonnulla alia? Attamen calore contentionis raptus, præſertim ut audaciam reprimeret Diaconorum ſe ſe, ut vidimus, Presbyteris non æquare modo ſed præferre contendentium, ut Presbyteros Epiſcopis magis exæquaret, abſolute dixit, nihil facere Epiſcopum præter ordinationem quod Preſbyter non faceret: quod aliquo modo verum erat: nam in Ægypto & in Orientis multis regionibus, Confirmationis Sacramentum non Epiſcopi tantum, ſed Presbyteri etiam conferebant; ſed quod erat quadantenus verum, abſolute pronunciavit; idque, ſi ſedato pertractaſſet animo certe omiſiſſet, præcipue in Occidente ſcribens, in quo ætate jam ſua, præter ordinationem, plura alia Epiſcopis jam erant aperte reſervata.

CAPUT XII.

De Sacri Ordinis Miniſtro.

124. Præcipuum, ut hucuſque diximus, præſtantiæ Epiſcoporum ſuper Presbyteris fundamentum ex poteſtate deſumitur Epiſcoporum conſecrandi alios Epiſcopos; Presbyteros, & Diaconos, qua poteſtate quum careant Preſbyteri, Epiſcopis propterea inferiores ſunt. Diſconi revera, de quibus Acta Apoſtolorum Capite VI. a ſolis Apoſtolis ordinati ſunt: Paulo, & Barnabæ manus impoſitæ fuerunt ab iis, qui Antiochenæ Eccleſiæ præerant; ipſique ſingulas per Civitates Epiſcopos, & Presbyteros conſtituerunt. Titus, & Timotheus ordinati fuere a Paulo, quibus tamquam Epiſcopis præcepit, ut impoſitione manuum Epiſcopos, & Presbyteros crearent; ſoli igitur Epiſcopi ſunt ſacramenti ordinis Miniſtri. Confirmatur id ex Traditione: nam, ut omittamus Canones, qui Apoſtolici dicuntur, & Auctorem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, appertiſſimaque Ignatii Martyris teſtimonia ad Antiochenos, Cornelius Romanus Pontifex in Epiſtola ad Fabianum referente Euſebio lib. VI. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Capite 93. ſcribit, Novatianum Hæreticum quum Romanum ambiret Epiſcopatum, hoc unum laboraſſe, ut Epiſcopos aliquos circumveniret, a quibus Epiſcopus crearetur. adeo perſuaſum Hæreticis ipſis erat, non aliter Epiſcopum creari poſſe niſi ab Epiſcopis. Accedit condemnatio Aerii jam IV. ſæculo ab univerſa Catholica Eccleſia propterea quod Preſbyteris tribuere vellet poteſtatem ordinandi: perpetuus accedit mos, praxis, conſuetudo, doctrina, traditio Catholicæ Eccleſiæ: accedunt Pontificalia, Euchologia, omniumque Liturgiæ Eccleſiarum, atque Nationum, ex quibus effluit, ſolum Epiſcopum eſſe hierarchicorum Ordinum Miniſtrum.

125. Obj. I. Non ſolum Hieronymus, ut vidimus, verum etiam Ambroſiaſter, Liberatus, & Eutychius Patriarcha, tradiderunt primis Eccleſiæ ſæculis, mortuo Epiſcopo Alexandrino, illius Presbyteros Eccleſiæ ſucceſſorem ordinaſſe; ergo &c.

126. Sed huic difficultati ſatis reſpondetur ex dictis, ſcilicet eo temporis Alexandrinos Presbyteros conſueviſſe complete in Epiſcopos ordinari: ideoque potuiſſe eoſdem jure Epiſcopalis poteſtatis Epiſcopum .... Alexandrinum conſecrare. Sunt autem qui diſtinguant inter narrationem Hieronymi, Liberati, & Ambroſiaſtri, & narrationem Eutichii. Priores de electione magis loquuntur a Presbyteris illis facta Epiſcopi Alexandrini, quam de ipſius conſecratione. Num hanc obſecro Hieronymus prætermiſiſſet, dum factum illud retulit, ut Presbyteros quodammodo Epiſcopis æquaret? Prætermiſit autem, immo apertiſſime negavit, dum narrato facto, confeſtim ſubdit: *quid excepta ordinatione, facit Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Eutychius autem, qui loqui videtur de conſecratione veluti ab Alexandrinis Presbyteris facta, nedum poſterior nimis eſt, ut de veteri ætate fidem faciat, ſed & ab innumeris non modo Catholicis ſcriptoribus, verum etiam ab Adverſariis ipſis, qui ejus heic teſtimonio abutuntur, non Arabum dicam Scriptorum, ſed mortalium imperitiſſimus habetur.

127. Revera Anianus, qui Divo Marco Alexandrina in Sede ſucceſſit, ab ipſo Marco ordinatus fuit; Abilius, qui ſucceſſit Aniano, conſecratus fuit a Luca Evangeliſta; Cerdon, Primus, aliique ſucceſſores conſecrati fuere ab Epiſcopis vicinarum regionum, quemadmodum illarum teſtimoniis ætatum oſtendit Abrahamus Echellenſis in Eutychio confutato. Epiſcopi autem Ægypti, Libyæ, Thebaidos, & Pentapolis, Alexandrino in Concilio congregati, D. Athanaſium,

naſium ut purgarent, & ipſius calumniatorem Iſchyram non fuiſſe Presbyterum, ut oſtenderent, nil urgere magis, quam hunc a Collutho quodam fuiſſe ordinatum, qui eſto Epiſcopum ſe jactaret, niſi tamen Presbyter non erat; proindeque conferre hierarchicos ordines non poterat. Si hæc conſtantiſſima erat Eccleſiæ Alexandrinæ fides, quomodo ſimplices Presbyteri Alexandrinos Epiſcopos paucis antea annis ordinaviſſent?.

128. Contra eſt: Plura ſuppetunt extra Eccleſiam Alexandrinam exempla. Presbyterorum & Epiſcoporum, qui dicuntur a Presbyteris creati, ut Danielis a Paphnutio Abbate ſuo, Juſtiniani a Turrunenſibus in Epiſcopum evecti, aliorum a Clericis, Orthodoxis, ſæviente præſertim Valentis Adriani Cæſaris perſequutione; ergo &c..

129. Reſp. Ex quo aliquibus in narrationibus, quæ miniſtros Hierarchicos inſtitutos reſpiciunt Epiſcopalis omittatur manuum impoſitio, & conſecratio, minime ſequi ea fuiſſe prætermiſſim; quum enim narrationum auctores talem noviſſimam cæremoniam præconciperent, propterea de ipſa dicere ſupervacaneum duxere. Sexcentis in locis legimus Epiſcopos a populis vel a Regibus, & Principibus etiam Hæreticis, & infidelibus creatos; ſequitur ne tales Epiſcopos ordinationem a talibus Principibus, & plebibus accepiſſe? Minime profectò: Nam Hiſtorici tunc de electione, vel nominatione, vel præſentatione dicere tantum voluerunt: rati familiarem illum, & uſitatum dicendi modum probe ab omnibus intellectum iri, juxta ritum videlicet, praximque, & morem Eccleſiæ univerſæ quæ ordinem Hierarchicum ſemper docuit, & voluit a ſolis Epiſcopis collatum..

130. Obj. 2. Sanctus Leo Pontifex in Epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum interrogationi reſpondens de Presbytero, & Diacono, qui ſe Epiſcopos eſſe mentiti ſunt, & de illis, quos ipſi Clericos ordinarunt, reſpondit his verbis: illos quidem Epiſcopos non eſſe; nec inter Epiſcopos habendos: unde quum quæſtio de male accepto honore naſcatur; quis ambigat nequaquam iſtis eſſe tribuendum, quod non docetur fuiſſe collatum? Si qui autem Clerici ab iſtis Pſeudo-Epiſcopis in eis Eccleſiis ordinati ſunt, quæ ad proprios Epiſcopos pertinebant, ordinatio eorum cum conſenſu; & judicio præſidentium facta eſt; poteſt rata haberi: ita ut in ipſis Eccleſiis perſeverent: aliter autem vana habenda eſt ordinatio, quæ nec fundata eſt, nec auctoritate munita. Ita Pontifex, ex quibus effluit, ordinationes etiam a non Epiſcopis factas auctore tamen illo, in cujus Diœceſi celebratæ ſunt, ratas aliquando habitas fuiſſe.

131. Sed reſpondetur, narrationem hanc ipſam, & factum demonſtrare, fuiſſe omnino conſtitutum, poteſtatem ordinandi ad ſolos Epiſcopos pertinere. Cur enim illi Presbyter, & Diaconus Epiſcopos eſſe ſe mentiri eſſent, ut Clericos ordinarent, ſi etiam non Epiſcopi, ex Epiſcoporum tamen conſenſu, ordinare poſſe credidiſſent? In clericatum autem duo conſideranda ſunt: alterum eſt ordinis Sacramentum: Alterum locus, cui attributi erunt, qui olim ad ordines promovebantur; Etenim vetitum erat, ne quis niſi alicui addictus Eccleſiæ ordinaretur Presbyter, vel Diaconus: de quo memorabilis eſt Chalcedonenſis Concilii Canon 6. aliique innumeri. Dupliciter itaque rata eſſe poterat eorum ordinatio; uno modo ſi revera ordinati eſſent, etiamſi non recte; altero ſi vere ordinatus non fuerit, quia poteſtas ordinatoris defuit; verum quia errore fieri potuit, ille ut Epiſcopus revera putaretur, qui non erat, poteſt eatenus recipi, qui ab illo initiatus eſt; ut eundem ad quem eſt deſtinatus in Clero locum obtineat, ſed itaut ei manus iterum vero ab Epiſcopo imponantur.

132. Hoc ſenſu Leo Pontifex ratam illorum ordinationem eſſe juſſit, qui a Presbytero, & Diacono, pro Epiſcopis ſe gerentibus, ordinati erant *cum conſenſu & judicio* Præſidentium, ut in illis ſcilicet Eccleſiis eundem, cujus ordinationem accepiſſe viſi ſunt gradum adpiſcantur: ubi, etſi expreſſe non dicitur; tacite tamen, ſed certiſſime intelligitur, prius vera ordinatione promovendos eſſe ut idonei ſint, qui locum illum teneant. Hoc enim niſi ſubintelligatur, quid ſequetur obſecro? ſequetur ſana, Presbyteros & Clericos etiam a Diaconis ordinari potuiſſe, quum inter illos Pſeudo-Epiſcopos, de quibus agitur, alter Presbyter, alter Diaconus fuiſſe præbeatur. Hoc autem poſtremum, ne ipſi quidem, qui objecto Pontificis teſtimonio abutuntur; ſibi unquam perſuaderi patientur.

133. Supervacaneum hèic docuimus inquirere, an Romanus Pontifex concedere Presbyteris queat poteſtatem ordinandi; de quo ſcilicet obſcuris temporibus Theologi inquirebant, quorumdam Canoniſtarum imperitia malè acti, qui id a Pontificibus concedi poſſe ſtatuebant: inficiebantur id ſane Theologi, quibus hac in parte auſcultandum magis, quam juris Canonici peritis; quippe quod ad dogma id ſatius quam ad diſciplinam ſpectet. Illud vero animadvertendum, Pontifices, quamvis diſpenſationes & privilegia concedere ſolitos non ſemel probabilibus opinionibus innixos: attamen hoc ordinandi privilegium numquam Presbyterorum alicui feciſſe: quum ſive qui eos poſſe crediderint ſive qui non poſſe defenderint, factum nullum invenerint, vel in medium adduxerint, de quo fieri hæc controverſia poſſet. Quorſum autem id? niſi quia Romani Ipſi Pontifices errare intellexerint ignaros adeo Aſſentatores. Hucuſque dicta de Hierarchicis ordinationibus intelligenda ſunt; nam reſpectu reliquorum ordinum, quos ſibi conſtituit Eccleſia. extraordinarius miniſter datur Sacerdos, non Epiſcopus, vel alter in Eccle-

ſiaſti-

Digitized by Google

ſiaſtica dignitate conſtitutus; ita quippe agens, ſuis tantum derogat conſtitutionibus Eccleſia; dum ex oppoſito ſi extraordinarium Hierarchicorum ordinum admitteret miniſtrum, divino videretur derogare juri: quod facere non poteſt. Hinc Sacerdotes ordinandi privilegium viris non Epiſcopis nunquam conceſſere Romani Pontifices, qui licet opinionibus tantum probabilibus ſæpenumero innixi, diſpenſationes & privilegia concedant, ab hoc tamen abſtinentes, inſuper ſe habere oſtenderunt cæcam Canoniſtarum aliquos obſcuriorum temporum adulationem, qui nunquam antea auditum tale concedendi privilegium, tribuerunt Pontifici ſummo poteſtatem.

CAPUT XIII.

De ſubjecto Epiſcopatus, deque Chorepiſcopis, & neceſſitate Epiſcoporum.

134. TRes ejuſmodi quæſtiones ſunt antecedentium complementum. Dum de ſubjecto Epiſcopatus quæritur, non agitur de dotibus quæ neceſſariæ ſunt homini in Epiſcopum ordinando, ſed de gradu, quem habere in Eccleſia debet, an ſcilicet ſufficiat Diaconatus, an vero Presbyteratus etiam requiratur. Præclari ſunt viri, qui tuentur, neminem unquam ordinatum fuiſſe in Epiſcopum, quin antea Presbyter fuiſſet: alii ex oppoſito, magni quoque in Eccleſia nominis, cenſent, Diaconos olim fuiſſe in Epiſcopos immediate conſecratos; ex quo anſam nonnulli ſumunt inferendi, eundem habitum fuiſſe Presbyter, charecterem, & Epiſcopalem. Mabillonius Commentario in Ordinem Romanum cap. 16. eandem ſe inveniſſe ait in antiquis Pontificalibus, ejus qui ex Diacono, atque illius qui ex Presbytero Epiſcopus conſecraretur ordinationem: ex quo anſam Calviniani rigidiores ſumunt ſuam confirmandi de æqualitate inter Presbyteros, & Epiſcopos opinionem, & magis, magiſque propugnandi, Epiſcopum olim niſi primum Presbyterum non fuiſſe.

135. Verum, ut quæſtio hæc, in ſe ſpectata ad eruditionem magis, quam ad Theologiam pertinet, ita inanis eſt quæcumque ex dubio illo facto infertur conſequutio. Sive enim, qui negant, Diaconos potuiſſe in Epiſcopos immediate conſecrari, ſive qui id eveniſſe exemplis & Libris Pontificalibus confirmant, utrique tamen ponunt, neminem dari conſecratum in Epiſcopum, qui Presbyter ſimul non fuerit, & ſit. Quid enim maxime debet facere Epiſcopus? Presbyteros profecto ordinare. Itaque Presbyter ipſe ſit oportet; nemo enim dat quod non habet; debet & conſecrare poſſe, & ſacrificium Euchariſticum offerre, quum niſi inter Miſſarum ſolemnia majores ordines non conferantur. Dum itaque Diaconorum aliquis in Epiſcopum dicitur fuiſſe ordinatos, vel de electione potius, quam de conſecratione, intelligendum id monent viri docti, vel intelligendum monent præmiſſam fuiſſe ordinationem in Presbyterum, quamvis narrationes de iſta ſileant; alii autem, qui de conſecratione in Epiſcopum id intelligunt, nulla præmiſſa in Presbyterum ordinatione, attamen ponunt talem fuiſſe eam Diaconi in Epiſcopum ordinationem, ut vel expreſſe, vel eminenter cum Epiſcopatu contulerit Presbyteratum. Sane, ſi Epiſcoporum conſecrandorum formulæ, & preces olim exſtitere, quæ una veluti actione ſacerdotalem, & Epiſcopalem contulerint ordinato dignitatem, non eſt cur dubitemus, Diaconos alicubi fuiſſe in Epiſcopos immediata conſecratos: quod hodie contingere non poſſet, propterea quod formula conſecrationis Epiſcoporum ſupponit etiam collatam Presbyteralem ordinato poteſtatem: ideoque certi tantum ſumus, neminem unquam Epiſcopalem habuiſſe dignitatem, qui ſive præviam per ordinationem, ſive per concomitantem, ſive per æquivalentem, non fuerit Sacerdotio etiam inſignitus.

136. His poſitis effluit falſitas illationis eorum, qui aliquid inde extundere conantur pro æqualitate Presbyterorum cum Epiſcopis. Qui enim Diaconos aliquando fuiſſe in Epiſcopos immediate conſecratos cenſent, non ponunt eamdem fuiſſe Presbyteralem, & Epiſcopalem ordinationem, ſed dicunt eamdem fuiſſe tum Diaconi, tum Presbyteri ordinationem in Epiſcopum: quæ duo ſunt oppido diverſa. Ideo enim conſecratione Epiſcopali Diaconos evaſiſſe tum Presbyteros, tum Epiſcopos exiſtimant, quia per illam conſecrationem Epiſcopalem Diacono tradebantur ſimul omnia tum quæ ad Presbyteralem poteſtatem pertinent, tum quæ ad Epiſcopalem ſpectant dignitatem. Revera veteres illi, qui Diaconos conſecrabant immediate in Epiſcopos Epiſcopalem quidem conſecrationem ſatis eſſe exiſtimabant ad Diaconos, in Presbyteros ſimul, & in Epiſcopos conſtituendos; ſed conſecrationem mere Presbyteralem numquam ſatis eſſe exiſtimaverunt ad Diaconos conſtituendos in Presbyteros ſimul & Epiſcopos; proindeque nunquam eadem fuit Presbyterorum & Epiſcoporum ordinatio, quamvis alicubi eadem fortaſſe fuerit ordinatio Diaconorum, & Presbyterorum in Epiſcopos, ſive eadem ordinatione fuerint aliquando Diaconi in Presbyteros & Epiſcopos ſimul conſecrati.

137. Accedit Quæſtio de Chorepiſcopis, ex eo quod ita obiiciant Calviniani: Chorepiſcopi, antequam Synodi id illis vetarent, Presbyteros, Diaconoſque ordinabant; atqui pro opinione præſtantiorum Eccleſiæ Romanæ Doctorum, Chorepiſcopi niſi Presbyteri non erant; itaque ex jure ordinandi elici non poteſt, Epiſcopos inſtitutione divina eſſe Presbyteris ſuperiores.

138. Sed hoc argumentum facile in adverſarios retorquetur. Nemo enim rigidiorum Calviniſtarum

ſtarum eſt, qui dubitaverit Chorepiſcopos, ideſt, villarum, & vicorum Epiſcopos, fuiſſe Chorepiſcopis, ordine ſaltem pares: nemo Calviniſtarum rigidiorum eſt, qui vehementer non feratur in IV. ſæculi Synodos, quæ in Eccleſiis villarum, & agrorum non amplius ordinandos eſſe Epiſcopos conſtituerunt; itaque juxta adverſarios Chorepiſcopi erant veri, & proprii Epiſcopi, ideoque ſi Presbyteros, & Diaconos ordinaverunt, non presbyteralis Ordinis vi, ſed Ordinis Epiſcopalis jure ordinaverunt.

139. Quod autem ad Catholicorum mentem ſcriptorum pertinet, reſpondemus, innumeros eſſe Theologos Catholicos; qui egregie oſtendunt, Chorepiſcopos vere Epiſcopos fuiſſe, vere in Epiſcopos fuiſſe ordinatos, vere Presbyteros, & Diaconos ordinare potuiſſe, ut ex Conciliis patet Antiocheno, Ancyrano, Sardicenſi, aliiſque, tum ex Patribus atque ex Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptoribus; tum ex rerum tunc temporis exigentia, & neceſſitate; tum denique quod antiquis temporibus infinita ſe ſe offerat Epiſcoporum multitudo, quibus totidem correſpondere non poterant, & porro non correſpondebant Civitates; quum ex oppoſito ex Subſcriptionibus Conciliorum pateat, innumeros Epiſcopos niſi Pagorum, Vicorumque Epiſcopos non fuiſſe, ideoque Chorepiſcopos. Revera, ſi per Canones Sardicenſes, Laodicenos, alioſque quarti ſæculi, vetitum fuit, ne Epiſcopi conſtituerentur amplius in Villulis, & vicis, ne, ut inquiebant, Epiſcopalis dignitas vileſceret; itaque ante interdictionem illam in vicis, & villulis eſſe ſoliti erant Epiſcopi; quare dum iſti Presbyteros, & Diaconos ordinabant, Epiſcopali vere jure eos ordinabant.

140. Non negabimus eſſe præſtantes etiam Orthodoxos, qui cenſent, Chorepiſcopos non fuiſſe niſi Presbyteros in villarum Paræciis conſtitutos, & majori aliqua juriſdictione inſignitos. Verum iidem animadvertunt, plurimos ex illis Chorepiſcopis per accidens & aliunde fuiſſe vera Epiſcopali dignitate præditos, ſcilicet fuiſſe Epiſcopos quoſdam variis de cauſſis e ſede ſua pulſos, quibus de rurali Eccleſia proviſum fuerat; proindeque ipſos non qua Presbyteros, & Chorepiſcopos; ſed qua aliunde veri Epiſcopi fuerant, hierarchicas ordinationes celebraſſe: propterea, ſive priorem, & ut arbitramur, veriorem, ſive poſteriorem amplectaris de Chorepiſcopis hypotheſim, nunquam ſequi poterit eumdem habitum fuiſſe ſimplicium Presbyterorum Ordinem, & Epiſcoporum (a).

141. Sæculo VIII. & IX. fuere Chorepiſcopi in Germania, & Gallia, videlicet titulo ruralis Eccleſiæ in Epiſcopos ordinati, ſed in Civitatibus ſuffraganei veluti, & Coadjutoris, munera agentes; etiamſi vero Galli primi, & ſoli fuerint, qui tales Chorepiſcopos ætate illa induxere, plurimi eorum tamen acerrimum in ejuſmodi Chorepiſcopos moverunt bellum, eoſque veros fuiſſe Epiſcopos negaverunt; aliis oppoſitum oſtendere ſatagentibus; inde ſcripta, & contentiones, & jurgia; ſed illud præcipue in quæſtionem veniebat, an ut Epiſcopi Apoſtolis, ita Chorepiſcopi ſeptuaginta duobus Diſcipulis ſucceſſiſſent, quorum ad normam nonnulli conſtitutos arbitrabantur Presbyteros, nonnulli Diaconos, alii Parochos, quum ex oppoſito Nicolaus I. Romanus Pontifex in Epiſtola ad Archiepiſcopum Biturricenſem ſcripſerit ſeptuaginta duos Diſcipulos Epiſcopalem habuiſſe dignitatem. De gradu ſeptuaginta duo diſcipulorum ſane certam non habemus traditionem; quemadmodum neque de gradu illorum, quos Apoſtolica in Eccleſia Prophetas appellabant, Evangeliſtas, Doctores, & Paſtores. In rem noſtram heic facit eos, qui ſequiorum temporum Chorepiſcopos Epiſcopali ornatos dignitate exiſtimavere, ratas propterea eorum ordinationes habuiſſe: irritas ex oppoſito, iterandaſque qui tales Chorepiſcopos non niſi Presbyteros fuiſſe poſuerunt: quare nunquam pro Catholicorum mente, & facto, ſimplices Presbyteros, qua tales vel ordinaſſe valide, vel valide ordinare potuiſſe conſequatur.

142. Vetus ea Epiſcoporum ruralium facta abrogatio argumentum præbet alteram ſolvendi quæſtionem ſub Urbano VIII. ortam, qui quum Richar-

(a) Morinus exercitatione IV. de Sacris Ordinationibus cap. V. Chorepiſcopos vult fuiſſe non ſimplices Presbyteros, ſed inter Epiſcopatum, & Presbyteratum mediam dignitatem, proindeque ex conceſſione Epiſcoporum potuiſſe Presbyteros Diaconoſque conſecrare. Sed neminem ſuæ opinionis aſſeclam invenit hic Auctor; quippe Apoſtoli Epiſcopos tantum, & Presbyteros inſtituerunt; itaque etiamſi Eccleſia novas potuerit inſtituere dignitates; inter Epiſcopos nempe, Archiepiſcopos; inter Presbyteros, Archipresbyteros; inter Diaconos, Archidiaconos; Attamen Archiepiſcopi, Archipresbyteri, & Archidiaconi, jure divino, & vi ordinis, nil magis poſſunt, quam Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi; neque illi iſtis niſi Eccleſiaſtico jure, & juriſdictionis poteſtate antecellunt; quamvis igitur potuiſſet Eccleſia Chorepiſcopatum veluti mediam dignitatem inter Epiſcopatum, & Presbyteratum inſtituere; jure tamen divino, & vi ordinis Chorepiſcopi nunquam eſſe potuerunt niſi vel veri in Oppidis Epiſcopi, qui proinde poteſtate ſua abſolute ordinare poterant Presbyteros, & Diaconos; vel non fuere niſi ſimplices Presbyteri; & tunc neque ex Epiſcoporum conceſſione Presbyteros, & Diaconos ordinare potuerunt.

chardum Sonicheum, Epiſcopum in partibus Infidelium Chalcedonenſem, in Angliam miſiſſet, ut Catholicis eo in regno latentibus præeſſet, nonnulli inter illarum Miſſionarios partium fuere qui id inique ferentes ſcriptis tueri ſtuduerunt, nullam eſſe Epiſcoporum qualibet in Eccleſia neceſſitatem; non quidem ut Eccleſiam univerſam Epiſcopis carere poſſe exiſtimarent; vel Catholicam reperiri poſſe Eccleſiam, quæ ſupremo Eccleſiæ capiti unita non foret; hæc namque Catholicorum in animos cadere nequidem poſſunt; ſed illud tantummodo volebant, ſtare ſingulares Eccleſias poſſe abſque immediato & proprio Epiſcopo: ſcilicet, ita conſtituebant: Legem divinam non plus exigere, quam ut ſint aliqui Epiſcopi in Eccleſia, tot numero ſcilicet, ut periculum non ſit, ne totus Ordo ſubito abripiatur ob eorum mortes; ſicque per mundum diſperſi, ut Chriſtianis omnibus ſufficienter de Sacerdotibus provideatur. Si hoc fiat, Legi divinæ ſatisfactum iri ſubdebant, eſto nulli forent in Gallia, vel Hiſpania, vel Anglia Epiſcopi, quum Ordinatio Presbyterorum, & Miniſtrorum Eccleſiæ ſola cauſſa, eorum opinione ſit, quæ Epiſcoporum inferat neceſſitatem; inde inferentes, tempore perſequutionis Eccleſiam Epiſcopis indigere ſolum ob Ordinationes; de reliquo ſingulares Eccleſias per Presbyteros, & abſque Epiſcopis optime regi poſſe atque gubernari. Quantum Gallis Theologis, Epiſcopalis eminentiæ acerrimis defenſoribus diſplicuerit hæc doctrina dici vix poteſt. Eam propterea tum Pariſienſis theologica facultas, tum Gallicana Comitia anno 1631. ſolemniter condemnavere. Neque dubitari poteſt illius auctores doctrinæ omnino exceſſiſſe: quippe ampliorem Epiſcoporum neceſſitatem facile quiſque eruit ex emphaſi atque energia Sacrarum Literarum, & Sanctorum Patrum, atque perpetua Catholicæ Eccleſiæ praxi, quæ ubicumque fere numeroſiores erant fidelium Cœtus, Epiſcopatus erexit, atque Epiſcopos, qui multis præeſſent Presbyteris conſtituit.

143. Verum, & hac in re moderatione opus eſſe nobis videtur. Non enim, ut Gallis quibuſdam Theologis placet, ſtatim atque Eccleſia aliqua proprio caret Epiſcopo, imperfecta dici debet, adeo ut ſine proprio Epiſcopo conſiſtere non poſſit. (a) Præterquam quod enim nullus eſt Catholicorum Cœtus, qui Romanum Pontificem tanquam caput non agnoſcat; nonne Divus Epiphanius Hæreſi 75. monuit, primis temporibus, ubi inveniebantur idonei, qui ad Epiſcopatum promoverentur, ibi Epiſcopos conſtitutos fuiſſe: ubi vero tales non inveniebantur, ibi ſolos conſtitutos fuiſſe Presbyteros? Neque tamen aliquis poſteriores Eccleſias imperfectas dixit. Nonne Epiſcopis diu aliquando carent Eccleſiæ Sede vacante? nonne diu caruerunt, & a ſolis Presbyteris directæ fuerunt, In tot Gentilium, & Arianorum Perſequutionibus? Cur ſi ubicumque numeroſiores cœtus fidelium exiſtunt, neceſſarii ſunt Epiſcopi, Synodi quarti ſæculi non amplius in Oppidis Epiſcopos conſtituendos eſſe decrevere, ne vileſceret dignitas Epiſcopalis? Quot Eccleſiæ nunc etiam a ſolis Miſſionariis in Infidelium terris gubernantur! Parva ſunt Regna, in quibus innumeri adhuc ſunt Epiſcopi: ſuntque Regna ampliſſima, in quibus pauci: neque propterea alias Eccleſias aliis perfectiores exiſtimabimus Eccleſiæ ſunt in quibuſdam Oppidis, nec adeo magnæ, ut ſibi Epiſcopum poſtulent: nec adeo parvæ, ut ſolo Parocho ſatis conſultum ipſis videatur; iſtis igitur alicubi Abbates nullius Diœceſeos, ut dicitur, præſunt; quorum de Origine, privilegiis, & fatis, abunde docet Monaſtica Hiſtoria: neque propterea tales Eccleſiæ imperfecto in ſtatu dicendæ ſunt; tum quia ejuſmodi Abbates Epiſcopalem quaſi habent juriſdictionem; tum quia non procul abſunt Epiſcopi, qui Ordinis, & Confirmationis Sacramenta conferant; tum demum quia Summus Pontifex loco immediati Epiſcopi earum habetur: & quamvis exceſſerint, qui non aliam poſuere neceſſitatis Epiſcoporum cauſſam, quam Ordinationem; non minus excedere credendi ſunt, qui Eccleſias, ut dicitur, exemptas, vel idonea de cauſſa a ſolis Presbyteris directas, imperfectas vocant, & vix cum Eccleſiis Epiſcopum habentibus conferendas.

CAPUT XIV.

De materia Ordinum Hierarchicorum.

144. TRes apud Orthodoxos circumferuntur hac de re opiniones. Alii ſolam impoſitionem manuum dicunt eſſe materiam eſſentialem Ordinum hierarchicorum; porrectionem vero inſtrumentorum, ut accidentalem, & integrantem materiam tantum admittunt. Alii porrectionem inſtrumentorum eſſentialem materiam volunt; impoſitionem vero manuum ex eſſentiali factam eſſe Latina in Eccleſia accidentalem. Alii demum duplicem aſſerunt eſſe in Eccleſia ſaltem Occidentali, impoſitionem nempe manuum, & porrectionem inſtrumentorum, & utramque eſſentialem.

145. Vir hoc ſeculo ingenioſiſſimus, Harduinus, monſtruoſarum opinionum & abſurdiſſimarum auctor, novam propoſuit hypotheſim: geminam nempe ſacræ Ordinationis materiam a Chriſto fuiſ-

(a) Carolus Vitaſſe Tractatu de Sacram. Ordinis Parte II. quæſt. 1. art. 2. ſect. 1.

fuiſſe inſtitutam arbitratus eſt; alteram Sancto Petro traditam pro Presbyteratu, & Diaconatu ad uſum Occidentis, Chriſmationem nempe, & porrectionem inſtrumentorum; alteram Sancto Paulo ad uſum Orientis, nempe manuum impoſitionem. Idem docet de forma, quæ ſub modo imperativo D. Petro pro Eccleſiis Occidental. fuerit præſcripta; Divo autem Paullo pro Eccleſiis Orientalibus ſub modo indicativo. Ritum Ordinationis Latinorum longe auguſtiorem, & nobiliorem Græcorum ritu exiſtimat idem auctor, non quidem reſpectu efficaciæ, & effectus Sacramenti, quia utrobique idem eſt Sacramentum; ſed reſpectu modi ſignificandi, quia nobilius, perfectius, & diſtinctius ad normam, & exemplum Chriſti exprimit finem, & effectum Sacramenti: propterea qui in Eccleſia Latina ritum Græcorum uſurparet, eum non valide ordinaturum conſequitur: non idem dicendum arbitratur de Epiſcopo Græco, qui Latinum ordinaret juxta Eccleſiæ Romanæ ritum; quia ritum perfectiorem permittitur ſequi, imperfectiori relicto. Ita ille in Refutatione de validitate Ordinationum Anglicanarum, Parte II. cap. 1. & alibi.

146. Verum hypotheſim hanc quis obſecro non rejiciat ſolius ratione novitatis dogmatica in re adeo periculoſæ? Nec minimum de ea in Sacris Literis, in Traditione, in Conciliorum decretis, in ſcriptis denique Sanctorum Patrum reperies veſtigium. Duabus de cauſſis primum ordinationis ritum Petro commiſſum fuiſſe & præceptum ponit, ſecundum autem Apoſtolo Paullo. Prima eſt, quia S. Petrus caput erat Eccleſiæ, & Princeps Apoſtolorum conſtitutus, & Eccleſia Romana centrum Religionis erat futura, cui proinde conveniebat modus ordinandi præſtantior & auguſtior. Secunda, quia S. Paullus. Gentium Apoſtolus a Chriſto electus non potuiſſet in tot peregrinationibus ſacrum ſecum oleum, Chriſmaque deferre, vel facile habere, quo miniſtros ſacros ungeret: aliunde vero tunc temporis, quo ſuam inchoavit Miſſionem, nondum erant facta vaſa, & inſtrumenta ſacra, ut per eorum tactum ordinaret: quare ritu ordinandi breviori & ſimpliciori, per ſolam impoſitionem manuum hierarchicos ordines contulerit.

147. Quam levia tamen ſint ejuſmodi fundamenta, nemo non intelligit. Nam ſi Chriſtus Petro utpote Apoſtolorum Principi diverſum & nobiliorem tradidit ordinandi ritum; itaque diverſum & nobiliorem ipſi tradiderit oporteret ritum baptizandi, confirmandi, celebrandique Euchariſtiam, & reliqua Sacramenta; (a) ſed hoc Chriſtus non fecit; itaque nec illud. Deinde quum D. Petrus antequam Romam proficiſceretur, fuerit Antiochiæ Epiſcopus, ſequeretur, Chriſtum ipſi præcepiſſe, ut altera materia, & forma Antiochiæ, altera Romæ hierarchicos conſtitueret Eccleſiæ Miniſtros: quod admitti vix poteſt. Sequeretur etiam integro anno, idest, ab Aſcenſione Chriſti in Cœlum, ad converſionem uſque Divi Paulli, nullam fuiſſe in Oriente Hierarchicarum Ordinationum materiam, & formam; quum forma illis Eccleſiis tradita a Paullo conſtituatur; ipſeque niſi anno poſt Chriſti aſcenſum non factus fuerit Apoſtolus. Accedit, non minores fuiſſe Petri peregrinationes, quam Paulli; itaque ſi non potuit Paullus ſecum commode deferre Sanctum Chriſma, inſtrumentaque ad ſacras ordinationes opportuna; ideoque ſola impoſitione manuum ſacros miniſtros ordinavit; cur id dicendum non erit de Petro? Rurſus Eccleſia Antiochena a Petro fundata, Alexandrina a Marco Petri Diſcipulo, cæteræque illis ſubjectæ Eccleſiæ materiam, & formam Petro traditam accepiſſent, & illis uſæ fuiſſent; atqui oppoſitum evenit; quum totus Oriens, totaque Ægyptus, Ordinationes Hierarchicas ſola manuum impoſitione celebraverit; falſa igitur eſt hypotheſis Harduini; juxta quam tot potuiſſent eſſe materiæ, & formæ Ordinationum, quot fuere Apoſtoli; quippe quum in diverſas Orbis partes diſperſi fuerint ad propagandum Evangelium, neceſſe eſt, ut ritum Ordinationum a Chriſto, & ipſi accenerint, ſi autem diſtinctos Ordinationum ritus Petro, & Paullo mandavit Chriſtus, cur non ceteris Apoſtolis?

148. Obj. 1. Tam Chriſtus potuit inſtituere duplicem Ordinationum materiam, & formam pro variis partibus Eccleſiæ, quam duo Baptiſmata, duoſque pro variis temporibus Epiſcopatus; atqui duo inſtituit Baptiſmata; alterum minus perfectum pro tempore mortem ſuam antecedente, quod tunc Apoſtoli conferebant; alterum poſt ſuam Reſurrectionem ſub invocatione SS. Trinitatis: pariter duos inſtituit Epiſcopatus; alterum Matthæi X. cujus particeps fuit Judas: alterum poſtquam reſurrexit, Matthæi XXVIII. ergo &c.

149. Reſp. Non quæri quid Chriſtus facere potuerit, ſed quid revera fecerit. Potuit plura quam ſeptem inſtituere Sacramenta: potuit cuilibet Apoſtolorum peculiarem materiam præſcribere, & formam. Numquid propterea id fecit? Nil

(a) Baptiſmus initio Prædicationis Chriſti ab Apoſtolis collatus vel fuit Baptiſmus Joannis, ut placuit Chryſoſtomo, vel fuit Baptiſmus Chriſti, ut Auguſtinus aliique Patres docuere. Si fuit Baptiſmus Joannis; Itaque Chriſtus duplicem non inſtituit Baptiſmum. Si fuit Chriſti; Itaque unus idemque fuit Baptiſmus, nec niſi unum profitetur Eccleſia Baptiſmum ſicut & unum Apoſtolatum, & Epiſcopatum a Chriſto inſtitutum.

Digitized by Google

Nil profectò minus. Neque admittendæ ſunt objectæ paritates. Revera dum Apoſtolus Petrus ordinem habuit de uno in locum Judæ Proditoris ſufficiendo, ut Actorum I. legimus, inquit inter cetera: *Viri fratres oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jeſum: Scriptum eſt enim in Libro Pſalmorum: & Epiſcopatum ejus accipiat alter. Et ſtatuerunt duos, & dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.* Eumdem igitur accepit Epiſcopatum Matthias, quem habuerat Judas: ideoque diverſus non fuit Apoſtolatus, ſive Epiſcopatus Apoſtolorum ante, & poſt Reſurrectionem: quamvis poſt Reſurrectionem, & Aſcenſionem Chriſti in Cælum Apoſtoli fuerint Sancto Spiritu, & excellentioribus virtibus, & poteſtatibus donati. Porro, ut Harduini comparationes valerent, debuiſſet Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam alterum Baptiſma pro Oriente, alterum præcipere pro Occidente: unum debuiſſet pro Oriente Apoſtolatum, alium inſtituere pro Occidente: Quod utique non fecit, proindeque nec geminum ſacrarum Ordinationum dedit ritum; præſertim quum id unitati Sacramenti oppoſitum quodammodo fuiſſet.

Quippe Baptiſmus initio prædicationis Chriſti ab Apoſtolis collatus, vel fuit Baptiſmus Joannis, ut placuit Chryſoſtomo, vel fuit Baptiſmus Chriſti, ut Auguſtinus, aliique Patres docuere. Si fuit Baptiſmus Joannis; itaque Chriſtus duplicem non inſtituit Baptiſmum. Si fuit Chriſti, itaque unus idemque fuit Baptiſmus; nec niſi unum profitetur Eccleſia Baptiſmum, ſicut, & unum Apoſtolatum, & Epiſcopatum a Chriſto inſtitutum.

150. Obj. 2. Non repugnat unitati Sacramentorum opinio a tot Orthodoxis propugnata; qua ſtatuunt, Chriſtum aliquorum Sacramentorum materias, & formas in genere ſolum conſtituiſſe, eaſque reliquiſſe Eccleſiæ determinandas in ſpecie; tuentur quippe Salvatorem præcepiſſe tantummodo Apoſtolis, ut aliquod ſenſibile ſignum adhiberent, quod foret ſignificativum & expreſſivum gratiæ, & poteſtatis; quæ in Sacramento illo conferrentur; Apoſtolos vero, deinde Eccleſiam ſpecialia illa ſigna pro opportunitate determinaſſe, atque etiam mutaſſe: id enim agentem Eccleſiam, ſubdunt ejuſmodi Theologi, non mutaſſe Sacramenta illa formaliter in ratione ſigni, & Sacramenti; ſed materialiter ſolum, & in ratione rei: quod non eſt mutare ſubſtantiam Sacramentorum, quæ ſunt in genere ſigni. Si hæc autem opinio non obeſt talium Sacramentorum unitati, cur opponetur unitati Sacramenti Ordinationis, quod Chriſtus geminam ejus tradiderit materiam, & formam; quum duplicem illum ritum, alterum pro Oriente, alterum pro Occidente, confirmet mos, & uſus: Græcia, & Orientalibus ſola impoſitione manuum cum forma indicativa; Latinis Chriſmate, & porrectione inſtrumentorum cum imperativa forma ordinantibus? ergo &c.

151. Reſp. Fundamenta opinionis Theologorum mox adductæ funditus evertere hypotheſim Harduini. Ideo namque dicunt illi Chriſtum aliquorum Sacramentorum materias, & formas reliquiſſe Eccleſiæ determinandas in ſpecie, quia nec in ſacris literis, nec in Traditione reperiunt, ipſum eas in ſpecie determinaſſe: ſenſum autem Sacrarum Literarum, & Traditionis, ex uſu & praxi Eccleſiæ eruendum ſentiunt; quumque Eccleſiam in aliquibus adminiſtrandis Sacramentis varias pro varietate locorum, & temporum uſurpaſſe materias, ſed præſertim formas, ſibi videre videantur, propterea conſequuti ſunt, Chriſtum talium ſacramentorum ſigna conſtituiſſe tantum in genere, & conceſſiſſe Eccleſiæ ut ea ſpecifice determinaret. Sicut igitur ex ſilentio ſacrarum literarum, & Traditionis inferunt laudati Theologi, Chriſtum aliquorum Sacramentorum materias, & formas non determinaſſe; ita ex ſilentio Sacrarum Literarum, & Traditionis inferendum eſt, Chriſtum geminam non conſtituiſſe hierarchicarum Ordinationum materiam, & formam, alteram Divo Petro pro Occidente alteram pro Oriente Paullo Apoſtolo præceptam. Et quemadmodum ex uſu & praxi Eccleſiæ, quæ varias in adminiſtratione aliquot Sacramentorum, juxta hos Theologos, materias adhibuit, & formas, colligunt Chriſtum Eccleſiæ conceſſiſſe, ut eas in ſpecie determinaret; ita ex eo quod tot ſæculis nedum in Oriente, verum etiam in univerſo Occidente, non aliam uſurpavit Eccleſia hierarchicorum materiam Ordinum, quam impoſitionem manuum, colligendum eſt, hanc ſolam tum Petro, tum Paullo, tum aliis fuiſſe Apoſtolis præſcriptam.

CAPUT XV.

Veriſimilius videri manuum impoſitionem eſſe ſolam eſſentialem hierarchicorum ordinum materiam.

152. Revera nullam aliam aſſignat ſanctus Lucas in Actis Apoſtolicis pro ordinatione Diaconorum; nullam aliam pro ordinatione Presbyterorum a Barnaba; & Paullo; nullam aliam Apoſtolus pro ordinatione Timothei, & eorum quos Timotheus erat ordinaturus; nullam aliam Canones Nicæni, Neocæſarienſes, Antiocheni, Ancyrani, Baſilius, Chryſoſtomus, ceterique omnes Græci Patres; nullam aliam Patres Latini, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Concilium Carthaginenſe IV. Innocentius I. Epiſtola ad Epiſcopos Africæ, & Innocentius IV. in Capite Presbyter ſcribens: *De ritu Apoſtolico invenitur, quod manus imponebant ordinandis, & quod orationem fundebant ſuper eos.*

Q 2 *Aliam*

Aliam autem formam non invenimus ab eis ſervatam. Accedunt vetera Euchologia, Pontificalia, Ritualia tam Orientalis, quam Occidentalis Eccleſiæ, quæ ſolam habent manuum impoſitionem: & quamvis pluribus ab hinc ſæculis Latina in Eccleſia Rituales Libri Chriſmationem contineant, & Inſtrumentorum Traditionem, attamen prius habebant impoſitionem manuum, adeo ut nulla omnino reperiatur Liturgia, in qua omittatur; proindeque ſola hæc videtur eſſentialis hierarchicorum ordinum materia.

153. Obj. I. Chriſtus impoſitione manuum Apoſtolos non ordinavit, & Gregorius IX in Capite Presbyter de ſacramentis non iterandis eam expreſſe vocat *ritum ab Apoſtolis introductum*; ergo &c.

154. Reſp. Satis conſtare Chriſtum non fuiſſe ſacramentis alligatum; ſed quum Apoſtoli facta manuum impoſitione ſuper ordinandis, docuerint eos accipere gratiam & poteſtatem ordinis, eaſque tribuendi vim cum hac ceremonia conjungere ipſi non potuerint, ſequitur fuiſſe eiſdem a Chriſto cum tali promiſſione imperatam. Ita vero ſcripſit Gregorius Pontifex, quod primum in praxi ab Apoſtolis fuerit uſurpata. Etiam Religio Chriſtiana fuit varias in Gentes, & Populos introducta ab Apoſtolis; ſequiturne iſtos eam inſtituiſſe? Minime profecto.

155. Obj. 2. Divus Auguſtinus Libro I. contra Donatiſtas, manuum impoſitionem vocat orationem ſuper hominem, eamque repeti poſſe non dubitat; itaque materia hierarchicarum ordinationum non eſt, quum hæc repeti non valeat. Eugenius autem IV. Romanus Pontifex in inſtructione pro Armenis; loquens de ſacro ordine, dicit, ipſum conferri per porrectionem inſtrumentorum; hæc igitur eſſentialis ſit oportet Hierarchicorum ordinum materia, per quam revera clarius, & diſtinctius exprimitur officium ordinandi, gratiaque diverſis ordinibus annexa; unde ritum hunc uſurpavit pluribus ab hinc ſæculis Eccleſia, adeo ut Romani Pontificalis Rubrica habeat: Moneat Epiſcopus ordinandos, ut inſtrumenta, quibus character imprimitur, tangant; ergo &c.

156. Reſp. Auguſtinum per calumniam nobis obiici; nam ad ejus verba: *Manuum autem impoſitio non ſicut Baptiſmus repeti poteſt: quid enim aliud eſt niſi oratio ſuper hominem?* Ad hæc, inquam, verba, adnotant cum omnibus Theologis Maurini Editores talem eſſe illam manuum impoſitionem, de qua Lib. V. contra eoſdem Donatiſtas ſcripſit ſanctus Pater: *Manus autem impoſitio ſi non adhiberetur ab hæreſi venienti, numquam extra omnem culpam eſſe judicaretur*. Itaque manuum impoſitio, quam Auguſtinus nil aliud eſſe dixerat, quam orationem ſuper hominem, non erat manuum impoſitio conſecratoria, & collativa ordinum hierarchicorum; ſed quæ redeuntibus ab hæreſi imponebatur, adhibeaturque in reconciliatione exteriori atque iterari poterat, quod ea quam cum Donatiſtis tunc habebat Auguſtinus controverſia mirifice evincit.

157. Quod ad Decretum ſpectat Eugenii Pontificis, ſunt qui reſpondeant, ipſum, quum in Concilio Florentino vix tunc abſoluto ſuam admiſiſſet ad communionem Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos Græcos ſola impoſitione manuum certe ordinatos: fuiſſe propterea loquutum de materia, & forma integranti, & acceſſoria, quam optaverit ab Armeniis ſuperaddi manuum impoſitioni jamdiu ab illis adhibitæ, ut hac ritūum conformitate firmius Eccleſiæ Romanæ adhærerent, ſoluto jam Concilio Florentino, & poſtquam Græci jam receſſerant: Eugenium propterea nil definiviſſe, ſed expoſuiſſe tantummodo Armeniis quinam eſſent particulares Eccleſiæ Romanæ ritus in ferendis ſacramentis; neque ſingulos memoraſſe ritus, ſed eos duntaxat, in quibus Armenii forte ab Eccleſia Romana diſcrepabant: Decretum illud non dirigi ad univerſalem Eccleſiam, ſed ad ſolos Armenios: nullamque in eo includi clauſulam irritantem ordinationes ſola impoſitione manuum peractas: nullum præceptum illius promulgandi in ſingulis Eccleſiis: nullum tempus in eo præſcribi, ultra quod ordinationes hierarchicæ abſque Traditione inſtrumentorum forent nullæ; denique Concilium Tridentinum ſeſſ. XIV. Cap. 3. diſerte docuiſſe, Presbyteros recta per manuum impoſitionem ordinari: ex quibus ſequitur, Traditionem inſtrumentorum numquam fuiſſe habitam in Eccleſia tamquam eſſentialem hierarchicorum ordinum materiam.

158. Hæc tamen ſolutio prorſus non ſatisfacit: tum quia Pontifex, de aliis loquens ſacramentis, eorum eſſentiales profert materias, & formas; tum quia potuiſſet ſuam admittere ad communionem Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos Græcos, ſola impoſitione manuum ordinatos, & adhuc credere eſſentialem materiam ſacrarum ordinationum in Eccleſia Latina eſſe porrectionem inſtrumentorum. Dicendum proinde, eam videri fuiſſe Eugenii opinionem, quæ fere omnium erat tunc temporis ſcholaſticorum, Ordinem ponentium inter ea ſacramenta, quorum materiam, & formam Chriſtus reliquerit ab Eccleſia in ſpecie determinandas. Hæcque explicatio tanto verior eſt, quanto idem Eugenius Pontifex loquens de Sacramento confirmationis ſcripſerit: *loco autem manuum impoſitionis Apoſtolorum, & datur in Eccleſia Confirmatio*, nempe adhibetur Chriſma ad confirmandum, etiamſi Apoſtoli ſola confirmaverint manuum impoſitione. Ita ſcilicet communiter cogitabatur, quin tamen Pontifex aliquid intenderit illo in Decreto definire. Quod non dirigebatur ad univerſalem Eccleſiam, ſed ad ſolos Armenios, nullum continebat præceptum de eo in ſingulis Eccleſiis promulgando, nullam includebat clauſulam irritantem ordinatio-

nationes ſola impoſitione manuum peractas, nullum præſcriptum tempus, ultra quod ordinationes abſque porrectione inſtrumentorum peractæ forent nullæ.

159. In opinione ſcholaſticorum cum verſaretur auctor Rubricæ de qua diximus, proinde allegata ſcripſit verba. Talis vero Rubrica, quamvis nec antiqua ſit, nec univerſalis, eſt tamen obſervanda; nam cum aliquando contigerit, ut ordinatio aliqua poſterioribus temporibus abſque porrectione inſtrumentorum fieret, præcepta fuit ſub conditione iterari; quippe quum prævaluiſſet ſcholaſticorum opinio de neceſſitate porrectionis inſtrumentorum, nequis anxius circa validitatem illius ordinationis foret, prudentiſſime duxerunt Pontifices ea peragi, vel ſuppleri, quæ Eccleſiæ uſu præſcripta, obſervari conſueverant & debebant.

160. Id confirmamus verbis Benedicti XIV. Libro IX. de Synodo Diœceſana Cap. X. ſcribentis; Quanam ratione potuiſſet Eugenius IV. definire in inſtrumentorum porrectione, iiſdemque correſpondentibus verbis, conſiſtere eſſentiam ſacramenti ordinationis, poſtquam in Concilio, quod tunc celebratum fuerat ab ipſo ad communionem admiſerat Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos Græcos ſola manuum impoſitione ordinatos? neceſſe eſt igitur fateri Eugenium locutum de materia, & forma integrante, & acceſſoria, quam optavit ab Armeniis ſuperaddi manuum impoſitioni jamdiu ab illis adhibitæ ut Eccleſiæ latinæ ritibus ſe ſe prorſus accommodarent, & hac rituum uniformitate firmius eidem adhærerent: quod bene ponderant Menardus, Beccanus, Morinus. Hucuſque Pontifex qui etiamſi ſe nil definire velle proteſtetur, quam tamen propendeat in ſententiam ſatis oſtendit, explicatque quare aliquando factum fuerit, ne ordinatio ſine inſtrumentorum porrectione apud Latinos peracta præciperetur ſub conditione iterari, ne ſcilicet periculo nullitatis ipſa exponeretur, aliquo ex iis omiſſo, quæ moraliter in tota Actione conſecratoria erant conjungenda. Accedit adeo prævaluiſſe aliquando plurium opinionem ſcholaſticorum de Traditionis inſtrumentorum neceſſitate, ut ne quis anxius circa validitatem ordinationis peractæ foret, prudentiſſime duxerint Pontifices ea peragi, vel ſuppleri, quæ Eccleſiæ uſu præſcripta obſervari conſueverant & debebant.

161. Quum opinio de inſtrumentorum porrectione tanquam materia ordinationum etiam Hierarchicarum eſſentiali, ſcolaſticorum opera diſſeminata fuerit, nil mirum objectas contineri in Rubricis regulas: quarum ſane ratio habenda eſt, quæque obſervari prorſus debent: quamvis faventibus ſuperis, feliciori ætate gaudeamus, qua tot viri ſummi diligentiorem operam lectioni ſacrarum literarum, ſanctorumque Patrum, Canonum Eccleſiæ, monumentorumque, quæ ad Liturgiam pertinent, dedere, unde confirmatum ſatis videtur, gratiam, & poteſtatem Hierarchicorum ordinum impoſitioni manuum, & orationi, pro inſtitutione, & praxi Apoſtolorum eſſe tribuendam: Neque tamen exiſtimandum eſt, Græcos in collatione tum minorum tum majorum ordinum nulla tradere inſtrumenta. Tradunt enim nonnulla: in Lectoratu Librum Apoſtolicum, in cantoratu Pſalterium; in ſubdiaconatu mantile, & Malluvium; in Diaconatu Flabellum, quo poſtea Græco more ſancta dona Diaconus ventilat. Verum Latinos inter & Græcos hac in re differentiæ tres ſunt: Prima quod apud latinos inſtrumenta dantur initio ordinationis; apud Græcos poſt peractam ordinationem: ſecunda apud Latinos dantur in ſignum poteſtatis conferendæ; apud Græcos in ſignum poteſtatis jam collatæ: tertia quod Græci dum dant ordinatis inſtrumenta nullis utantur verborum formulis, quam Latini in porrectione inſtrumentorum pronunciant. Eum propterea ritum a Græcis uſurpatum nonnulli arbitrantur imitatione juris civilis, quo in rei venditæ, vel donatæ, vel in dignitatis recens collatæ poſſeſſionem, qui electi, deſtinatique ad eas erant, inſtrumentorum porrectione, vel contactu, vel officii exercitio mittebantur. Quæcumque ponatur tamen porrectionis inſtrumentorum neceſſitas, effici non poterit, ut eſſentialis dici debeat Hierarchicorum ordinum materia; Nam quamvis nihil adhuc Eccleſia definiverit; attamen poſt quam revera in Lectorem, vel Subdiaconum ordinaverunt Græci, Lectorem, in noviter adeptæ poſſeſſionem dignitatis mittunt non modo Librum tradendo, ſed etiam legendo; ſubdiaconum non modo Mantile & Malluvium porrigendo, ſed etiam jubendo ut reipſa aquam infundat ſuper ordinatoris manus, ceteraque miniſtret, quæ ſunt ſubdiaconorum propria. Idem etiam de Diacono, Presbytero, & Epiſcopo obſervatur, ut videre eſt in omnibus Euchologiis, Etiamſi optimo jure Eccleſia, tum ad majorem ordinationum ſolemnitatem, tum ad manifeſtam poteſtatis majoris collatæ, ſacrique ordinis declarationem, & ſignificationem, ſacrorum denique induxerit traditionem inſtrumentorum apud Latinos; quæ quum clarior videretur poteſtatis traditæ ſignificatio, a ſcholaſticis deinde habita eſt eſſentialis Hierarchicorum ordinum materia.

CAPUT XVI.

De Ordinum Hierarchicorum Forma.

126. DE Hierarchicorum Ordinum formis ſtatuunt Theologi conſentanee ad eorum opiniones de eſſentiali ordinum materia: quippe illi, qui tuentur hanc eſſe ſolam manuum impoſitionem, docent conſequenter formam eſſe preces, quas tunc ordinans recitat dum manus imponit: qui vero porrectionem inſtrumentorum dixe-

Digitized by Google

xerunt materiam eſſe eſſentialem, in verbis, quæ miniſter recitat, dum inſtrumenta illa tradit exiſtimaverunt eſſe formam Ordinationis conſtituendam: qui utramque demum materiam æque neceſſariam ponunt, utramque formam æque eſſentialem admittunt. Verum quum ſatis ſuperiori capite conſtitutum a nobis ponatur, eam inſtrumentorum porrectionem niſi ad ſeriora tempora non eſſe referendam, proindeque eſſe materiam tantum acceſſoriam, adventitiam, integrantem, ac accidentalem, ſequatur neceſſe eſt, neque verba in porrectione inſtrumentorum pronunciata ad eſſentialem Ordinum Hierarchicorum formam pertinere; ſed hanc in precibus, & oratione, quas fundit Epiſcopus, dum ſuper initiando manus imponit eſſe conſtitutam.

163. Revera ſi ſacras litteras conſulimus ſolæ inveniuntur in ſacris Ordinationibus preces; ita enim Act. VI. de Diaconis: *Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum; & orantes impoſuerunt eis manus*: & Cap. XIII. de Ordinatione Pauli & Barnabæ dicitur: *Tunc orantes impoſuerunt eis manus*; & Cap. XIV. de Paulo, & Barnaba: *cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, & oraſſent &c.* Rurſus ſolas preces conſecratorias memorant Concilia, Patres, Canones, & Canonum interpretes, qui Chirotoniam, ſive Ordinationem, ut vidimus eſſe dixerunt perfectionem precum, ſanctique Spiritus invocationem, dum ſacro quis Ordine initiatur, & conſecrationem ſortitur; dumque Pontifex extendit manum, ut benedicat homini ad ſacrum Ordinem delecto. Innumeris vero in Euchologiis, Pontificalibus, & Ritualibus antiquis uſque ad annum prope milleſimum, ſicut ſola reperitur impoſitio manuum, nulla vero porrectio inſtrumentorum; ita ſolæ reperiuntur Ordinatoris preces; nullæ vero formulæ, quæ nunc ſunt Ordinatoris precibus adjectæ; quemadmodum non præclari modo ſcriptores, quibuſcum facimus, ſed Scholaſtici ipſi, qui in oppoſita verſantur opinione candide fatentur.

164. Quid iſti tamen talibus coram fundamentis, & objectis? Dicunt formulas nunc Ordinatoris precibus adiectas fuiſſe quidem a Chriſto inſtitutas, & in Ordinum collatione ſemper recitatas; non fuiſſe tamen ſcripto mandatas ob Arcani diſciplinam ut non initiatis occultarentur. Vaniſſimum tamen eſt ejuſmodi effugium, nam etiamſi non negaverimus diſciplinam arcani alicubi tempore perſecutionum obtinuiſſe; quis ignorare tamen poteſt, ipſam non extendi ad ea uſque tempora, quibus vetera ſacramentalia, Ritualia, & Pontificalia publicæ donata luci fuere; eamque ad ætatem, qua conceſſa Eccleſiæ pace, & funditus deinde everſa Romano in Imperio idololatria, quemadmodum ritus omnes, ac cæremonias, & preces ſanctorum, ita etiam formulæ illæ, quæ nunc ſunt Ordinatoris precibus adiectæ, ſcriptæ, vulgatæque fuiſſent; ſi tunc extitiſſent? Si antiquis in Ritualibus, & ſacramentariis editæ fuerunt preces, quidquid arcanioris myſterii in ordinatione continentes, cur vulgari, ſcribique non debuerunt formulæ minus arcanæ, & porrectioni inſtrumentorum accommodatæ?

165. Divus Auguſtinus ætate vivebat in qua non jam Chriſtiani, ſed Ethnici latebras quærebant: ille vero divinitatem Chriſti oſtenſurus, ex eo quod dixerat accepiſſe Spiritum ſanctum ita Libro XV. de Trinitate cap. 26. inquiebat: *Quomodo Deus non eſt, qui dat Spiritum ſanctum? Saque enim aliquis diſcipulorum Chriſti dabat Spiritum ſanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant; non ipſum dabant: quem morem in ſuis præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia.* Quanam fronte obſecro hæc dicere ſanctus Pater potuiſſet, ſi in ordinationibus Hierarchicis pronuntiatæ non fuiſſent hodiernæ formulæ: Accipe Spiritum ſanctum &c. accipe poteſtatem &c.? Amalarius æque libro 2. de Divinis Officiis Cap. 12. Ordinationem Diaconi explicans, docet non dediſſe Apoſtolos Spiritum ſanctum, ſed oraſſe ut veniret ſuper eos, quibus manus imponebant, itaque nono ſæculo nondum erant hodiernæ formulæ in conferendis ordinibus hierarchicis inductæ; quæ, ſicut adverſarii contendunt, divinæ inſtitutionis eſſent, & Traditionis Apoſtolicæ, fuiſſent ab Orientalibus, a Græcis, a Syris Maronitis, aliiſque uſurpatæ; ſed hoc nunquam factum eſt; ergo &c.

166. Objiecerit quis tamen: etiamſi nec ab Orientalibus, nec a Græcis, & Syris, immo nec a Latinis uſurpatæ olim fuerint tales formulæ attamen potuit Eccleſia eas inducere, neceſſarias facere, ac ad eſſentiam Ordinationis pertinentes. Nam preces, quæ tot diverſis reperiuntur Pontificalibus, & Ritualibus, diverſæ inter ſe ſunt, & tamen dicuntur ad Ordinationem eſſentiales, atque neceſſariæ, non alia de cauſa, niſi quia eas adhibet Eccleſia: cur itaque eadem de cauſa idem non erit dicendum de formulis? Id ſenſiſſe videtur Innocentius IV. qui poſt citata, cap. ſuperiore, verba: *De ritu Apoſtolico invenitur, quod manus imponebant Ordinandis, & quod orationem fundebant ſuper eos: aliam autem formam non invenimus ab eis ſervatam*, ſubdit inductas deinde fuiſſe ab Eccleſia quaſdam formulas, & his utitur verbis: *niſi eſſent formulæ poſtea inventæ, ſufficeret Ordinatori dicere: eſto Sacerdos, vel alia æquivalentia verba; ſed ſubſequentibus temporibus formas, quæ ſervantur, eccleſia ordinavit; & tantæ neceſſitatis ſunt dictæ formæ, quod ſi iis non ſervatis aliquis fuerit ordinatus, ſupplendum eſt, quod omiſſum eſt.* Ita Pontifex: Et vero quum Chriſtus Apoſtolis divinam illam ſanctorum tribuens poteſtatem dixerit: ***Accipite Spiritum ſanctum &c.*** pariter Ordinator conferens initiando poteſtatem inquit: Accipe Spiritum ſanctum &c.; hinc Tridentinum Seſſ. XXIII. Can. 4. habet: *Si quis dixe-*

dixerit per ſacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum; & proinde fruſtra Epiſcopum dicere accipe Spiritum ſanctum, anathema ſit. ergo &c.

167. Leviſſima ſunt tamen ejuſmodi argumenta: nam ut a poſtremo auſpicemur, nunquam intendit Tridentinum definire formam hierarchicarum Ordinationum in illis verbis poſitam fuiſſe; ſi enim id Concil. decreviſſet, quomodo poſt illud præſtantiores quique Theologi tam aperte docuiſſent, & docerent, talem formam non in illis verbis, ſed in ſolis precibus Ordinatoris eſſe conſtitutam? ignorat nemo Trid. Hæreticos illos tunc damnaſſe, qui negabant Ordinem eſſe ſacrum, & gratiam ſancti Spiritus adferre; propterea dicebant Epiſcopos fruſtra in Ordinatione dicere, accipe Spiritum ſanctum: non quod definire voluerit, hæc verba eſſe ordinationis formam, vel gratiam datam per hæc ipſa verba; ſed gratiam datam per ordinatoris preces, gratiam in ordinatione, & per ordinationem datam: unde verba illa verum ſint gratiæ per ordinationem collatæ argumentum.

168. Illa porro opinio plurium Theologorum de poteſtate a Chriſto Eccleſiæ facta determinandi in ſpecie aliquot ſacramentorum formas, nullum magis habet fateor, quam ex diverſis Liturgiis, & formulis, quæ in Ordinationibus Hierarchicis uſurpantur, fundamentum. Doctrina illa tamen recte accipienda eſt, videlicet: quum Chriſtus præceperit Apoſtolis, ut in Miniſtris Hierarchicis initiandis manus imponerent, atque orarent; futurumque promiſit, ut uberiorem tunc ſancti Spiritus largiturus eſſet initiatis copiam, & ſacræ poteſtatis characterem; facultatem inde habuit Eccleſia determinandi modum, & ordinem ipſarum precum, atque orationum, quibus ordinator uteretur, & quæ pro Liturgiarum diverſitate, diverſis conceptæ ſunt verbis. Verum identitas precis, & orationis non ex identitate verborum, vel linguæ, vel phraſeos, vel ſonitus deſumenda eſt; ſed ex identitate ſenſus; propterea licet diverſis in Pontificalibus, & Euchologiis diverſæ videantur ordinatoris preces; quælibet enim lingua ſuum habet modum, & genium; & quilibet Auctor ſpeciali utitur exprimendi ratione; unus idemque tamen ſemper eſt earum ſenſus: invocatio nempe ſancti Spiritus, ut ſuper initiando deſcendens, uberiori illum ornet gratia, & Ordinis ſacri poteſtate: eaque invocatio quum ex promiſſione Chriſti efficax ſit, & ſuum infallibiliter obtineat effectum, proinde eſſentialis eſt Ordinum hierarchicorum forma.

169. Innocentius Pontifex loquitur de formulis ad oſtenſionem, & ſignificationem traditæ poteſtatis proceſſu temporis ab Eccleſia inductis, quas ad illum finem neceſſarias poſuit: quemadmodum verba eſſent illa: eſto Sacerdos; vel ſimilia, poſt preces, & peractam ordinationem, ſolemniter ab Ordinatore pronuntiata. Uſurpandas igitur ait tales formulas in præſens ſupplendaſque, ſi omiſſæ fuerint. Cur enim negligeretur, id quod ad ordinationis integritatem, ſolemnitatem, & expreſſam traditæ poteſtatis ſignificationem in Eccleſia conſtitutum eſſe intelligitur?

CAPUT XVII.

De Ordinationibus Hæreticorum.

170. NUlla quæſtio in hoc tractatu adeo perplexa eſt, quam controverſia de validitate Ordinationum ab Hæreticis, Schiſmaticis, Simoniacis, Depoſitis &c. peractarum: præſertim quum plura Concilia, Pontifices, & Patres, Ordinationes hujuſmodi veras validaſque eſſe ſtatuerint; alia vero Concilia, aliique Pontifices, & Patres, eas etiam in forma Eccleſiæ factas, olim non illicitas modo, ſed invalidas eſſe conſtituerint.

171. Huic ſolvendo nexui ſunt qui ponunt: tanto majoris eſſe momenti Eccleſiæ auctoritatem, quam formam ritum conſervandi, ut in irritum cadat & rite, & more Eccleſiæ etiam peracta conſecratio, ad quam uſurpata non ſit auctoritas Eccleſiæ. Nam etſi in perpetuum Deo ſacrum ſit, quod ſemel Deo rite ſacratum fuerit, non tamen Deo ſacratum videri debet, quod non ſit jure Eccleſiaſtico conſecratum, etiamſi ſervato ritu Eccleſiæ. Itaque ſi dubium exiſtit de voluntate Eccleſiæ etiamſi de Ordinatione in forma Eccleſiæ non dubitetur, non eſſe mirum ajunt ejuſmodi ſcriptores, accedente Eccleſiæ voluntate, valere Ordinationem non jure factam, ad id, ad quod valere eam vult accedens auctoritas Eccleſiæ, rataſque evadere eas ordinationes, quæ non accedente Eccleſiæ auctoritate irritæ erant. Quum enim nihil majus quæri in hac tota re poſſit; quam ut rata ſint apud Deum, quæ fideli plebi miniſtrantur ab iis, quorum dubia ſit ordinatio; nec plebi eſſe de rebus Eccleſiæ communibus judicium dictum ſit; ſtatuendum eſſe ajunt non poſſe fidelibus fraudi eſſe ea apud Deum, in quibus ſequuntur fidem Eccleſiæ.

172. Hanc Theoriam talibus fulciunt exemplis. Non minorem inquiunt habet Eccleſia auctoritatem circa ſacramentum Ordinis, quam circa ſacramenta Pœnitentiæ, & Matrimonii: atqui Eccleſia per communicationem ſuæ juriſdictionis datam Presbytero validum reddit utrumque illud ſacramentum; ex oppoſito ſuam ſubtrahendo juriſdictionem utrumque reddit nullum, etiamſi nihil in illis deſit ex parte characteris in miniſtro, & externi ritus in forma Eccleſiæ; itaque habet Eccleſia auctoritatem validas, vel invalidas reddendi ordinationes, in quibus forma etiam Eccleſiæ ſervata eſt: hocque pacto explicare, quomodo ordinationes ab Hæreticis, Schiſmaticis, & Simoniacis factas, aliquando validas declaraverit; aliquando autem tanquam irritas habuerit Eccleſia.

173. Hæc tamen hypotheſis non minimam patitur difficultatem. Poſita enim doctrina ſacri chara-

Digitized by Google

characteris, quam omnes catholici tuentur; vel in ordinationibus Hæreticorum, Schiſmaticorum &c. impreſſus remanet character, vel ſecus: ſi imprimitur; itaque Eccleſia eas illicitas habere quidem poteſt, ſed irritas, & invalidas non poteſt. Si vero non imprimitur; itaque natura ſua nullæ ſunt, & quamque accedente Eccleſiæ voluntate, & auctoritate ratæ, & validæ fieri, & evadere non poſſunt.

174. Joannes Morinus Parte III. de Sacris Ordinationibus oppoſitionem illam inter diverſas Synodos diverſoſque Pontifices, ſibi explicandam ſumens, demonſtrat priore loco, non ſatis elucidatam fuiſſe ante annos prope quingentos ejuſmodi quæſtionem, & variaſſe tum Concillorum ſtatuta, tum Pontificum decreta. Inter cetera teſtimonia, quibus ſuam communit ſententiam, unum deſumit ex ſecunda Synodo generali, can. 16. quo pronunciat Maximum Cynicum Philoſophum, utpote contra canones ordinatum Epiſcopum non eſſe, neque illi qui ab eo ordinati fuerant, qualemcumque Clericatus gradum obtinere. Alterum deſumit Teſtimonium ex epiſtolis Innocentii I., quibus ut baptiſmum ab Hæreticis collatum probat Pontifex, ita Ordines ab iiſdem adminiſtratos reprobat inaneſque, & irritos pronunciat; quod etiam plures alii præſtitere, quia Baptiſmus, inquiebant, Sacramentum eſt neceſſitatis; ſed Ordo Sacramentum eſt dignitatis. Ut autem Morinus has, ſimileſque antiquorum deciſiones cum ea quæ modo, communior eſt ſententia conciliet, plures adhibet diſtinctiones, quarum prima eſt: in ritu Ordinationis ſacræ quædam eſſe divinæ inſtitutionis, quæ omni ordini ſacro ſemper, & ubique conveniunt, velut manus impoſitio, & oratio conveniens: quædam vero inſtitutionis eccleſiaſticæ, quæ licet mutari poſſint, & pro temporum, & regionum varietate aliter atque aliter obſervari; tanti tamen eſſe momenti, quamdiu ab Eccleſia revocata, vel abrogata non ſunt, ut eorum omiſſio Ordinationem reddat non modo inhoneſtam, & illicitam; ſed etiam irritam; & materia reddatur ordinationi inepta, illaſque tum Ordinationem tum Ordinatum ſperare poſſe. Etenim judicio ſuo definire poteſt Eccleſia quibus conditionibus ordinans Epiſcopus auctoritate ſua, uti debeat; quibuſve cum donis, & qualitatibus ordinandus ſeſe Ordinandi ſiſtere, ut valide, & efficaciter Ordinem ab eo recipiat: ita ut ſi ordinans, vel ordinandus definitionem hanc neglexerint, contraque egerint, actio ſit nulla, & irrita, atque ut effectus producatur iteranda. Cenſet quippe etiam Morinus, idem analogice de hoc Sacramento dicendum eſſe, quod de matrimonio, & Pœnitentia, quorum materias Eccleſia ſæpe ſub interminatione irriti Sacramenti reſtrinxit, dilatavit, varioque tempore variis determinavit modis. Heinc conſequitur, ordinationes quaſdam utpote contra canones, qui tunc temporis vigebant, factas, irritas, & inanes eſſe declaratas, proindeque iterandas, quales fuere Ordinationes a Conſtantino factæ, Formoſo, Photio, aliiſque.

175. In charactere adhuc diſtinguit Morinus ſubſtantiam ejus, & virtutem agendi: Characterem ſemel impreſſum non amplius ab Eccleſia pendere ait, ipſius tamen agendi virtutem Eccleſiæ ſubditam eſſe, atque ab ea ſuſpendi poſſe, ita ut nihil omnino agat quandiu durat ſuſpenſio. Huic ſuæ adſertioni adſtipulari ſubdit Innocentium IV. Panormitanum, Cardinalem Hoſtienſem, alioſque. Rurſus diſtinguit inter quæſtionem definitam, & dubiam: nimirum ait, quandiu quæſtio adhuc ſub dubio eſt, & Doctorum diſputationibus in utramque partem agitatur, poſſe Pontifices, & Synodos opinionem, quam probabilem judicant, amplecti. Tandem diſtinguendum docet inter dubiam, & certam Sacramenti adminiſtrationem: contendit enim per annos prope mille, & ducentos eam viguiſſe conſuetudinem in Eccleſia, ut ubi de valore Sacramentorum dubitatio oriretur, ſtatim abſque conditionis ullius expreſſione Sacramentum illud iteraretur: quod in præſens fit ut plurimum ſub conditione. Aſſeclas habet Morinus non paucos, præcipue illos, qui Dominum in genere tantum aliquorum materias, & formas Sacramentorum conſtituiſſe arbitrantur, eaſque reliquiſſe in ſpecie ab Eccleſia determinandas, quas revera variaſſe ſibi perſuaſerunt.

176. Quamvis vero controverſia hæc nondum adhuc ſit ſolemni Eccleſiæ judicio definita, quia Tridentinum ſtatuens in ſacra Ordinatione imprimi characterem, nil tamen dicit de Ordinationibus Hæreticorum, Schiſmaticorum, Depoſitorum, &c., communior opinio tamen eſt, Ordinationis ejuſmodi ſive in Eccleſiam contra Canones factas, ſive factas extra Eccleſiam juxta ritum tamen, & formam, & intentionem Eccleſiæ, illicitas quidem eſſe neque gratiam conferre, attamen eſſe validas, & characterem imprimere; cujus ratio eſt quia Character Ordinis datur per conſecrationem: *quidquid autem fuerit ſemel conſecratum ſanctum Sanctorum erit Domino*, inquit Deus ipſe Levit. ultimo. Sicut itaque characteri Baptiſmali, quia per conſecrationem imprimitur, non nocet hæreſis, vel Schiſma, vel excommunicatio, vel depoſitio, vel irregularitas Baptizantis; ita characteri Ordinis, quia imprimitur per conſecrationem, nocere non poteſt hæreſis, vel Schiſma, vel excommunicatio, vel depoſitio, vel irregularitas ordinantis; ideoque ſicut ſemel Baptizatus iterum baptizari non debet; ita qui ſemel per Ordinationem conſecratus eſt, in eodem ordine jam conſecrari non valet. Ita cum D. Auguſtino contra Donatiſtas Theologi nunc omnes, qui communiore in opinione verſantur. Nonne prævaricator, & ſacrilegus erat Judas? Attamen beneficia, ab indigno illo Apoſtolica pro poteſtate conceſſa nullum

ſum ob iniquitatem ejus ſenſere detrimentum. Quare id vero? Quia talia beneficia ad gratias gratis-datas pertinebant; ſed etiam Character Ordinis & gratia gratis-data itaque nullo impediri poteſt Ordinatoria obice, vel vitio illius qui accepit ordinem auferri, ſi tamen vera conſecratione, hoc eſt in ritu, & forma Eccleſiæ conferatur.

177. Obiiciunt primo canones jubentes impoſitionem manuum fieri oportere ſuper illis, qui in hæreſi, vel ſchiſmate ordinati ad ſinum Eccleſiæ redirent; ex quo inferunt, ratam non fuiſſe habitam Ordinationem ab eiſdem in hæreſi, vel in ſchiſmate acceptam. Magis vero ad eorum canones, & Pontifices confugiunt, qui ſcriptis factiſque Ordinationes hujuſmodi etiam in forma Eccleſiæ celebratas declaraverunt irritas; ad quæ perperam reſpondere contendunt, a ſcholaſticis eas irritas fuiſſe declaratas, quod ad officium modo, & munus, & honorem; non autem quod ad Characterem ſpectat; ſive irritas hoc eſt illicitas; non autem irritas hoc eſt invalidas; leviter, inquam, hoc reſponderi, propterea quod tales Ordinationes iterari juſſæ fuerint, & porro fuerint non ſemel iteratæ; ergo &c. Divus revera Auguſtinus Libro II. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 13. eamdem ſtatuit habendam eſſe rationem ordinis, & Baptiſmi, ſcribens: *Utrumque ſanctum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur; illud, cum baptizatur; iſtud cum Ordinatur*; atqui baptiſmo qui conſecrationis actus eſt, non nocent hæreſis, ſchiſma, excommunicatio, depoſitio, irregularitas; itaque nec ordini, quia actus, ſive effectus pariter conſecrationis eſt: propterea idem S. Pater Lib. I. contra Donatiſtas cap. 1. inquiebat: *ſicut baptizatus, ſi ab unitate receſſerit, Sacramentum dandi Baptiſmi non amittit, nulli enim Sacramento injuria facienda eſt*; ideoque Conc. Carthaginenſ. III. quarto celebratum ſæculo, tamquam ab univerſa conſtitutum Eccleſia ponebat, nec rebaptizationes Hæreticorum fieri oportere, nec reordinationes eorum, qui fuerant ab ipſis ordinati.

178. Reſp. impoſitionem manuum ſuper illis factam, qui fuerant extra Eccleſiam ordinati, non fuiſſe conſecratoriam ſed ſolum reconciliatoriam, ut ex omnibus patet monumentis, & noviſſime ex praxi, qua ab Hæreſi, vel Schiſmate converſos, alios Chriſmatis unctione, alios Chriſmatis unctione, alios impoſitione manuum, alios denique ſola profeſſione fidei, ſuæque Hæreſis, vel ſchiſmatis anathematizatione, cum Eccleſia Catholica reconciliabant. Quod vero ad ſingulares quoſdam canones ſingulariaque pertinent ad facta, quibus ordinationes vel intra Eccleſiam contra Canones, vel extra Eccleſiam factæ, inanes, & irritæ habitæ, & declaratæ ſunt, eiſdem generales opponimus canones, & facta generalia, quibus earum valor conſervatus eſt. Revera Nicæni Concilii Patres, ut ex Actis ejus conſtat, Novatianos, & Melatianos, ad Eccleſiam redeuntes, ſuis fungi muneribus, non iterata eorum ordinatione conceſſerunt; Paulianiſtas vero, & Cataphrygas, quia non ſecundum Eccleſiæ formam ordinati fuerant, iterum ordinari conſtituerunt. Sic abſque nova Ordinatione recepti fuere Donatiſtæ, Ariani, Macedoniani, Pelagiani, Neſtoriani, Eutychiani, ceterique diverſi generis hæretici: Sic abſque nova ordinatione Epiſcopi depoſiti, ejecti, degradati; quemadmodum proteſtantes ipſi dum characterem ordinis oppugnant, adhuc tamen eveniſſe non negant: ſic denique recepti fuere abſque nova ordinatione tot illi, de quibus luculenter egit Auxilius Presbyter duobus libris, quibus Ordinationes a Formoſo Pontifice factas propugnavit, quoſque in ſuo opere de ſacris Ordinationibus integros edidit Morinus. Quum hæc celebriorum fuerit conciliorum, & Pontificum agendi ratio, Patrumque doctiorum ſententia & mens, quis non intelligit oppoſita eſſe præferendam?

179. Sed ut res magis illuſtretur, aliquæ animadverſiones ſatis erunt. Prima eſt omittendos heic eſſe Patres illos, qui in opinione rebaptizantium fuere; qua enim ratione putabant collatum extra Eccleſiam baptiſma nullum eſſe; idem multo magis de Ordinationibus extra Eccleſiam debebant cogitare; atqui Patrum ejuſmodi opinio de invaliditate baptiſmi Hæreticorum rejecta fuit ab Eccleſia; itaque etiamſi reſpectu ordinationis hæreticorum Eccleſia nihil adhuc definiverit; anſam tamen nobis præbet propugnandi valorem etiam Ordinationum legitimo cum ritu factarum extra Eccleſiam; quippe quod argumentando ſaltem, eadem utriuſque Sacramenti ratio eſſe videatur.

180. Secunda eſt: Diſtinctionem illam inter Ordinationes irritas reſpectu exercitii ordinis, non reſpectu characteris, non poſſe quidem Canonibus, & Decretis omnibus accommodari: quod perperam ſcholaſtici nonnulli præſtitere; Pluribus Decretis tamen, & Canonibus commodum aptari. Irritas quippe declarant aliquando tales Ordinationes ad tempus. Sed quid eſt eas facere ad tempus ſolum irritas, niſi ita ordinatos per alicujus ſpatium temporis exercitio ſui muneris privare?

181. Tertia eſt: nullam habendam rationem ordinationum per metum, & vim iteratarum; exempla quippe Stephani IV. & Sergii III. contra Formoſum, & illius Ordinationes, vel ſi qua ſimilia occurrant, nullius eſſe debent ponderis, utpote obſcuris temporibus, tempore ſchiſmatum, tirannico more, & furore potius, quam Lege, & jure perpetrata; merito proinde ſequentibus in Synodis reſciſſa, rejecta, reprehenſa.

182. Tandem diſtinguendum eſt inter ordinationem propriam, & impropriam. Qui redeuntes ab hæreſi, vel Schiſmate, vel ſemel depoſiti

Digitized by Google

Epiſcopi, & Presbyteri, dicuntur ſæpe numero ordinati, non vere iterum ordinabantur, ſed ſuus ad honores, ſuaque ad munera reſtituebantur iiſdem fere ritibus, quibus ordinati primum fuerant: ea lege tamen, ut qui talem cæremoniam uſurpabant, ſe tamen eos iterum non ordinare, ſed tantum reſtituere, & reconciliare proteſtarentur, ut legere eſt in epiſtola Fulberti Carnotenſis ad Epiſcopum Senonenſem: His animadverſionibus omnes illuſtrari poſſunt Canones omniaque facta, quæ opponuntur; etiamſi medio infimoque Ævo fuiſſe Quæſtionem hanc admodum obſcuratam, neque niſi ætate, & opera Divi Thomæ ſplendorem ſuum non recuperaſſe fateamur.

183. Obj. 8. Opinio eſt plurium Scholaſticorum Epiſcopatum ſecum non ferre characterem diverſum a charactere presbyterali, ſed eſſe extenſionem ſolum talis characteris, & delegationem ad quaſdam hierarchicas actiones. Si igitur ob hæreſim, vel ſchiſma, vel delictum excommunicetur Epiſcopus, aufertur ipſi talis delegatio, ideoque non amplius valide ordinabit; vel ſaltem certa non eſt tota illa ratio, cui innititur valor ordinationum, de quibus agimus, deſumpta ſcilicet ex natura Epiſcopalis characteris; quum certum adhuc non ſit Epiſcopalem ejuſmodi characterem eſſe quid entitative diverſum a charactere presbyterali, vi cujus nec extra, nec intra Eccleſiam aliqua fieri certe poteſt Ordinatio. Poſito etiam tamen Epiſcopali Charactere indelebiliter impreſſo, cur non poterit ejus agendi vis ab Eccleſia ſuſpendi? Nonne ſacerdotalis character indelebiliter eſt a Presbytero impreſſus, qui tamen ſi abſque auctoritate Eccleſiæ pergit abſolvere a peccatis, vel a reſervatis, nihil omnino efficit? Neque enim heic valet paritas Baptiſmi; tum quia Baptiſmus eſt Sacramentum neceſſitatis; ordo autem eſt Sacramentum ſolius dignitatis; tum etiam quia materiam, & formam Baptiſmi Chriſtus in ſpecie determinavit; ex oppoſito materiam Ordinis, & formam in ſpecie Chriſtus Eccleſiæ reliquit determinandas; ideoque ſicut Eccleſia conſenſum contrahentium, qui ad eſſentiam Matrimonii pertinet, ita in ſpecie determinavit, ut ante Tridentinum conſenſus ille non valeret invitis Parentibus; poſt Tridentinum invitis parentibus valeret; ante Tridentinum valeret abſque Parocho, & teſtibus; poſt Tridentinum ſine præſentia Parochi, & Teſtium non valeat; ita materiam, & formam ſacrarum Ordinationum ita potuit determinare Eccleſia, ut juxta canones, & ſuum intra ſinum uſurpatæ, characterem imprimant, ſecus ſi vel in Eccleſia contra canones, vel extra Eccleſiam adhibeantur etiamſi in forma, & ritu Eccleſiæ adhibeantur.

184. Reſp. Opinionem aliquot ſcholaſticorum exiſtimantium Epiſcopatum non eſſe niſi extenſionem ſacerdotalis Ordinis ad aliquas hierarchicas actiones, nullum adferre theſi noſtræ præjudicium. Quippe extenſionem illam non negant, & minime iterandam. Si Epiſcopatus juxta laudatos Theologos, eſt apex, perfectio, & complementum ſacerdotii: ſi eſt extenſio characteris Sacerdotalis; itaque proprietates habet characteris cujus apex, perfectio, complementum, & extenſio eſt; inamiſſibiliter propterea Epiſcopo hæretico, Schiſmatico &c. inhæret; ita ut quemadmodum a Sacerdote quantumcumque criminoſo fieri valide cenſetur conſecratio; ita ab Epiſcopo quomodocumque criminoſo fieri valide cenſetur conſecratio; ita ab Epiſcopo quomodocumque excommunicatio valida, ſi juxta ritum Eccleſiæ operetur, fiat ordinatio.

185. Reliquæ meditationes ad rem non faciunt: quippe etiam poſito Sacramentum Ordinis ex illis eſſe quorum materias, & formas Chriſtus reliquit in ſpecie ab Eccleſia determinandas; quæſtio tamen de valore Ordinationum de quibus agimus non verſatur circa materiam earum, & formam; quum jam ponatur eas in ritu, & forma Eccleſiæ eſſe celebratas; ſed circa qualitates miniſtri verſatur, & ſubjecti talium ordinationum, ideoque illa ex hypotheſi nil inferri valet adverſus validitatem ordinum extra Eccleſiam, ſed vera cum materia, & forma, collatorum. Falſum immo eſt, mutatam fuiſſe ab Eccleſia materiam Sacramenti Matrimonii. Hæc quippe, legitimus ſemper fuit contrahentium conſenſus. Ut autem legitimus ſit ejuſmodi conſenſus, juxta leges Eccleſiæ, & Principum ſit oportet, quæ leges variare quum poſſint, idcirco conſenſus ille nunc uno modo, nunc alio ſemper tamen legitimus requiritur, ut inde ipſi ſanctitas accedat Sacramenti, ut ſuo loco extendemus.

186. Tandem heic proprie non inquiritur, poſſit nec ne per excommunicationem, vel per canones Eccleſia virtutem agendi ſuſpendere Epiſcopalis characteris reſpectu Ordinationum, quas non legitime, in forma tamen Eccleſiæ, quis extra Eccleſiam quoque celebraret. Dabimus ita volenti, Eccleſiam quemadmodum ſuſpendere valet poteſtatem Presbyteri reſpectu remiſſionis peccatorum; ita ſuſpendere Epiſcopi poteſtatem poſſe reſpectu ordinationum. Verum hoc eſt diſcriminis inter utrumque, quod reſpectu remiſſionis Eccleſia ſolemniter definivit, Sacerdotem non approbatum, nec debere, nec poſſe remittere peccata: ex oppoſito nondum ſolemni judicio & decreto adhuc definivit, Epiſcopum in hæreſi, vel ſchiſmate, vel excommunicatum, valide non poſſe ſacros ordines in forma, & ritu Eccleſiæ conferre: immo communiori conſiderata ratione agendi Eccleſiæ, quemadmodum conſtat, Sacerdotem non approbatum non remittere peccata; ita colligere fas eſt, Epiſcopum hæreticum, Schiſmaticum, Excommunicatum &c. non quidem licite, ſed adhuc valide, ſi in forma, & ritu Eccleſiæ agat, ordinare.

CA-

CAPUT XVIII.

De Ordinationibus Anglicanis.

187. FUere mox, qui licet Epiſcopos Anglicanos in ſchiſmate, & hæreſi verſari faterentur, Ordinationes eorum tamen validas eſſe exiſtimavere. Oppoſita apud nos prævalet ſententia; nam etiamſi ſuperiore capite dixerimus validas cenſendas eſſe, quamvis illicitas Hæreticorum, & ſchiſmaticorum ordinationes, id intelligendum tamen ſubjecimus, ſi factæ fuerint in ritu, & forma & juxta intentionem Eccleſiæ; hinc namque juxta Canone validæ apud Veteres habitæ fuerunt Novatianorum, Arianorum, Neſtorianorum, aliorumque aliquot Hæreticorum Ordinationes; ſecus vero factæ a Sectatoribus Paulli Samoſitani, vel ab aliis, qui a forma, & intentione Catholicæ Eccleſiæ ordinando receſſerunt.

188. Hanc itaque juxta regulam diſtinguimus inter Ordinationes in Anglia peractas regnante Henrico VIII. & poſteriore factas tempore. Validas dicimus priores illas, quia licet ſchimatici eſſent Epiſcopi, fuerant ipſi tamen juxta ritum, & formam, & intentionem Eccleſiæ ordinati: Quare Julius III. Romanus Pontifex Cardinali Reginaldo Polo poteſtatem fecit abſolvendi, & abſque nova Ordinatione confirmandi ſuis in ſedibus Epiſcopos in priori ſchiſmate ordinatos, ſi ad Eccleſiæ communionem rediiſſent. Verum ſi de Ordinationibus loquimur imperante Eduardo VI. Eliſabetha Regina, cæteriſque ſucceſſoribus, in Anglia celebratis, quum juxta Rituale, quod appellatur Eduardi VI. fuerint iſti ordinati; illudque Rituale non modo recedat a ritu, & forma, & intentione Catholicæ Eccleſiæ, ſed errores contineat ipſi oppoſitos, dicimus propterea ordinationes ejuſmodi non illicitas modo, ſed invalidas quoque eſſe exiſtimandas.

189. Forma revera cujuſcumque Sacramenti debet exprimere vel explicite, vel implicite præcipuum Sacramenti finem, & effectum, ad quem a Chriſto inſtitutum eſt: quemadmodum patet in Baptiſmo, in Confirmatione, in Penitentia, & in cæteris Sacramentis; atqui primarius finis, & effectus ſacræ ordinationis, ſacrique Ordinis, eſt Sacramentum Euchariſtiæ, ut ſacrificium conſideratæ; varii quippe ſacri ordines Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus, primario, & præcipue inſtituti ſunt, ut continnetur in Eccleſia Sacrificium Novæ Legis; primaque, & eſſentialis actio horum ordinum eſt oblatio ſacrificii Euchariſtici; itaque in forma ſacræ ordinationis debet vel explicite, vel ſaltem implicite, exprimi tale ſacrificium; atqui in Rituali Eduardi VI. nil ejuſmodi exprimitur, vel ſignificatur; immo innuitur oppoſitum; neque declarantur ordinati niſi ad miniſterium Verbi Dei, & ad culmen quoddam Eccleſiaſticum, excluſa intentione quacumque ſacerdotium, Sacrificiumque Euchareſtiæ ſuſpiciente: itaque juxta illud Rituale Ordinatio non fit ſecundum ritum, & formam, & intentionem Eccleſiæ, ideoque non valet.

190. Ad valorem ſacræ ordinationis ſufficit impoſitio manuum cum oratione; habemus enim tantum ex ſacris litteris, Apoſtolos, dum impoſitione manuum ordinabant, oraſſe. Ejuſmodi autem Oratio, neceſſe non eſt eadem ſit apud omnes Eccleſias, & nationes; habet enim quæcumque Eccleſia, & natio jus ſua conficiendi Pontificalia, & preces ordinationi accommodatas; inde enim multitudo illa immenſa Orientalium, & Occidentalium Liturgiarum, in quibus preces ordinationum variant. Rituale, quod Eduardi VI. dicitur, non a Rege, ſed a ſex Epiſcopis, totidemque Theologis Eccleſiaſticis viris concinnatum eſt: neceſſe denique non eſt, ut in verborum formulis præcipuus Sacramenti finis, & effectus exprimatur. Pro Baptiſmo enim Chriſtus Inſtituit hanc formam. *Ego te Baptizo*, &c. atqui hac in formula non exprimitur præcipuus Baptiſmi finis, & effectus, qui eſt remiſſio peccati originalis, & jus, quod ad vitam acquiritur æternam; ſola autem actio exprimitur Miniſtri; itaque cur valere non poterunt ordinationes Anglicanæ, propterea quod in earum Rituali non exprimatur relatio ad Sacrificium Euchariſticum, vel intentio illius offerendi!

Non exprimitur talis relatio in forma conſtitutionum Apoſtolicarum, non in Liturgia Ethiopica, & Coptica, non in pleriſque Græcorum Euchologiis, non in pluribus Pontificalibus latinorum, quibus tamen Hierarchicas ordinationes celebratas valide fuiſſe nemo dubitavit, ergo &c.

191. Reſpondemus, potuiſſe quidem Sanctos Patres, & Eccleſiarum Rectores condere Liturgias ſuas, ſed ex eo non ſequi poſſe quemcumque Epiſcopum, quemcumque clerum, multo minus laicam per auctoritatem, & in odium Catholicæ fidei, variare, & abrogare ritus, & formas, & liturgias jamdiu ſua in Eccleſia receptas, uſurpatas, atque conſervatas, quemadmodum in facto evenit ordinationum Anglicanarum. Non eſt hoc tamen præcipuum, ut diximus, difficultatis, & querelarum caput; ſed illud ab illegitima provenit forma, utpote nec intentionis Eccleſiæ, neque Sacerdotii, neque Sacrificii, clare, vel tacite expreſſa. Noſtra ſiquidem in Liturgia Epiſcopus Diaconum ordinans, Deum orat, ut ſemper eum placatus intendat, quem ſacris altaribus ſerviturum, in officium Diaconus ſuppliciter dedicat. In ordinatione Presbyteri, Numen deprecatur Epiſcopus ut ſuper eum benedictionis Sancti Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis virtutem infundat. In ordinatione Epiſcopi, Deum exorat ordinator, ut donum gratiæ Sacerdotalis, in eum quem ad ſummi Sacerdotii mi-

miſterium eligit, effundat. Sic in ritu Ordinationis Alexandrini Jacobitarum Patriarchæ, quem Tomo I. collectionis Orientalium Liturgiarum edidit Renaudotius, dicit conſecrator. „ Sit ti- „ bi Deus Pontifex fidelis ſuper domum tuam, „ quæ eſt Eccleſia, ut ſerviat tibi inculpate „ omnibus diebus vitæ tuæ, in Pontificali di- „ gnitate, nocte, & die inceſſanter per ſacrifi- „ cia ſancta &c. “ Similes reperiuntur orationes conſecratoriæ innumeris in Latinorum, & Græcorum Pontificalibus, ſi non materialiter, & quod ad verba ſpectat, formaliter certe, & quod ad ſenſum pertinet, ex quo deſumendam diximus conſecratoriarum precum identitatem, quemadmodum legere eſt apud Lequienium Tomo II. nullitatis ordinationum Anglicarum, & in illius Operis Vindiciis.

192. Edidit Joannes Morinus Parte II. commentarii de Sacris ordinationibus plures Ordinationum Rituales Græcos, Latinos, *Syros*, Copticos &c. aliique poſt ipſum alios plurimos, in quorum nonnullis forma ordinatoria non videtur expreſſionem continere ſacerdotii & Sacrificii. Verum, ut animadvertit Renaudotius in Diſſertatione de Liturgiarum Orientalium origine, & auctoritate, Collectioni Liturgiarum ejuſmodi præmiſſa, præterquam quod in Liturgiis antiquis diverſitas, quemnam ſenſum habeant tales Liturgiæ, & quamnam ſignificationem verborum, manifeſte indicant, probantque adjuncti ritus, qui Euchariſticam ad ſacrificium, etiam ubi de Miniſtrorum ordinatione agitur, omnes tendunt: quod idem in ſuis admonitionibus ad Rituales ordinationum Græcos, Latinos, *Syros*, & Copticos, animadvertendum ſibi ſumpſit Morinus. Nil igitur mirum Liturgiis quibuſdam fuiſſe aliquando ordinatum, in quibus nulla erat expreſſio clara, & diſtincta Sacerdotii, & Sacrificii, tum quia ordinatores, & ordinati per tales Liturgias profitebantur fidem Eccleſiæ, de vero Sacerdotio, & Sacrificio Euchariſtico, tum quia adjuncti ritus ſatis oſtendebant intentionem ordinantis, ordinati, & Eccleſiæ, ſenſumque illarum precum, & totius actionis ordinatoriæ determinabant. *Sic* etiam actio exterior abluendi, quæ in Baptiſmo exprimitur, ex intentione Chriſti Baptiſma inſtituentis, & intentione Eccleſiæ Baptiſma conficientis, & ex adjunctis ritibus, & circumſtantiis, ſufficienter ſignificat ablutionem interiorem animæ a peccatis, quæ eſt præcipuus effectus, & finis Baptiſmi. Pariter in forma Euchariſtiæ a Chriſto determinata exprimitur clare, & diſtincte confeſſio corporis, & Sanguinis Chriſti. In aliis Sacramentis, ſive formæ a Chriſto determinatæ fuerint in ſpecie, ſive ab Apoſtolis, vel ab Euchariſtia, præcipuus ſemper exprimitur eorum finis, & effectus. Verum Angli poſt infauſtum ſchiſma emiſſa profeſſione fidei Sacerdotio, & Sacrificio Altaris, ſecundum quod creditur a Catholicis, oppoſita, formam induxere ſub Eduardo VI. Ordinationis, quæ nil continet quod ad Sacerdotium, & Sacrificium referatur; ſublatiſque cunctis prope ritibus, qui Liturgiæ, & toti actioni ordinatoriæ rectum præbere valerent ſenſum, dici numquam poſſunt hierarchicas celebrare ordinationes in ritu, & forma Eccleſiæ, vel exprimere aliquo modo intentionem Chriſti, & Eccleſiæ, proindeque dici non poſſunt, valide Miniſtros Sacros conſecrare.

193. Obj. 2. Juxta communiorem Doctorum Romanæ Eccleſiæ ſententiam neque fides, neque ſanctitas Miniſtri neceſſaria eſt ad valorem Ordinationis: juxta vero plurium opinionem Theologorum, Epiſcopatus, ſecundum quod diſtinguitur a Presbyteratu, ordo ille non eſt, qui novum characterem imprimat, & ſit vere Sacramentum. Remanet itaque ut ſit tantummodo gratia gratis data per modum ſacræ poteſtatis, propterea non intelligitur, quare per impoſitionem manuum, & orationem non poſſit etiam in hæreſi & ſchiſmate conferri per formam ad Euchariſticum Sacrificium non relatam.

194. Reſp. Theologos, qui Epiſcopatum, prout a Sacerdotio diſtinguitur, novum imprimere characterem, & Sacramentum eſſe inficiantur, preconceptum habere, ordinationem Epiſcopalem ei conferri, qui in Presbyterum jam ordinatus eſt per actionem, & Liturgiam, & formam, quæ ad Sacerdotium, & Sacrificium referatur. Deinde ſatis eſt Epiſcopatum, etiam ſecundum quod diſtinguitur a Sacerdotio, eſſe Sacrum ordinem, eſſe dignitatem, eſſe poteſtatem a Chriſto inſtitutam, quæ licet immediate non ſit ad Sacrificium offerendum, eſt tamen ad inſtituendos, conſecrandoſque Sacerdotes, qui illud conficiant, atque offerant, ut inferri jure debeat, talem poteſtatem tribui non poſſe niſi in ritu & forma intentionem Chriſti & Eccleſiæ exprimente. Ideo autem neque fides, neque probitas Miniſtri neceſſaria eſt ad valorem ordinationis, quia ponitur Miniſtrum etiam hæreticum & malum ordinare in ritu & forma, & in intentione Eccleſiæ, per quas imprimit etiam in Schiſmate atque hæreſi gratiam ſaltem Characteris gratis datam. At ſi præter hæreſim, & ſchiſma adhuc receditur a ritu, & forma, & ab intentione Eccleſiæ, quemadmodum in Anglicanis Ordinationibus contingit; quomodo valida poterit eſſe ordinatio?

CAPUT XIX.

Eccleſiaſtica Hierarchia, & Juriſdictio vindicantur.

195. ECcleſiaſticis in cœtibus aliquos oportere eſſe Præſides optimum factu judicant Proteſtantes; ſed Epiſcopos haberi tanquam ſpirituales Principes, & reſpectu Presbyterorum Dominos, omniaque pro arbitrio ipſos facere, & con-

& conſtituere, hoc eſt quod Chriſti doctrinæ, & voluntati opponi quam maxime contendunt. Nam inquiunt, Salvator noſter perfectam Apoſtolis inculcaturus cum cæteris Miniſtris ſacris æqualitatem, apud Matthæum XX. inquit: *Principes gentium dominantur eorum, & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter eos: ſed quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus.* Apoſtolorum vero Princeps, Divus Petrus, ita Epiſtola ſua I. cap. 5. *Seniores, paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie. neque, ut dominantes in Cleris, ſed forma gregis facti ex animo.* Hinc Divus Paullus in II. ad Corinthios capite I. inquiebat: „ Non dominamur fidej veſtræ, ſed „ adjutores ſumus gaudii veſtri. Et cap. 4. Non „ enim noſmetipſos prædicamus, ſed Jeſum Chri„ſtum Dominum noſtrum: nos autem ſervos „ veſtros per Jeſum: & cap. 5. Pro Chriſto le„gatione fungimur; tamquam Deo exhortante „ per nos. Obſecramus pro Chriſto &c. “ Heinc Apoſtolus Joannes Epiſtola ſua III. quendam damnabat, qui primatum, & primam habere Cathedram in Eccleſiæ geſtiebat. Rogant vero adverſarii quomodo hæc omnia cum ea quæ a nobis adeo celebratur Eccleſiaſtica Hierarchia, & Epiſcopali hodierna poteſtate concilietur?

195. Hoc ſine cæteris præſtandi miniſtris ſacris ſtudium, ſediumque Epiſcopalium ambitum, cauſſam fuiſſe hæreſum, & ſchiſmatum omnium, quæ in Eccleſia evenerunt, contendit Blondellus ſect. 2. Apologiæ pro ſententia Hieronymi, pag. 54. ita ſcribens: Quotquot primum habere locum in Eccleſia cupiebant, turbas ciebant: Præſidentium Seniorum ſive vitia, ſive imperitiam ſugillabant, quo eos ad primatus tenendos indignos probarent; ſibique per calcatos Patres ſceleratam ad primas Cathedras, adnexumque ex more Epiſcopatum viam muniſſent. Hoc æſtro percitus, eorum qui primam optaverunt Cathedram anteſignanus Diotrephes, paullo ante annum Domini centeſimum, & fratres Eccleſia pellere, & adverſus Apoſtolum Joannem nefariis ſermonibus blacterare aggreſſus eſt. Thebutis anno Domini centeſimo ſeptimo poſt Simeonis Martyrium, ſe non factum Epiſcopum indignatus Hieroſolymitanam Eccleſiam per ſeptem Judaicas Hæreſes corrumpere ſtatuit. Valentinus, anno circiter centeſimo quadrageſimo, ob prioris loci petitum ex Martyrii prærogativa alium pari indignatione incenſus, ad expugnandam veritatem converſus eſt. Marcion, anno centeſimo quadrageſimo ſecundo, invadendæ poſt Hygini dormitionem Romanæ Sedis ſpe depulſus apertum Deo optimo maximo Creatori, piiſque omnibus bellum denunciavit. Montanum circa idem tempus impotens prioris Cathedræ obtinendæ ſtudium, funditus evertit. Natalius Confeſſor primam impotenter cupiens Cathedram, Theodoſianorum partes ſequutus eſt. Novatianus aperte Epiſcopatum invadere ſtudens, adulterum, & contrarium caput, extra Eccleſiam Romanam fecit. Meletius Lycopolitanus Primatus poſſidendi morbo laborans adverſus Alexandrum Alexandrinum Epiſcopum ſeditionem concitavit. Eadem ſuperbia Arium perdidit. Hacuſque Blondellus, cui veteres Eccleſiaſticæ hoſtes Hierarchiæ infinita addunt ſcandala, ſeditiones, turbas, bella, & infauſtum Græcam inter & Latinam Eccleſiam ſchiſma Patriarchalium æmulatione ſedium ortum, altum, atque conſummatum. quibus conſequuntur, Eccleſiaſticam Hierarchiam in damnum potius, quam in utilitatem fidelium fuiſſe conſervatam.

197. Quanto tamen in errore ſint Adverſarii, dici vix poteſt. Nam Hierarchiam ſuorum miniſtrorum, Deum voluiſſe ſacræ manifeſtant Veteris Teſtamenti literæ, quibus ab ipſo conſtitutum Deo legimus ſummum Sacerdotem, Sacerdotes gregales, & Levitas, eo gradu, ut Sacerdos ſummus gregalibus; iſti vero Levitis eſſent Ordine poteſtateque ſuperiores: quod autem Aaron, & Sacerdotes filii ejus, & Levitæ veteri in Teſtamento fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi in Eccleſia vindicant, ut cum omnibus ſanctis Patribus docet Hieronymus in Epiſtola ad Evagrium. Tales gradus ſacro in Miniſterio eſſe oportere oſtendit Apoſtolus ad Epheſios IV. ſcribens: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos; quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores* ad conſummationem ſanctorum in ædificatione Corporis Chriſti. Et ſane, ut ratiocinatur Divus Thomas in ſupplemento, ſtatus Eccleſiæ medius eſt inter ſtatum naturæ, & ſtatum gloriæ: itaque ſi in natura talis invenitur Ordo, ut quædam ſint aliis ſuperiora, aliis inferiora; ſiquidem reperitur in ſtatu gloriæ, cur in Eccleſia non alii ſuperiores, alii vero inferiores; nec elucebit in domo Dei Divina ipſius gubernatio, per quam ultima per media, mediaque per prima, tam ſuaviter regere, atque perficere conſuevit? Si ſocietatis humanæ ſtatus, & civile regimen, concipi, & conſiſtere non poſſunt, abſque ordinibus, & Magiſtratibus Regni, Reipublicæ, & Civitatis: quanam ratione Chriſtiana Reſpublica, ſocietatum omnium perfectiſſima, abſque ſuperioribus, & Magiſtratibus, qui vulgaribus Religionis Miniſtris, tum Ordinis, & gradus, tum juriſdictionis & auctoritatis poteſtate præſtent, poterit conſiſtere?

198. Illud hic animadvertendum eſt, Hugonem Grotium, quamvis rigidioris Calvinianæ ſectæ hominem, lacrymatum apud ſuos fuiſſe Eccleſiaſticæ jacturam Hierarchiæ, tum ubi de Poteſtate egit Eccleſiaſtica, tum in Rivetiani Apologetici

di-

diſenſſione, tum demum in adnotatis ad conſultationem Caſſandri, Articulo XIV. ubi hæc maximi profecto momenti habet: *Epiſcopi ſint Preſbyterorum Principes; illa ſiquidem præminentia a Chriſto præmonſtrata eſt in Petro; ab Apoſtolis vero ubicumque fieri poterat, & conſtituta, & a Spiritu ſancto comprobata in Apocalipſi; quare optandum eſt, ut iterum conſtituatur ubique.* Quod quidem rigidioris Calviniani teſtimonium originem, utilitatem, & neceſſitatem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ mirum in modum evincit: ignorat quippe nemo, unum Grotium, eruditionem ſi ſpectes, & ſacrarum ſtudium literarum omnibus proteſtantibus eſſe præferendum.

199. Mirum jam vero eſt, Chriſti doctrina, præceptiſque & conſiliis adeo abuti Adverſarios. Chriſtus ſiquidem non aliud objectis voluit verbis, ut Patres omnes monent, & Interpretes, quam omnem averruncare ſuis ex diſcipulis ambitionem, & cupiditatem, ne ſcilicet Phariſæorum more, qui primos recubitus in cœnis, primaſque ſibi poſtulabant in Synagogis Cathedras, ſalutationes in foro, aliaque inanem ad gloriam pertinentia, ipſi eam æque appeterent, vel honores ambirent, qui humanas ſequuntur dignitates, ſed Eccleſiaſticum ſibi onus, & miniſterium imponi paterentur, juxta quod ſaluti proximi utile modo eſt, & Eccleſiæ, juxta quam conſiderationem bonum eſt Epiſcopatum appetere, ut docebat Paulus, qui ex quo humilitatem, humanitatemque in ſacro oſtentaret miniſterio, non minus adhuc ſuam exercuit in Miniſtros ſacros, & in peccatores poteſtatem, & auctoritatem, ut ex ipſius Epiſtolis notum eſt.

200. Nec officit locus Divi Petri allegatus. Triplex namque Præfecturæ genus diſtinguitur ab omnibus Theologis; unum quod nullam prorſus afferat moleſtiam; alterum, moleſtum quidem, ſed quo conſulatur ei, qui ſubjectus eſt; tertium, quod moleſtiam adferat ſubdito, neque huic tamen, ſed ſoli præcipienti utile ſit, quod nos *Deſpotiſmum* appellamus. Primum ſpectare potuiſſet ad ſtatum innocentiæ; ſecundum ad bonos ſpectat, qui in hac vita præſunt ſive Laicos, ſive in Eccleſia præfectos; idcirco enim quiſque bonus præeſt, ut iis proſit, quibus præeſt. Tertium ad malos pertinet, propriaque tantum commoda ſpectantes quem tyrannicum Præfecturæ modum ætate Chriſti Orientalibus præſertim in Principibus frequentiſſimum Chriſtus, & Apoſtoli in illis, qui fidelibus præficiendi erant, damnaverunt; non vero ſpiritualem eorum poteſtatem, juriſdictionem, & auctoritatem, quæ in beneficium fidelium & Eccleſiæ tota eſt.

201. Quid ſibi velint Adverſarii dum factum Diotrephis objiciunt, non intelligo. Num enim aliquis inveniri nexus poteſt inter hominem Aſiatica in Eccleſia, curæ Johannis Apoſtoli ſubjecta, ſchiſmata excitantem, ſibique non debitum Epiſcopatus munus ambientem, quemadmodum Joannes querebatur; inter hominem non vocatum, neque Ordinatum, qui Epiſcopum legitimum ſua e ſede eiicere, ſeque in eam intrudere ſtudebat; quæ, inquam, Analogia hunc inter hominem, & Catholicos Epiſcopos, quos vera vocatione, veraque conſecratione præconcipimus donatos?

202. Factum immo Diotrephis, ceteraque a Blondello objecta, totam ejus cauſſam jugulant. Non alia quippe de cauſſa Apologiam ipſe Hieronymi conſcripſit, niſi ut oſtenderet, niſi poſt medium ſecundum ſæculum, neminem fuiſſe cum auctoritate, & ſuperioritate ceteris in Eccleſia Presbyteris præfectum. Verum ſi perlectam Apologiam Hieronymi Librum ſuum appellavit, præcipue urgens iſtius ſancti Patris teſtimonium in Epiſtolam ad Titum: *antequam a diaboli inſtinctu ſtudia in Religione fierent, & diceretur in populis: ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur: poſtquam vero unuſquiſque eos, quos baptizaverat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti, in toto Orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur ceteris, ad quem omnis Eccleſiæ una pertineat.* Ex quibus ſequi videretur, occaſione Schiſmatis Corinthiaca in Eccleſia exorti, fuiſſe Epiſcopos cum poteſtate ſuper Presbyteris inductos.

203. Et vero jam diximus, Hieronymum heic ſua uſum non fuiſſe diligentia: propterea quod in Romana, Hieroſolymitana, aliiſque in Eccleſiis, ante Corinthiacum Schiſma ſui erant Epiſcopi Presbyteris præfecti. Cumque non defuerint, qui animadverterint, data etiam occaſione ſolum Corinthiaci Schiſmatis, conſtitutos primum ab Apoſtolis Epiſcopos, ſequi adhuc oportere eos divini eſſe juris, divinæque inſtitutionis, quum niſi præcipiente Chriſto Apoſtoli omnes in id non conſenſiſſent: reſpondit Blondellus, diligentius notandum eſſe, conſuetudinem illam non ex quo primum inter Corinthios auditum fuit: *ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ*, revera cœpiſſe, id enim eſſe nudo Hieronymianæ phraſis cortici perperam inhærere; ſed ſcripſiſſe Hieronymum *poſtquam id dictum in populis*, ideſt, poſtquam alii paſſim, Corinthiorum more dementati in partes diſcerpti ſunt; eam igitur fuiſſe ſcripturalem, ut inquiunt phraſim, qua uti voluit, quemadmodum ſæpe in aliis mentem exprimendo ſuam conſueverat Hieronymus. Sic quarto a Corinthiorum turbis ſæculo, Epiſtolam Pauli ad Epheſios illuſtrando ſanctus Pater, de ſui temporis hominibus inquiebat; quando non idipſum omnes loquimur, & alius dicit: *Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ dividimus ſpiritus unitatem, & eam in partes, ac membra diſcerpimus.* Nemo, opinor, ſubdit Blondellus, anno trecenteſimo octuageſimo ſexto his

verbis

Digitized by Google

verbis utebatur; quia tamen non durant factioſi, qui Corporis Dominici compagem, qua ſeditioſis clamoribus, qua flagitioſis molitionibus ſolverent, Paulina in eos de Corinthiis verba torquere non dubitavit Hieronymus: ex quibus magiſque infert Blondellus ſancti Patris verba ad ſchiſmaticos, quæ medio ſecundo ſæculo fuere in Eccleſia turbas eſſe referenda: quo primum tempore Epiſcopi cum poteſtate Presbyteri cœperunt.

204. Etſi tamen Hieronymiana de phraſi heic minime decertaverimus, literali, ne ſenſu, an potius metaphorico interpretanda ſit; quum imo orationem eam Hieronymi hyperbolicam, & nullo modo exactam fuiſſe ſentimus: dicimus adhuc, nil hypotheſim Blondelli efficere magis poſſe, quam facta, equidem vera, quia a Patribus deſumpto, objecto heic loco a Blondello ipſo allegata ante annum Domini centeſimum Diotrephes pellere ſede ſua Joannem Apoſtolum tentavit: ſi Thebutis anno Domini centeſimo ſeptimo ſe non factum Epiſcopum indignatus, Hieroſolymitanam in Eccleſiam Judaicas hæreſes induxit: Si Valentinus, Marcion, Montanus, aliique ſimiles Epiſcopatum impotenter adeo optant, ut eo non potiti, ab Eccleſia receſſerint, eique bellum movere auſi fuerint; itaque valde ante ætatem, qua ponit Blondellus Epiſcopos cæpiſſe Presbyteris præeſſe, jam erant Epiſcopatus, & Epiſcopi Presbyteris præfecti: Quippe ſi Epiſcopatus tunc, & prima Cathedra, niſi honoris inane nomen non fuiſſet; ſique Epiſcopus inter Presbyteros, non fuiſſet niſi primus inter pares, quemadmodum Ephori Spartano in Senatu, vel Archontes in Senatu Athenienſi, qui primum præter locum, majorem non habebant, quam ceteri Conſules poteſtatem: quæ ſimilitudo & ab Adverſariis jactata. quanam obſecro ratione ob inanem nonniſi umbram conſequendam, tot turbas, & Schiſmata mali homines Apoſtolica jam ætate concitaſſent, eamque non indepti, in hæreſis deſperationem lapſi fuiſſent? Oportet itaque jam tum Epiſcopos dignitatem non modo, verum etiam auctoritatem, poteſtatemque, & ſpiritualem juriſdictionem in Clerum habuiſſe, ſecundum Eccleſiaſticam Hierarchiam ab Apoſtolis pro Chriſti præcepto conſtitutam.

205. Huic autem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ortum tribuere errorum, hæreſum, Schiſmatum, & facinorum, quæ vel illi, qui impotenter, & fruſtra hierarchicos honores ambierunt; vel illi, qui hierarchica poteſtate abuſi ſunt, vel olim, vel deinde perpetrarunt; idem prorſus foret, atque Hierarchiæ Veteris Teſtamenti, a Numine procul dubio inſtitutæ, vel Samaritanum Schiſma afferere, vel mala cetera, in quæ Summi Judæorum Sacerdoti per ſummum nefas ciciderent: quam illationem Adverſariorum neminem conceſſurum arbitramur. Si vel aliqua ſcelerum numeraretur pars, quæ occaſione monarchiæ, vel Ariſtocratiæ, vel Democratiæ perpetrata eſt, horror omnium animos ſubiret: num propterea omnis Monarchiæ, vel Ariſtocratiæ, vel Democratiæ forma abroganda eſt, ac Anarchia inducenda? Minime profecto; ſed ita inſtant Adverſarii, S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum ſcribit: Epiſcopum, Presbyterum, & Diaconum, non eſſe meritorum nomina, ſed officiorum. Divus Auguſtinus lib. XIV. de Civit. Dei cap. 19. habet: Epiſcopatus nomen eſt operis, non honoris. Pius Pontifex in Epiſtola ad Juſtum Epiſcopum inquit: Presbyteri, & Diaconi, non ut majorem, ſed ut Miniſtrum Chriſti obſervent; Nec diſſimiles ſunt aliorum Patrum ſententiæ; ergo &c.

206. D. Hieronymum tunc diſputaſſe contra Jovinianum, qui nuptias æquare Virginitati non contentus, eatenus quoque præferri dicebat, quod frequenter in ordinatione Sacerdotali, Virgo negligeretur, & Maritus aſſumeretur, ſanctus igitur Pater cauſas primum probabiles in medium profert, cur in ordinationibus anteferrentur aliquando Virginibus mariti citra majorem iſtorum, quam illorum dignationem. Demum verba ſubdit, de quibus heic contendimus, quare evincat, nomina illa non ſignificare virtutis, & meriti compenſationem, & præmium, quaſi, ut quiſque ad Epiſcopatum perveniſſet, eo ipſo melius meritus eſſe putandus eſſet ceteris, qui illius compotes eſſe nequiverunt: proindeque negat quidem Hieronymus, Epiſcopatum ſemper dari merito, ſcilicet virtuti; ſed non negat meritum, hoc eſt honorem, & jus Epiſcopatui deberi. Quamvis vero Epiſcopatus in Eccleſia unus ſit, cujus pars ſingulis ab Epiſcopis in ſolidum tenetur, ut inquit S. Cyprianus in Lib. de unitate Eccleſiæ; & quamvis, ut inquit D. Hieronymus in Epiſtola ad Evagrium, ubicumque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Regii, ſive Alexandriæ, ſive Thanis, ejuſdemque Sacerdotii; potentia vero divitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non faciat, quum omnes ſint Apoſtolorum ſucceſſores; Eccleſiæ auctoritate tamen potuere inter ipſos amplioris, & reſtrictioris induci Eccleſiaſticæ juriſdictionis gradus, qui æqualitati poteſtatis Ordinis non adverſantur. Sed quum hæc ad juris Canonici peritos ſpectent, huic propterea Tractatui finem imponemus.

207. Ut autem Auguſtini teſtimonium illuſtremus, animadvertendum eſt, nomina ſæpe rebus imponi a dote aliqua, & proprietate, quæ ineſt ipſis, vel efficientia, vel adjuncto quopiam; neque propterea negari vel removeri cetera, quæ rebus iiſdem conveniant, etiamſi ab illis non deducatur appellatió. Reges a regendi functione dicuntur, Conſules ab eo quod Reipublicæ conſulant, Cenſores ab inſtituendo cenſu Populi; vox ipſa Deus, hebrai-

hebraice, græce, latine, ſimpliciter actionem, vel uſum, vel miniſterium denotat; ergo ne in Regibus, in Conſulibus, in Cenſoribus, in Deo ipſo nulla erit poteſtas, dignitas, auctoritas, majeſtas! Minime ſane gentium. Deum igitur Auguſtinus ex Etymologia Epiſcopos monet, ut ipſius utar verbis, eos prodeſſe magis debere, quam præeſſe ipſorum inficiari non vult, quam tot aliis in locis evehit, ſupra Presbyteros præſtantiam juriſdictionem, & ſpiritualem poteſtatem.

208. Ad locum Pii Pontificis reſpondet egregie Petavius Libro de Eccleſiaſtica Hierarchia I. Cap. XII. quid enim! Num qui Regem, vel Imperatorem admonet, ut ne Sceptro dignitateque inſolentior factus, contemnat cæteros, ſed hominem ſe, Deique ſervum meminerit, ſtatim hic in ordinem cogere putandus eſt eum, cui ita præcipit? *Rectorem te poſuerunt*, ait ſapiens, Eccleſiaſtici XXIII. *noli extolli; eſto in illis quaſi unus ex ipſis*, an qui Rector eſt, ſupra alios non eſt, quos regit, honore ſcilicet dignitate, poteſtate, tametſi naturæ conditione par ſit, & qualis? Sed vix aliquid in Eccleſia pretioſius reperitur Libro I. Diſſertationum Eccleſiaſticarum, & libris ſex de Eccclesiaſtica Hierarchia Petavii, quos qui diligenter legerit, non amplius de divina illius Origine, dignitate, utilitateque dubitabit.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO IX.

DE

SACRAMENTO MATRIMONII.

CAPUT PRIMUM.

De Matrimonio generatim ſpectato deque primario ejus fine.

1. MAtrimonium eſt vinculum, & nexus inter Virum & Mulierem, in individuam vitæ conſuetudinem, ex eorum mutuo conſenſu derivatus. Triplici conſideratur ſub aſpectu, videlicet, ut contractus naturalis, ut contractus civilis, ut novæ legis Sacramentum: plures habet propterea fines, unionem nempe contrahentium ad propagationem ſpeciei, unionem animorum in mutuam dilectionem, exſtinctionem libidinis, educationem prolis, alioſque ipſis ſubordinatos. Quæſtio agi ſolet an primus & præcipuus ejus finis ſit unio animorum in dilectionem, an potius unio contrahentium in propagationem humanæ ſpeciei.

2. Poſteriorem nos præferendum ducimus, & his rationibus oſtendimus. Ille primarius, & præcipuus ſit oportet Matrimonii finis, quem Deus Matrimonii inſtitutor ſibi primum veluti propoſuit: hujuſmodi vero videtur propagatio humanæ ſpeciei: quum enim optimus ſit Deus, non poſſet niſi optimum habere finem in omnibus operibus ſuis, univerſa autem propter ſe ipſum operatus eſt Dominus, ut habemus Proverbiorum XVI. ideoque etiam in omnibus quæ extra ſe facit, debet eſſe iſte ſibi ultimus finis intentus: quod perfecte conſequitur in manifeſtatione ſuæ bonitatis, ut late oſtendit ſanctus Thomas Commentario in Epiſtolam ad Romanos. Si igitur aliqua detur res, cui duplex, vel multiplex aſſignari poſſit finis, ille profecto præcipuus, & primus erit, per quem divina bonitas manifeſtetur magis, & ſplendeat; atqui hæc magis manifeſtatur, & ſplendet in propagatione humanæ ſpeciei, quam in unione animi eorum, qui matrimonium contrahunt: quod ſic oſtendimus: tanta eſt divinæ bonitatis excellentia, inquit allegato loco Divus Thomas, ut non poſſit uno modo, neque una in Creatura, ſufficienter manifeſtari: neceſſaria igitur apparet multiplicatio creaturarum, ut radix totius manifeſtationis, quod innuit Deus dicens: *non eſt bonum hominem eſſe ſolum*. Volens igitur Deus bonitatis ſuæ manifeſtationem, conſequens eſt voluerit multiplicationem hominum; & quum nullorum aliud approbet medium ad propagationem, quam matrimonium, ſequitur hoc fuiſſe a Deo abſolute volitum ob propagationem ſpeciei.

3. Quod ſi non poteſt dari manifeſtatio divinæ bonitatis abſque hominum multiplicatione, quia ſoli poſt Angelos ſunt primum objectum divinæ bonitatis, &, ut ratione præditi, capaces cognoſcendi divinam bonitatem, & in Deum ipſius gloriam bonitatis refundendi, in quo tantum conſiſtit formalis manifeſtatio: ſequitur, quod ſicut in antecedenti electio eſſe debet medii ad hanc manifeſtationem eliciendam, intelligi primum debet in intentione ad producendam manifeſtationem divinæ bonitatis. Si conſideretur vero Matrimonium prout eſt bonum humanæ ſpeciei, æque ſequitur, ſpeciei propagationem eſſe finem matrimonii principalem. Quodnam enim excogitari poteſt bonum, quod æquiparandum ſit bono exiſtentiæ? Nos enim exiſtentiam noſtram, ſi ad normam divinæ ordinationis velimus loqui, nulli poſt Deum debemus, niſi propagationi ſpeciei per matrimonium. Sicut enim exiſtere totius boni fundamentum eſt, ita majus, & excellentius eſt quocumque bono; quum itaque matrimonium ex voluntate Dei unicum ſit medium ad propagationem ſpeciei: & radix ſit totius boni reſpectu noſtrum: quum denique nil excellentius in iſtitutione matrimonii excogitari potuerit propagatione humanæ ſpeciei; debet hæc profecto primus & præcipuus eſſe naturalis connubii finis.

4. Obj. 1. Etſi Deus voluerit bonitatis ſuæ manifeſtationem, proindeque multiplicationem hominum, non ſequitur tamen aliud ad id medium ipſi probari non potuiſſe, quam matrimonium; ſiquidem, ſi perſeveraviſſet innocentiæ ſtatus, eo modo procreati fuiſſent ceteri, quo factus eſt primus homo, ut cogitaſſe videtur Joannes Damaſcenus, vel eo modo multiplicati fuiſſent, quo multiplicati ſunt Angeli per operationem divinæ virtutis, ut ſuſpicatus eſt Gregorius Nyſſenus; vel modo nobis quidem incognito, ſed divinæ ſapientiæ perſpecto, quemadmodum do-

cuit Chryſoſtomus, atqui in ſtatu innocentiæ fuit, & perſeveraviſſet cum eo Matrimonium; itaque ex inſtitutione ſua non videtur ad multiplicationem hominum ordinatum, ſed ad unionem animorum.

5. Reſp. Meditationes has omnes ſacris Literis opponi, quæ teſtantur, Deum creaſſe maſculum, ac feminam ſexu differentes ob propagationem ſpeciei, quemadmodum indicaſſe verba illico ſubjecta: *benedixitque illis Deus, & ait: creſcite, & multiplicamini*: quæ primis Parentibus ante peccatum dicta, repoſita fuere ad Noe, & ejus filios poſt peccatum; oſtenduntque ſexuum unionem, ſicut poſtea, ita ad propagationem ſpeciei futuram fuiſſe in ſtatu etiam innocentiæ neceſſarium.

Non ignoramus Nyſſenum, ac Damaſcenum ſibi perſuaſiſſe, Deum, ut futuri peccati præſcium, creaviſſe Protoparentes cum diſcrimine illo ſexus; non ita eos creaturum, ſi non fuiſſent peccaturi, ſed quodnam fundamentum divini ejuſmodi conſilii in verbo Dei ſcripto, vel tradito, inveniri poterit? Nullum ſane. Nec ex quo poſt infectam peccato naturam, abſque perturbato animorum, & corporum motu unio ſexuum non fiat, conſequi fas eſt, fore ut innocentiæ in ſtatu idem contigiſſet. Ante peccatum erat uterque nudus, & non erubeſcebant, inquit de Protoparentibus ſacer Textus: poſt peccatum vero quum ſe nudos cognoviſſent, conſuerunt folia ficus, feceruntque ſibi perizomata. Abſque perturbato itaque animorum, ac corporum motu facta tunc fuiſſet unio ſexuum: quorum proſpecta differentia quum innocentiæ in ſtatu adhuc fuerit, tunc etiam ordinata eſſet ad propagationem humanæ ſpeciei.

6. Obj. 2. Inter duos ſenes verum initur Matrimonium; atqui iſtud ordinari non poteſt ad propagationem ſpeciei, ſed ad ſolam unionem animorum; iſte igitur non illa eſt finis primus Matrimonii.

7. Reſp. Nullam prope inveniri poſſe ætatem adeo grandævam in homine, in qua prolem habere non poſſit, ut pluribus oſtenditur exemplis. Sed hoc omiſſo, animadvertendum eſt, ſane verum Matrimonium, etiamſi obtineri aliquando non poſſit ejus primarius finis, ſi tamen ſecundari habeantur, qui ſunt unio animorum perpetua vitæ conſuetudo, mutuum conjugatorum levamen, medela adverſus concupiſcentiam, ceteraque ejuſmodi: præſertim quod fines illi ſecundarii primario non opponantur, immo ſuapte natura ad eundem ducant. Sane in contractibus, qui plures habent fines ſubordinatos, ſtat eorum firmitas, ac valor, etiamſi præcipuus finis non obtineatur: ſi tamen per accidens id fit: ſi ſecundarii ſaltem obtineantur fines, & ipſi primario minime adverſetur: quod infinitis exemplis, & teſtimoniis conſtat.

CAPUT II.

Eadem veritas ſacris & Eccleſiaſticis momentis confirmatur.

8. Præcipuum Matrimonii finem eſſe propagationem ſpeciei, vehementius probari ex Poligamia poteſt in Teſtamento vetere permiſſa. Certum eſt poligamiam neque obſtare generationi prolis, neque ipſius educationi: videri tamen obeſſe unioni, ac paci animorum; quum non adeo poſſit eſſe quies, & pax in familia in qua eidem viro plures fœminæ jungantur. Si igitur diſpenſatum olim fuit in Matrimonio circa id, quod immediate afficit unionem animorum; numquam vero diſpenſatum fuit in eo, quod ſpectat propagationem ſpeciei, indicium certum eſt, hanc propagationem, non vero unionem illam, eſſe finem primarium Matrimonii. Diximus nunquam in eo fuiſſe diſpenſatum, quod pertinet ad generationem prolis, quia nunquam toleravit Deus ut una mulier plures ſimul haberet viros, quia id opponitur prolis generationi: proindeque hæc prolis generatio proprius eſt Matrimonii fructus, ideoque ejus finis primus.

9. Fuit hæc revera Veterum doctrina. Tertullianus Lib. I. ad uxorem cap. 2. ita ſcripſit: *Non equidem abnuimus conjunctionem Viri, & Fœminæ benedictam a Deo, ut Seminarium generis humani, & replendo Orbi, & inſtruendo ſæculo excogitatam, atque exinde permiſſam.* Clemens Alexandrinus Libro ſtromatum II. inquit: *Matrimonium eſt prima, & legitima Viri & Mulieris conjunctio ad Liberorum procreationem.* S. Auguſtinus Libro de Bono conjugali, ait: *Bonum Nuptiarum per omnes Gentes, atque omnes homines, in cauſſa generandi eſt.* Libro de adulterinis conjugiis ſcripſit: *Propagatio filiorum eſt prima, & naturalis, ac legitima cauſſa Nuptiarum.* Rurſus Libro 19. contra Fauſtum cap. 26. *non ob aliud debet fœmina nubere, quam ut Mater fiat.* Tandem Lib. I. contra adverſarios Legis, & Prophetarum cap. 12. habet: *Deus Maſculum, & Fœminam, propagandi generis cauſſa nuptiali Caritate conjunxit.* Divus Gregorius Pontifex 3. part. Paſtoralis ſuæ cap. 15. ſcripſit: *admonendi ſunt conjuges, ut ſuſcipienda prolis ſe meminerint cauſſa conjunctos.* Accedunt tum Benedictiones veteri in Teſtamento datæ fœcunditati; tum preces a Sacerdote recitari ſolitæ, dum matrimoniale Chriſtianorum celebratur Sacramentum, *multiplicationem generis humani* indicantes; magis etiam diſciplina Catholicæ Eccleſiæ illorum contractum, qui ad matrimonialem actum impotentes ſunt, dirimi ſolvique conſentientis; nunquam vero permittentis dirimi, ac ſolvi illorum Matrimonia, apud quos eſſe non poſſet unio animorum. Seſſione ſiquidem XXIV. canone V. ita ſtatuit Tridentinum: *Si quis dixerit propter moleſtam*

co-

cohabitationem diſſolvi poſſe Matrimonii vinculum anathema ſit. Cur id vero? Quia Matrimonium ſuſcipiendæ prolis cauſſa fuiſſe a Deo inſtitutum Eccleſia intellexit. Suſcipere vero prolem primo in caſu poſſibile non eſt: bene vero ſi ſola deſit unio animorum. Primus itaque, ac præcipuus Matrimonii finis erit propagatio ſpeciei, non unio animorum.

10. Obj. 1. Lucius tertius Romanus Pontifex conſultus de conjugibus quibuſdam, qui prolem habere uou poſſe videbantur, an diſſolvendum foret eorum Matrimonium, reſpondit: Romanam Eccleſiam in ſimilibus conſueviſſe judicare, ut quas viri tamquam uxores habere non poſſent, haberent, ut Sorores; ſtat igitur Matrimonium abſque ordinatione ad propagationem ſpeciei.

11. Reſp. Et Decretis Cæleſtini III., Alexandri III., aliorumque Pontificum, declarata fuiſſe irrita illorum Matrimonia, qui generationi idonei uou eſſet: vel ſolum permiſſum fuiſſe, ut vir tamquam ſororem haberet eam, quam habere uon poterat uxorem, ſi tamen ambo conſenſerint ſimul eſſe, non autem ſi eorum alter quæſiverit ſeparationem. Quare Lucii III. reſponſum inixum fuerit oportet alicui circumſtantiæ, ſcilicet, omnibus perpenſis, dubitatum adhuc fuerit de abſoluta, & perpetua illorum, de quibus agebatur, impotentia; ideoque ob periculum ſeparandi eos, quos Deus conjunxerat, ita reſpondere Pontifex æquum docuerit: ex quo non ſequitur, Matrimonium primo, & per ſe non intendere propagationem ſpeciei.

12. Obj. 2. In Regnis Hiſpaniarum ante Sixtum V. Pontificem Eunuchi Matrimonia contrahebant; ſed ejuſmodi Matrimonia non poterant eſſe ordinata ad generationem prolis, ſed ad ſolam unionem animorum; ergo &c.

13. Sunt qui hoc loco reſpondent id qnod de Matrimonio Seniorum dictum eſt: ſtare ſcilicet Connubium ob ſecundarios ejus fines, etiamſi primus per accidens non obtineatur: qua de cauſſa Pontius Libro VII. de Matrimonio cap. 68. Eunuchorum Coujugia juxta Canones antiquos valida, atque firma fuiſſe judicabat, & quidem uſque ad tempora Sixti V. Præterquam quod tamen conſtat, Leonem Imperatorem in Novella 98. damnaſſe, ac declaraſſe irrita Eunuchorum Matrimonia, animadvertendum eſt, Sixtum Pontificem ſua in Bulla anno MDLXXXVIII. non jam primo ea probibere, ſed proteſtari, ſecundum Canonicas Sanctioues, ipſamque Naturæ Legem; talia coujugia prohibita eſſe, nulla, irrita, & iuvalida, ea maxime de cauſſa, quod ordinari ad generationem prolis non poſſent. Itaque tales falſos conjuges, niſi apparuiſſet, eos, ut caſte ſimul viverent, contraxiſſe, ſtatim ſeparandos decrevit Poutifex, neque in poſterum tale nefas admittendum. Nam ita præcipere Pontifex potuiſſet, ſi abſque ullo ordine ad propagationem ſpeciei Matrimonia generatim ſtare potuiſſent? Minime profecto.

14. Obj. 3. Iuter Beatiſſimam Virginem, & Joſeph fuit verum Matrimonium, quemadmodum inter illos, qui Virginitatem ſervare conſtituerunt; ſed ejuſmodi Matrimonia non ſuut ad generationem prolis, ſed ad ſolam unionem animorum; ergo &c.

15. Reſp. De Beatiſſima Virgine nos ſuo loco data opera dicturos. Reſpectu vero Conjugum, qui virginitatem ſervare conſtituerunt, diſtinguendum eſt. Vel enim ante Matrimonium emiſere votum Virginitatis ſimplex, vel ſolemne: vel nupſere cum pacto explicito Virginitatem ſervandi, vel hoc pactum iniere poſt Nuptias. Si mutuo conſenſu pactum continentiæ iniere poſt Nuptias nil ſequitur adverſus theſim noſtram: ſi vero ante nuptialem contractum, irritus hic evadit, ac omnino nullus; quia Matrimonium, ut videbimus, illo in nexu, & vinculo conſiſtit, ex quo mutua oritur Conjugum poteſtas ad procurandam prolis generationem; quare cum conditio abſtinendi ab uſu Matrimonii repugnet ipſius eſſentiæ, propterea impedit, ne contrahatur.

16. Quod ſi de voto ſermo ſit, & hoc fuerit ſolemne, jam ita impedit Matrimonium, ut contrahi non poſſit. Quomodo enim abſque Sacrilegio audeſcet quis id quod Deo per votum jam tradiderat, ſolemniterque fuerat ab Eccleſia vice, & loco Dei acceptum, alteri in poteſtatem offerre poſtea, & tradere? Si vero Votum fuerit ſimplex, fit quidem Matrimonium, quia in Voto ſimplici eſt nuda promiſſio, quæ non impedit actualem ſui traditionem, quæ fit alteri in Matrimonio: quamvis tunc grave peccatum committatur contra fidelitatem Deo debitam: proindeque validum eſt quidem juxta omnes ejuſmodi Conjugum, & ſolum eſt illicitum. Tali autem in Conjugio quum actualis fiat traditio, quæ non alium legitimum habet ordinem quam ad generationem prolis, ſequitur, in hujus generis Matrimoniis æque intendi propagationem prolis.

17. Nemo autem præſtantiorum Theologorum eſt, qui illorum agendi rationem probet, qui ſimplici emiſſo Voto, vel propoſito Virginitatem ſervandi facto, Nuptias deinde contrahunt cum intentione abſtinendi ab uſu Matrimonii. Nam tametſi Virginitatis propoſitum numquam laudari ſatis poſſit, debet medium tamen eligi ad Virginitatem ſervandam idoneum, & opportunum: Quod nemo ſane dixerit eſſe Matrimonium. Neque aliquorum valent exempla factaque Sanctorum; ſiquidem vel tantummodo poſt Matrimonium novo pacto cum conjugibus inito caſtitatem coluerunt; vel poſt ſolum propoſitum, vel ſimplex votum, neceſſitate obediendi, & ob publicum bonum contrahere Matrimonium debuere; vel niſi poſt contracta Sponſalia non voverunt, ideoque ex tenendæ fidei neceſſitate Nuptias iniere;

 quem-

quemadmodum illi contigit, aliis cum ſummis viris ſcripſit Vaſquez Tractatu VI. de voto, cap. 9. *Nec honeſtum eſſe, nec rationi conſentaneum, contrahere Matrimonium, ſive fidem Matrimonii dare animo non conſummandi, ſed tranſeundi ad meliorem ſtatum Religionis, maxime ſi id fiat ab uno Contrahentium, ignorante altero, ac bona fide contrahente: tum quia ſic videtur fieri aliqua injuria Conjugi; eſtque in hoc aliquis deceptionis modus; tum quia ſic conſtituitur homo in gravi periculo hujuſmodi intentionem mutandi.* Quum igitur a nemine vere ſapiente ea laudentur Matrimonia, quæ Religionis etiam cauſſa, cum intentione celebrentur abſtinendi a prole procuranda, ſequitur Matrimonium ad prolis generationem præcipue, & primario eſſe ordinatum.

18. Neque valere debent, quæ adduci ſolent aliquorum exempla, factaque Sanctorum. Siquidem S. Henricus, S. Eduardus, aliique, qui caſtitatem in Matrimonio coluerunt, eamdem, antequam contraherent, non convenerant; ſed contracto jam Matrimonio, novo veluti pacto cum Conjugibus inito, caſtitatem coluerunt: quod nemo eſſe licitum, & laudabile negaverit. Diva Pulcheria Imperatrix, quæ caſtitatem diu antequam nuberet propoſuerat, vel etiam voverat, Matrimonium niſi neceſſitate preſſa non contraxit, & commodi publici ratione, quod ita neceſſitas temporum exigeret, ut Conjugii titulo Marcianum pro ſummo Eccleſiæ bono eveheret ad Imperium, quemadmodum animadvertit Baronius ad annum 450. Diva Cæcilia, quæ poſt devotam Deo Virginitatem nupſit Valeriano, invita prorſus, & ſuam contra voluntatem, in Matrimonium non tam ducta, quam tracta eſt: quumque in Angeli tutela foret, Virginitatem ſuam conſervatum iri certo confidebat. Diva Delphina, quæ poſt Virginitatis propoſitum nupſit, ad Matrimonium acceſſit invita, exque obedientia, quam Parentibus, & Carolo II. Hieroſolymorum, & Siciliæ Regi debebat, adducta, ut vitæ illius Auctor ſcribit apud Surium, ad diem XXIV. Septembris: quodque notandum magis eſt, ſervandæ Virginitatis propoſitum niſi poſt contracta Sponſalia non conceperat; ideoque ex tenendæ fidei neceſſitate Matrimonium inire compulſa eſt: quod idem de illo dicendum venit, de quo ſermo eſt in cap. *Commiſſum, extra de Sponſalibus, ac Matrimonio*, cui Alexander III. tutius eſſe reſpondit contrahere Matrimonium, de quo jurata fuerant Sponſalia, ante ſuſceptum melioris vitæ conſilium.

19. Neque vero dubitandum eſt, ſtare Matrimonium aliquod poſſe, immo & debere, abſque procuratione prolis, quin inferri liceat, hanc præcipuum non eſſe finem Matrimonii, ſuapte natura conſiderati, atque a Deo inſtituti. Nulla certe Regula eſt ſine exceptionibus; ſed non valet ex exceptionibus illatio contra Regulam. Inane eſt autem agere velle contra eſſentiam, ac ſubſtantiam rerum, obtutu imitandi Sanctos, Virginem, atque Chriſtum in omnibus, & in illis præcipue rebus, ad quas ſpecialis Sancti Spiritus inſtinctus, & ſpecialiſſima poſtulatur gratia, quæ in illis, de quibus agimus factis, requiri Theologi præclariſſimi oſtenderunt.

20. Obj. Denique nonnulla Sanctorum Patrum teſtimonia, quæ tamen ad rem non faciunt; non loquuntur Patres de ſterilitate, quæ non dirimit Matrimonium; ſed valde diverſa res eſt, non dirimere Matrimonium, ac illud celebrare; quippe in ſterilitate ſtant adhuc fines Matrimonii ſecundarii; vel loquuntur de adhæſione animi habenda erga Conjugem, quæ ſtrictior profecto eſt in Lege Gratiæ: vel loquuntur de Matrimonio, quod firmius remanet ubi uſus aliquando omittitur, intellige ob eminentiam virtutis in Chriſtianis, non ob firmitatem Contractus; nemo quum dubitet, Matrimonium rite contractum, & ratum, profeſſione Religioſa poſſe reſcindi; numquam vero conſummatum. Similes adferunt Veterum auctoritates, ſed quæ noſtram quæſtionem non attingunt.

21. Dum autem communiter dicitur tria eſſe Matrimonii bona, fidem, prolem, & Sacramentum, in primis animadvertere eſt, alio ordine ea pronunciari ab Auguſtino Libro I. de Nuptiis cap. 12. ſcribente: *Nuptiarum bonum impletum eſt in Chriſto, proles, fides, Sacramentum: prolem cognoſcimus ipſum Dominum Jeſum, fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divortium.* Ubi vides priori loco prolem poni. Juxta communem tamen ordinem bona illa enunciata non officiunt Theſi noſtræ; quippe ſunt, qui fidei nomine interpretantur contractum ipſum, & conſenſum; ſunt etiam, qui fidei nomine denotatam velint unitatem ipſius Matrimonii ad poligamiam excludendam. Sed etiamſi fides animorum unionem denotaret, non inde ſequitur, hanc præcipuum eſſe, ac primum Matrimonii finem. In illo ſiquidem eſſato enunciantur bona, ſive fructus Matrimonii ſecundum ordinem, ut ita dixerim, exequutionis, quia diligunt ſe primum Conjuges, eaque ex dilectione proles oritur. Quod autem in intentione primum eſt, eſſe ſolet ultimum in exequutione.

CAPUT III.

De cauſſa efficiente, & eſſentia Matrimonii.

22. Cauſſa efficiens Matrimonii mutuus conſenſus eſt viri & mulieris per verba de præſenti, vel per ſigna verbis æquivalentia expreſſus. Quum enim Matrimonium, formaliter ſumptum, importet vinculum, nexumque & colligationem mutuam mutuo ex conſenſu profectam; hinc eſt, mutuum hujuſmodi conſenſum, per verba de præſenti expreſſum, eſſe & dici Ma-

Digitized by Google

Matrimonium cauſaliter tantum, ſive cauſſam efficientem Matrimonii. Dicitur per verba de præſenti, quia ſi talis conſenſus exprimatur per verba tantum de futuro, non eſt matrimonium, ad Matrimonium quippe efficiendum non ſufficit obligatio ad dandam alicui poteſtatem in propriam perſonam ad generandam prolem, ſed neceſſe eſt, ut actualis fiat translatio talis poteſtatis per verba de præſenti; conſtat quippe, eum, qui promittit ſe alteri daturum aliquid, non illud propterea actu dare, neque dominium tunc transferri, ſed ſolum obligare ſe ad illud dandum, & futuro transferendum tempore: quemadmodum perfectus cenſetur contractus aliquis venditionis, atque emptionis, quando vendens certo pretio conſenſum dat, quo transferatur dominium rei in emptorem.

23. Diximus ſigna ſufficere verbis æquivalentia, quemadmodum reſpondit Innocentius III. Epiſcopo Arelatenſi. Sic quandoque talis conſenſus exprimitur per verba Parentum alicujus puellæ præ verecundia tacentis: quia quum ipſa præſens non contradicat, ſignum inde conſenſus ipſius ſufficiens habetur, ut monet Divus Thomas: parique modo, quum apud Incolas novi orbis, olim ſervos, puſillamines, meticuloſos, conſuetudo foret, ut Dominus eorum, ſive communitatis Præſes, veluti communis Parens, matrimonia ipſorum procurarent, ſi, ipſo providente, vir, & fœmina non contradicentes conveniebant, id pro tacito conſenſu habebatur, verumque conſtituebat Matrimonium.

24. Matrimonium itaque formaliter non eſt ipſe conſenſus, ſed vinculum, ac nexus, ex quo procedit mutua in perſonam conjugis poteſtas, ac officii præſtandi ad prolem generandam obligatio. Duo ſiquidem, ubi agitur de eſſentia, & natura Matrimonii vitanda ſunt extrema: tum eorum, qui in actuali, vel habituali procuratione prolis ſubſtantiam Matrimonii ſitam, eſſe conſtituerunt: quod Juliano Pelagii ſectatori objiciebat Divus Auguſtinus, tum etiam illorum, qui nullo habito ordine, ad generationem prolis, in ſola animorum unione Matrimonium poſuere.

25. Matrimoniali porro in actu eſſentiam Matrimonii non conſiſtere palam eſt. Divus Ambroſius lib. 2. de inſtitutione Virginum cap. 6. inquiebat: *cum initiatur Conjugium, tunc Conjugii nomen adſciscitur; non enim defloratio Virginitatis facit Conjugium, ſed pactio Conjugalis. Denique cum jungitur puellæ, Conjugium eſt, non cum virili ſi admixtione cognoſcitur.* Et vero uſus rei de qua contrahitur, ad eſſentiam non pertinet contractus; verus enim, perfectuſque emptionis contractus eſt, etiamſi emptor re empta non utatur, pretiumque pro ea ſolverit; & ſatis eſt ipſum emptæ rei acquirere dominium, quo ea uti jure poſſit, etiamſi ea non utatur.

26. Ex alia vero parte mutuus ille conſenſus, quem dant Conjuges, debet eſſe in generationem prolis, ut enim ait Divus Thomas in IV. Sententiarum diſtinctione XXXIV. Quamvis procuratio prolis non ſit de eſſentia Matrimonii, poteſtas tamen conjugum ad prolem procurandam eſt de Connubii eſſentia, quia per matrimonialem contractum acquirit uterque conjux ad procurandam prolem, etſi ait: *actus carnalis copulæ non ſit de eſſentia Matrimonii; tamen potentia ad hoc eſt de eſſentia ejus; quia per Matrimonium datur utique Conjugum poteſtas in corpus alterius reſpectu carnalis copulæ.* Quam Doctrinam ſumpſit S. Præceptor ex Apoſtolo, ubi prima ad Corinthios I. ſcripſit: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier*: quod intelligitur in finem prolis procurandæ. Porro viri & Mulieris conſenſus in ſolam dilectionem mutuam animorum, ſed minime ad generationem prolis ordinatus, amicitiæ quidem nexum parere interea poteſt; ſed vinculum parere Matrimonii non poteſt. Quamvis igitur ſtante Matrimonio valeant adhuc Conjuges aliquando idoneis de cauſſis mutuo cedere juri ſuo: quemadmodum emptor uſum rei a ſe emptæ remittere poteſt venditori: attamen poteſtas illa mutua in generationem filiorum radicaliter, & eſſentialiter adeo includitur in contractu matrimoniali, ut nullus iſte foret, ſi tale jus in contrahentem non transferetur: quare oppoſita cum conditione contrahere non licet, ut plures Theologi præſtantiores, juriſque Canonici periti ſtatuerunt.

27. Obj. 1. Juxta nos finis præcipuus Matrimonii eſt generatio prolis, ſed hoc non obtinetur abſque ipſius procuratione; itaque in hac ſita eſt eſſentia Matrimonii.

28. Reſp. Confundendum non eſſe finem præcipuum alicujus rei, cum ipſius eſſentia. Si duo Reges fædus ineant, mutuæ defenſionis, vel aſſiſtentiæ adverſus communem hoſtem victoriæ cauſſa; communis tunc defenſio, vel victoria, finis ſunt illius fœderis, non vero ejus eſſentia, quæ in mutuo illo vinculo, ex quo effluit jus, quod uterque habet auxilii petendi, ac dandi obligatio; non autem in prælio, vel bello, vel ipſius exitu, ſive defenſione, ac victoria conſiſtit. Idem evenit in pacto matrimoniali quod in eo vinculo, ex quo mutuum jus, mutuaque obbligatio oriuntur, conficit, habente præcipuum finem propagationem ſpeciei.

29. Obj. 2. Matrimonium Chriſtianorum ſignificare debet unionem Chriſti cum Eccleſia; atqui hujuſmodi unio non ſignificatur niſi per unionem corporum, juxta Divum Auguſtinum, Divum Leonem, ac Innocentium III. a Gratiano allegatos; itaque in corporum unione eſſentia Matrimonii conſtituta eſt; quod etiam indicare videtur Apoſtolus ad Epheſios V. ſcribens: *erunt duo in carne una: Sacramentum hoc*

ma-

magnum eſt : ego autem dico in Chriſto , & in Eccleſia . Revera Divus Gregorius in Epiſtola ad Auguſtinum Cantuarienſem Archiepiſcopum , & Gregorius III. In Epiſtola ad Epiſcopum Bonifacium , ex auctoritate Apoſtolicæ , Romanæque Eccleſiæ ſcripſerunt , quod ſi mulier infirmitate correpta convenire cum marito non poterit ad generationem prolis , hic quidem aliam ducere uxorem poſſit , ea tamen lege , ne ſubſidii opera priori conjugi non ſubtrahat ; itaque ſtare non poteſt matrimonium abſque habituali ſaltem prolis procuratione .

30. Reſp. Conjunctionem ad individuam vitæ ſocietatem , & ad prolis generationem , educationemque , conſenſu conjugum ordinatam ſatis repræſentare unionem Chriſti cum Eccleſia ad generandos , nutriendoſque fideles per gratiam , & caritatem , quin opus ſit habituali , vel actuali corporum unione ; alioquin nec inter valde ſenes nec inter infirmitate laborantes , verum permaneret matrimonium . Egregium eſt effatum Divi Thomæ , & ab omnibus Theologis acceptum , quod in ſupplemento habet , quæſtione XLIV. ſcilicet : *Matrimonium eſſe vinculum , quo conjuges ligantur formaliter , non effective* ; quæ paucis totam doctrinam hujus rei complectuntur .

31. Divus autem Paulus objectis verbis : *erunt duo in carne una* : non unionem corporum denotare voluit , ſed indiſſolubilitatem Matrimonii . Protulerat eam jam per ea verba Adamus Geneſeos II. *quamobrem relinquet homo patrem ſuum , & matrem , & adhærebit uxori ſuæ , & erunt duo in carne una* . Quæ profecto licet ab Adamo pronunciata , ejus tamen cum Eva conjugio non quadrabant , quum neuter parentes haberet , ſed poſterorum conjugia ſpectabant , quibus perpetuam legem de vinculo indiſſolubili poſuit Deus : quæ proinde fuerunt a Chriſto repetita Matthæi XIX , & Marci X. dum interrogatus fuit a Phariſæis de divortiis , an fas eſſet nempe , dimittere Uxorem , ita etiam colligens : *Itaque jam non ſunt duo , ſed una caro* , quod rurſus deſignat , eos ipſos , qui ante conjugium duo erant a ſe ſeparati , ac diviſi , jam non eſſe duos , ſed unam carnem , ob unionem , atque indiſſolubilitatem vinculi , quod tale eſt , ut ex duobus unum veluti quid conſtituat : Deum ipſum hoc vinculum ligaſſe , atque indiſſolubilitatem ejus ita determinaſſe , ut ſolvi ab homine non poſſit . Ea igitur Chriſti verba , & hanc indiſſolubilitatem Matrimonii urgens Paulus eam nexui applicat , ac unioni , quæ Chriſtum inter atque Eccleſiam intercedit ; quo doceat , hoc etiam vinculum indiſſolubile futurum ; quin umquam de Matrimonii eſſentia in actuali , habitualive unione corporum conſtituenda cogitarit . Ceterum , quum aliæ ſint ſignificationes , quæ ad rem ſpectant , aliæ quæ ad rei uſum referuntur , ex quo poſteriores ipſæ aliquando deſinit , inferre non licet deeſſe rem ſuas retinentem ſignificationes , quamvis ab uſu , & ſignificationibus uſus reparatam . Verbis *erunt duo in carne una* uſum denotare voluit Paullus Matrimonii , non ejus naturam , atque eſſentiam ; illiuſque uſui myſticam aptavit ſignificationem , quam veterum aliqui illuſtraverunt .

32. Loca Patrum a Gratiano adducta non reperiuntur apud allegatos patres , ut præſtantiores Theologi , & juris etiam Canonici periti oſtenderunt ; jamque ſatis notum eſt , Gratiani opus poſt tot emendationes nondum ſatis eſſe emendatum , ut adnotat Benedictus XIV. tum Libro IV. de Canonizatione Sanctorum , tum Libro VII. de Synodo Diœceſana cap. 15. immo neque adeo urgenda ſunt aliquorum Pontificum Reſponſa in quibus nil ſolemniter , atque ex Cathedra , ut dicitur , de rebus ejuſmodi definire intenderunt . Innocentius III. cap. 4. de Divortiis poſtquam interrogationi ſibi factæ , utrum Matrimonium inter fideles contractum ſolvi poſſit , ſi Conjugum alter a fide defecerit ; reſpondens , eo etiam in caſu ſolvi non poſſe ; ita ſubdit : *licet quidam prædeceſſor noſter aliter cenſuiſſe videatur* ; denotare volens Cæleſtinum III. qui ſecus antea declaraverat in decretali ſua *laudabilem* . Alexander III. cap. de *Sponſa duorum* , juſte , atque merito decernens , ob ſuperveniens Matrimonium conſummatum cum aliquo , ratum præcedens cum illo ſolvi non poſſe ; ſubdit tamen : *quamvis a quibuſdam prædeceſſoribus noſtris aliter ſit aliquando judicatum* . Difficultatem demum ex Divo Gregorio , atque Gregorio III. ſibi proponens Melchior Canus Libro de locis Theologicis VI. cap. 1. ita cap. 8. ſolvit : profecto Gratianus audacius ſane multo , quam diſertius , ait , illam Gregorii ſententiam Evangelicæ ac Apoſtolicæ doctrinæ eſſe contrariam : a quo ego longe diſſentio , ſubdit ; nam , ut Romanorum Pontificum auctoritatem negligamus , non poſſumus tamen utriuſque Gregorii , & I. & III. contemnere definitionem , cum fuerint ambo tum doctiſſimi , tum etiam Sanctiſſimi . Itaque non errarunt , quod Gratianus falſo exiſtimavit ; ſed locuti ſunt potius de ea , quæ ante infirmitatem incapax erat ad copulam conjugalem , hoc eſt , ut ſcholæ verbis utamur , quæ erat impotens ad ſolvendum debitum : Cujus ſimile exemplum habes titulo de frigidis capite *conſiderationi* . Atque idem Gregorius hoc modo ſententiam ſuam explicat in Epiſtola ad Epiſcopum Ravennatem a Gratiano relata capite *Requiſiviſtis* . Nec deſunt huic argumento aliæ etiam reſponſiones , ſed hæc & planior , & expeditior eſt , quam quoque Gloſſa ſequitur , ideoque ex Orthodoxorum decretis effluere nunquam poterit , in actuali , vel habituali corporum unione eſſentiam Matrimonii eſſe conſtitutam .

C A-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Matrimonio Beatiſſimæ Virginis, quod cum ejus propoſito, vel voto de Virginitate conciliatur.

33. QUum finis præcipuus matrimonii ſit unio contrahentium in propagationem ſpeciei; ac mutuus conſenſus, quem dant conjuges, eſſe debeat in generationem prolis, adeo ut niſi transferatur mutua corporum poteſtas ad prolem obtinendam, nullum eſſe poteſt matrimonium: quæritur quomodo conciliari verum poſſit Virginis Mariæ cum ſancto Joſeph matrimonium cum voto, vel ſaltem propoſito Virginitatis, quod ex communi Orthodoxorum perſuaſione emiſerat, vel habuerat Virgo, antequam matrimonium cum Joſepho contraheret.

34. Et primo quidem ponimus non tantum ſponſalia, ſed verum inter Mariam, & Joſeph fuiſſe matrimonium; ſacræ ſiquidem literæ expreſſiſſimis verbis & Virum Mariæ Joſephum, & Joſephi uxorem Mariam appellant. Non negabimus veteres plurimos aliquos, Origenem nempe, Tertullianum, Hieronymum, Gregorium Nyſſenum, Epiphanium, Cyrillum Hieroſolymitanum, Chryſoſtomum, Gregorium Magnum, Chryſologum aliosque a Joanne Chryſoſtomo Trombellio allegatos Parte I. Diſſertatione X. de Mariæ ſanctiſſimæ vita, & Geſtis Cap. 3. in ea verſatos videri opinione, Mariam ſponſam expreſſam non fuiſſe, & ad verum cum Joſepho matrimonium non perveniſſe, dictamque Joſephi ſacris in literis Mulierem, eo pacto, quo Rachel in eiſdem uxor Jacobi appellata eſt, antequam perveniret ad Nuptias: quæ Veterum teſtimonia a Gratiano Parte II. Decreti allegata, effecerunt, ut plures Juris Canonici periti, de Maria, & Joſepho differentes; contenderint: conſuetudine ſcripturarum, Sponſos, & Sponſas, Maritos, & Uxores fuiſſe appellatos: Mariam Conjugem dici phraſi ſcripturali, quum ſimpliciter ſponſa foret, & quia futura Uxor putabatur, etiamſi ad Nuptias cum Joſepho non pervenerit; præſertim quum profanis etiam a ſcriptoribus, Uxores & Mariti, illi, illæque vocari conſueverint, inter quos tantum ſponſalia interceſſerunt, ut ex Virgilii, Servii, Apuleii, aliorumque teſtimoniis confirmatur.

35. Verum plura ſunt, quæ nos ab hac ratione cogitandi removent: nam præterquam quod Divus Auguſtinus adverſus Julianum, Pelagii ſectatorem, verum fuiſſe inter Virginem, & Joſeph matrimonium fuſe propugnavit, animadvertendum eſt, ſponſalia apud Judæos, & Nuptias, re, pactione, robore, virtute, & ſubſtantia idem plane inter ſe fuiſſe, unis tantum ritibus, & cæremoniis diverſa; deſpondebat enim Judæus plerumque, vel nummulo, vel tabulis mulierem, & deſpondendo habebat jam in ſua poteſtate conjugem apud Parentes adhuc manentem, uſque dum legitimum conventumque tempus inducendæ in nuptiale cubiculum adfuiſſet, ac nuberet ſibi: idcirco jam tum matrimonium erat præſenti conſenſu formatum, cui dirimendo ſcribi debebat Repudii Libellus, perficiendo autem una deerat deductionis ſolemnitas. Ex Hiſtoria Chriſti Jeſu a Sponſa Virgine in utero ſuſcepti, quam Matthæus capite 1. deſcripſit commodiſſime explicabis. Virgo ut mos erat Judæis, Joſepho deſponſata eſt: quumque apud ſuos legitimam moram faceret, nondum in thalamum inducta, neque commorata cum viro, Dei filium de Spiritu ſancto innupta concepit. Non pervenit itaque Maria ad Nuptias, niſi poſt conceptum Jeſum. Poſtea Joſeph ab Angelo admonitus ſociavit Virginem domo perpetuus virginitatis Uxoris ſponſæ teſtis, & cuſtos. Si dixerit ſecus, Matthæi Hiſtoria vix, vel omnino faciles explicatus non habet, ut clariſſimus hoc in ſacrarum literarum interpres, Marthinius, ſuis in Prælectionibus oſtendit.

36. Ad hæc, ut præclari Theologi animadvertunt, num in poteſtatem Joſephi Mariam, adhuc, ut communis opinio fert adoleſcentulam dediſſent Parentes illius; prudentes ſane, nec non ſanctiſſimi, niſi uxor illius fuiſſet? Probe noverant, fateor, Mariæ pietatem, noverant & pietatem Joſephi. An propterea permiſiſſent, ut nondum nupta Joſephi Maria cum eo degeret, & peregrinaretur? Minime vero: id enim prudentia vetat, & Parentibus merito impoſita virginum cuſtodia. An non etiam populus criminis poſtulaſſet & Mariam, & Joſephum, ſi eam fœcundam vidiſſet, & Joſephi longo itinere ſociam, illique tamen non nuptam?

37. Conſtans eſt aliquorum aſſertio Patrum, ſtatuiſſe Deum, ex Virgine quidem, ſed tamen nupta, naſci Chriſtum, tum ut virgineus partus celaretur diabolo, tum ne Mater Salvatoris lapidaretur a Judæis, veluti illicitæ conſuetudinis conſcia. Denique ſponſalia proculdubio Mariam inter & Joſephum celebrata ſunt. Sponſalia quippe ſolemnis quædam, & authentica futuri matrimonii promiſſio ſunt.

38. Nullam vero negotium Theologis faceſſunt indicata veterum nonnullorum teſtimonia, quia eorum aliqui ſolum negant, Mariam tunc fuiſſe Joſephi uxorem dum ad eam Angelus advenit; alii tum ſolum id negant, dum concepit filium, eamque Joſeph occulte dimittere in animo habebat. Qui vero generatim, & abſolute verum interceſſiſſe Matrimonium negant, voces Mariti, & Uxoris in ea ſumunt ſignificatione, qua accipi vulgo ſolent, ideſt ut cum Scholaſticis loquamur, *cum ſua plenitudine, & effectu*, ſive inſpecto communi uſu Matrimonii: quum enim vel Chriſti conceptionem ex Sancto Spiritu, vel Mariæ Virginitatem perpetuam propugnarent, propterea negave-

gaverunt, tale fuiſſe inter ipſam, & Joſeph Matrimonium, ut illius miniſterio filios procreaverint. Canoniſtas autem tanto facilius heic Theologi omittunt, quanto æquum non eſt ab ipſis poſtulare ſolutionem quæſtionum ad Judaicas Antiquitates pertinentium.

39. Conciliandum jam vero eſt ejuſmodi verum, ſanctumque Matrimonium cum propoſito, vel voto Virginitatis; quod Maria emiſiſſe ponitur: quod ſane propoſitum, vel votum, prima videretur fronte opponi, æque ſponſalibus, etiamſi apud Judæos quemadmodum apud nos ſponſalia, & Nuptiæ, re, pactione, virtute, robore, ſubſtantia, idem plane non fuiſſent. Quippe quum Sponſalia ſint promiſſio Contrahentium ad tradenda futuro tempore alteri corporis ſui poteſtatem in generationem prolis, quomodo præbere talem potuit Virgo Sanctiſſima etiam pro futuro tempore conſenſum, ſi vel votum emiſerat, vel ſaltem propoſitum conceperat Virginitatis?

40. Nunc egregie tamen nodum ſolvit Beatus Thomas III. Parte, Queſtione XXVIII. Articulo IV. his verbis: *Mater Dei non creditur antequam deſponſaretur Joſepho, abſolute Virginitatem voviſſe; ſed licet eam habuerit in deſiderio; ſuper hoc tamen voluntatem ſuam divino commiſit arbitrio. Poſtmodum viro accepto ſecundum quod mores illius temporis exigebant ſimul cum eo votum Virginitatis emiſit.* Et rurſus eodem loco idem Præceptor: *non ſimpliciter Virginitatem vovit Dei Genitrix: ſed ſub conditione: ſi Deo placeret.* Quæſtione XXIX. Articulo 1. iterum ita rem explicat S. Thomas ſcribens: *Beata Virgo Dei Mater, & familiari inſtinctu Spiritus Sancti, credenda eſt deſponſari voluiſſe, confidens de divino auxilio, quod numquam ad carnalem copulam perveniſſet. Hoc tamen divino commiſit arbitrio: unde in nullo detrimentum paſſa eſt Virginitas.* Has Beati Thomæ interpretationes commendarunt non Theologi modo noſtri, ſed etiam Proteſtantes, inter quos Caſaubonus exercitatione I. in Baronium numero 56. ſcribens: *Non conſentit cum doctrina Chriſti, ut quæ noverit Virginitatem, viro nubat, qui voti non ſit conſcius, & approbator, juxta doctrinam Apoſtoli 1. ad Corinthios VII. Quare Maria cum Joſepho nupſit, vel voto adſtricta non erat; vel Joſephum habuit conſentientem; quæ etiam ſubtiliſſimi. Thomæ fuit ſententia, & plurium aliorum. Hæc ille.*

41. Talibus conſtitutis egregie conciliatur votum, ſive propoſitum Virginitatis in Matre cum vero ipſius Matrimonio. Quum enim conſtet Matrimonium in vinculo, & nexu, ex quo jus, atque obligatio oritur, eſſe conſtitutum, ſic ut non poſſit Conjux privare Conjugem eo jure, ſi velit Conjux eo jure uti; hæc tamen traditio convenire etiam poteſt cum ſcientia, qua tibi compertum eſt, Conjugem non eſſe uſurum jure ſuo: nam tunc non privabitur a Conjuge Conjux dominio corporis alterius Conjugis; habet enim adhuc, habebitque jus in corpus alterius, tametſi non utatur, vel quod ipſe per ſe nolit uti jure ſuo, vel quod Deus expoſcat ab ipſo, ne jure ſuo colatur. Fac Deum præcipere homini diviti, ne utatur jure ſuo, quod in divitias ſuo ſibi a Patre relictas habet, neque nobiles incolat ædes, neque veſtibus pretioſis induatur, quas tamen poſſideat; ſed omnes opes ſuas ad elevandam miſerorum inopiam inſumat; an non poteſtatem in divitias ſuas adhuc habet homo ille, licet iis non uteretur & rectiſſime eas illi reliquiſſet Pater, etiamſi Dei revelatione Patri innotuiſſet, non aliter opibus uſurum filium, niſi ut in pauperes eas diſtribueret, nihilque ſibi retineret. Quia igitur Deo revelante, intellexit Maria Sanctiſſima non aliter uſurum poteſtate ſui corporis Joſephum, niſi ad ſervandam pudicitiam, & famam ejuſdem Virginis, ad alendum ſuis laboribus filium, quem ipſa per ſe, & ſine Joſephi laboribus, ac miniſterio alere non poſſet; ad eripiendum eumdem puerum ab inſidiis Herodis in regiones valde diſſitas deducendo, quem ipſa per ſe aliis eripere non potuiſſet: ad obtegendum denique Myſterium, quod Deus per ea tempora occultum eſſe volebat, rectiſſime eam poteſtatem Joſepho dedit, probe Deo revelante intelligens, ea poteſtate Joſephum non uſurum, niſi ad eum modum, quo Deus eum uti volebat, eoſque ob fines, quos in eo Matrimonio ſtatuit idem Deus.

42. Concedimus itaque, Matrimonium eſſe traditionem corporis ac gignendos liberos: concedimus, hanc poteſtatem Joſepho Virginem dediſſe; quod tamen cum propoſito Virginitatis conciliari optime non dubitamus, propterea quod noverit, ex divina Revelatione virgo Joſephum tali poteſtate non uſurum. Nam, ut in ſuperioribus diximus, tria in Matrimonio diſtinguenda veniunt, ſubſtantia, uſus, ac finis. Subſtantia eſt traditio mutuæ poteſtatis: uſus eſt unio corporum: finis eſt prolis procreatio. Sic fœdus, ut diximus inter duos Reges, quoddam eſt ortum ex pactione vinculum, ex quo affluit jus, quod uterque habet auxilii petendi, & dandi obligatio ad poſſeſſionem ſibi debitam acquirendam: tametſi fœdere illo; & vinculo, & jure; & obligatione permanentibus ab auxilio petendo, præſtandoque abſtinere demum poſſint, præſertim ſi fœderis finis ſive ſibi debita poſſeſſio alia via acquiratur. Non defuit autem in Conjugio Virginis cum Joſepho Matrimonii finis, non quidem per unionem corporum, ſed Sancti Spiritus opera obtentus. Chriſtus enim illius & finis, & fructus fuit; non ex eo quidem natus, ſed in eo, ut Theologi de Schola loquuntur: eaque ratione ceteris omnibus Conjugiis etiam ratione finis præſtantius fuit, ut Auguſtinus verbis jam citatis animadvertit, ſcribens: *Nu-*

ptia-

Digitized by Google

priarum bonum impletum eſt in illis Parentibus Chriſti, proles, fides, Sacramentum: prolem cognoſcimus ipſum Dominum Jeſum; fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divortium. Nihil itaque vero deerat Mariæ cum Joſeph Matrimonio, etiamſi propoſitum ipſa antea habuerit, vel conditionatum emiſerit Virginitatis votum, cui denique abſolute ſe adſtrinxit, quum Joſephum in eo habuit conſentientem.

CAPUT V.

De Unitate Matrimonii ex principiis Juris naturæ.

43. SEnſus quæſtionis eſt, an homini liceat habere plures uxores ſimul; nam de Mulieribus, an liceat plures ſimul habere Viros, non inquiritur; quamvis enim apud Malabaricos nonnullos populos id in uſu etiam hodierno eſſe teſtentur Scriptores Hiſtoriæ generali Itinerum; & quamvis apud barbaros aliquos etiam populos ejuſmodi conſuetudo fortaſſe obtinuit, immo ex illis Matrimoniis derivata proles illarum lege gentium ad Matrem pertinens, nullum ſocietati incommodum adferre contendatur: communiter tamen id naturæ ordini, & legi repugnare creditum eſt, & adverſari propagationi prolis, & ſi qua fuerit, ipſius educationi: itaque de pluralitate modo uxorum cum eodem viro ſimultanea quæritur.

44. Et initio quidem humani generis prohibitam fuiſſe poligamiam eruunt Theologi ex cap. Geneſeos II. ubi dicitur: *adhærebit Vir uxori ſuæ: erunt duo in carne una.* Licet enim nulla contra ſimultaneam uxorum pluralitatem expreſſa Lex in veteri Teſtamento habeatur; dum tamen ex Hiſtoriæ ſacræ dicendi modo conſideramus, neminem Patriarcharum ante Abrahamum duas ſimul habuiſſe Uxores, excepto Lameh, quem propterea nonnulli Sancti Patres reprehendunt, inde indicium inferendi ſumimus, uxorum ſimultaneam copiam Patriarchis illis non fuiſſe.

45. Venia Poligamiæ Abrahamo data quamvis myſterii ſignificandi cauſa, ut docet Apoſtolus, ad Judæos omnes uſu, conſuetudine, divinoque permiſſu manavit, ut jam culpa vacarent, qui ex Abrahami gente plures ſimul uxores haberent: quare Flavius Joſephus Libro antiquitatum Judaicarum XVII. capite 1. ſcripſerit: *mos nobis patrius eſt plures ſimul uxores habere*: quam conſuetudinem retinere Judæis prohibuit Theodoſius.

46. Inquirunt Theologi, an talis uxorum ſimultanea pluralitas juri adverſetur naturali; qui id negant, ad poligamiam confugiunt Judæorum. Quomodo Abraham, Jacob, David, aliique tamquam electi, & ſanctiſſimi viri in Sacris Literis celebraverunt, qui tamen plures habuerunt ſimul Uxores! Denique animadvertunt, id non opponi primo & præcipuo Matrimonii fini, Liberorum ſcilicet procurationi, atque educationi, quo in caſu revera Naturæ legibus adverſaretur. Favet huic opinioni Divus Auguſt. Libro XXII. contra Fauſtum capite 47. ſcribens: *Peccata alia ſunt contra Naturam, alia contra morem, alia contra præcepta. Quæ cum ita ſint, quid tandem criminis eſt, quod de pluribus ſimul habitis Uxoribus objicitur ſancto Viro Jacob? Si Naturam conſules: non laſciviendi, ſed generandi cauſa illis Mulieribus utebatur; ſi morem: illo tempore, atque illis terris factitabatur; ſi præceptum: nulla Lege prohibebatur.* Quis autem dixerit, juri adverſari naturali, quod Sanctus Auguſtinus fas fuiſſe tuebatur?

47. Sunt alii ex oppoſito, qui ſimultaneam poligamiam naturali juri opponi cenſent, quorum fundamenta memorat Eſtius in Librum IV. ſententiarum. Ceterum etiamſi longe inter ſe diſtare opiniones illæ videantur; ſecus tamen eſt, quum in eo demum Theologi conveniant, quod in eumdem ſententiarum Librum Diſtinctione XXXIII. Divus Thomas docet, pluralitatem nempe Uxorum ſimultaneam primis quidem non opponi juris naturalis principiis, ſed ſecundariis ſolum, & veluti conſequutionibus, quæ inde effluunt: inter conſequutiones ejuſmodi vero aliquas eſſe adeo remotas, ut poſſint invincibiliter ſæpe ſæpius ignorari: quemadmodum evenit apud infideles: proindeque opponi poligamiam ſimultaneam naturali juri latiſſime conſiderato, non autem ipſi ſtricte ſumpto, & ſecundum principia, proximaſque ipſius illationes.

48. Sane, ſi quaſdam conſideramus humanitatis, ut ita dicam, lege, ſi quæ diverſæ fateor videntur, & fortaſſe ſunt juxta diverſitatem hominum, quum non omnibus eodem modo læva ſub parte mamillæ cor ſaliat: ad humanitatem aliis, ad ſeveritatem, & inclementiam aliis proclivioribus; quare quoſnam uſque ad limites ſe ſe Naturæ jus extendat, apud præſtantiſſimos etiam Philoſophos nondum ſatis conſtitutum eſſe videatur; ſi eas inquam, perpendimus humanitatis leges, durum nimis eſt, ut quum totum Mulieris corpus ſit per Matrimonii obligationem in poteſtate viri ad effectum generationis, per idem Matrimonii vinculum viri itidem corpus non debeat eſſe in uxoris poteſtate, ſed cum aliis diviſum. Verum eſt parem non eſſe utriuſque rationem ex parte procreationis prolis; quum Vir eodem poſſit tempore plures Uxores fecundare, non autem mulier a pluribus ſimul fecundari Viris, ut ait Divus Auguſtinus cap. XVII. de Bono Conjugali, & Libro III. de Doctrina Chriſtiana capite 12. quare contra naturam, & Matrimonii finem eſſe dicitur, unam Mulierem plures habere ſimul viros; ſecus Virum plures habere ſimul Uxores: attamen non ne Nuptiæ,

Digitized by Google

poſt peccatum originale ſunt in remedium etiam concupiſcentiæ? Sed quale remedium inde trahent unius viri plures uxorea, quæ, non minus, quam homines, in furias, ignemque ruunt, vel, ut cum Apoſtolo loquamur, carnis habent tribulationem: quodnam inde trahere remedium una mulierum ſuo poterit a Viro aliis ſimul cum Uxoribus implicito. Aliqua vix vero pax una obtineri poteſt cum Uxore: quam obſecro nobis perſuadebimus haberi poſſe cum pluribus, quarum quæque, inſita mulieribus Zelotypia laborans impatiens conſortis ſit in foro maritali, ſuoſque prædiligi optet communi a Patre filios? Unde perpetuum, & inexhauſtum diſſidiorum, turbarumque ſeminarium. Itsque crediderim in Hæbreis toleratam olim a Deo ſatius, quam permiſſa communiter, ac probatam a Deo poligamiam. Nam ut prætereamus obſervatum jam fuiſſe tot præter propter naſci ubique maſculos, quam feminas, adeo ut natura in Matrimonii unitatem tendere, atque conſpirare videatur: quonam alio ex fonte provenit varios inter populos pluralitas uxorum, quam ex libidinis impetu; atque æſtu, primæque neglectu inſtitutionis? Quippe illi, qui ea de cauſſa, id negant, quod copioſæ gignendæ proli neceſſaria ipſa poſt diluvium videtur, profecto in rebus ad hoc negotium pertinentibus haud minus, quam in Regnorum Hiſtoriis hoſpites omnino ſunt. Cetera ſiquidem inter multiplicandæ prolis inſtrumenta numquam poligamiam recenſendam eſſe docuerunt Politicorum filii, licet a ſacris noſtris, immo omnibus alieni, ſive qui a libertate nomen habent ſcriptores, qui magnia immo in præſens Voluminibus eas inter cauſſas numerant deſtructionis, veluti generis humani, Gentiumque, & nationum minimum ad numerum redactarum, vi generandi per polygamiam enervata, ut jam animadverterat Plutarchus. Ex poligamia immo paucorum coactus ſequitur plurium cælibatus. Fac enim in cætu, vel oppido ſexcentos eſſe maſculos totidemque fœminas centumque ex illis maſculis quemque ſex ſibi ducere uxores, nullæ proculdubio erunt fœminæ pro aliis quingentis Viris; propterea Nuptils neceſſario carebunt, non reparato per priorum prope inutilem poligamiam amiſſionis tantæ prolis damno. Salomon ſeptingentas uxores Reginas habuit, tercentaſque concubinas, ex quibus tamen omnibus unicum ſuſcepit Roboamum filium, duaſque filias: quæ ſane proles conferri cum maxima illa non poteſt, quam mille reliquæ mulieres ordinaria obtinuiſſent Lege, ſi earum quælibet cum Viro ſuo conveniſſet. Denique initio Mundi multiplicatio generis humani quam maxime procuranda videbatur; nec proinde tamen permiſſa illo fuit tempore Poligamia: apertiſſimum, niſi fallimur, indicium nec idoneam eam eſſe ad finem obtinendum, nec ea de cauſſa poſt Diluvium in populo Hebræorum toleratam. Ceterum de Poligamia Patriarcharum optimam habes Caroli Merlini Diſſertationem in actis Trivultianis annis MDCCXXX. Articulo 80.

CAPUT VI.

De unitate Matrimonii Chriſtianorum.

49. DE hac igitur ſoliciti eſſe præcipue debemus, propterea quod in ejuſmodi unitatis neceſſitate, & origine non omnino conveniat inter Proteſtantes. Nullam ſimultaneam Uxorum pluralitatem permittendam conſtituit Calvinus, nullam unquam diſpenſationem: quam tamen fieri poſſe credidit Lutherus, qui revera cum magno Principe Protectore ſuo diſpenſavit: omnem immo diſpenſationem hac in re non excludendam ſenſit Bohemerus in Schilterium illuſtrat. Libro II. Titulo XI. propterea quod evidens diſpenſationis hujus prohibitio ſacris in Literis non reperiatur, exque Apoſtolicæ Eccleſiæ praxi diſpenſatum fuiſſe arbitrentur.

50. Orthodoxi id inficiantur, atque ita ex ſacris Literis oſtendunt. Chriſtus apud Matthæum XIX. Matrimonium primævam ad inſtitutionem revocans, dixit: *qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos, & erunt duo in carne una... ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Quid clarius his verbis ad oſtendendum Matrimonium eſſe oportere unius viri cum una tantum fœmina, non ſimul cum pluribus? Apud Lucam capite XVI. inquit divinus idem Legislator: *quicumque dimiſerit Uxorem ſuam & aliam duxerit mœchatur*. Profecto ſi mœchatur, qui priori uxore dimiſſa aliam ducit, quanto magis mœchatur qui aliam ducit priori retenta? Heinc Apoſtolus ubicumque de Matrimonio Chriſtianorum loquitur, ſe ſemper præconceptum habere oſtendit, unicam cuilibet viro eſſe uxorem poſſe: nam ad Romanos capite VIII. ait: *quæ ſub Viro eſt Mulier, vivente viro alligata eſt legi &c.* deinde: *igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi cum alio viro fuerit; ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro*. Et 1. ad Corinthios 7. *Propter fornicationem unuſquiſque uxorem ſuam habeat, & unaquaque ſuum Virum. Mulieri vir debitum reddat, ſimiliter Mulier viro: Mulier ſui corporis poteſtatem non habet ſed vir; ſimiliter autem & Vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed Mulier*. Sermonem ſemper habet Apoſtolus de una tantum Muliere reſpectu ejuſdem viri; itaque ponit tamquam certum, & conſtitutum, virorum neminem poſſe ſimul habere plures fœminas.

51. Hanc fuiſſe perpetuam Eccleſiæ doctrinam, & Chriſtianorum praxim, oſtendunt Patres, Pontifices, concilia inter quæ Tridentinum ſeſſione XXIV. Canone 2. ſtatuit: *ſi quis dixerit li-*

Digitized by Google

licere Chriſtianis plures ſimul habere Uxores, & hoc nulla Lege divina prohibitum eſſe, anathema ſit. Quem canonem laudat, probatque Chemnitius in examine Concilii Tridentini, videlicet in Opere adverſus Concilium ipſum ſcripto: magnum videlicet non legitimæ neque validæ diſpenſationis a Luthero Præceptore ſuo factæ argumentum *(a)*.

52. Et vero cum Samuel Fridericus Willembergius juris Doctor, & in Athenæo Gebennenſi Profeſſor, in ſchediaſmate de finibus Poligamiæ licitæ ſtatuere contendiſſet, *in omni Orbe Chriſtiano rectiſſime Poligamiam ſimultaneam prohibitam eſſe, eamque etiam omni tempore prohibitam eſſe debere, fontem tamen hujus prohibitionis non eſſe jus divinum, ſed humanum, conſcientias ſubditorum æque ac jus divinum ad obſervantiam obligans, ne quod moliantur contra illud clandeſtinis Nuptiis, ob Dei ordinationem, qui in his terris Reges, ac Principes vicarios ſuos fecit, illique media conceſſit ad regendum populum, quæ inter Leges quoque ſunt: Interim Principibus hoc jus aſſerendum eſſe, quod poſſint circa Poligamiam in uno vel altero caſu gravibus de cauſſis diſpenſare*: quum hæc inquam, Auctor ille ſtatuere contendiſſet, mirum eſt quantas ubique excitaverit turbas: Opus certe cum omnium in illud indignatione igni traditum fuit, ut narrat Schelornius in Diſſertatione II. de Libris publica auctoritate combuſtis §. LXX.

53. Obj. 1. Apoſtolus I. ad Timotheum 3. ſcripſit: *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum: Diaconi ſimiliter unius uxoris viri.* Et I. ad Titum 6.: *ſi quis ſit unius uxoris vir*, ait Apoſtolus poſſe ipſum ordinari. Non enim inquit: ſi quis fuerit, id eſt habuerit; ſed ſi quis ſit, ideſt, unam tantum adhuc habeat uxorem; itaque Apoſtolica videntur fuiſſe in Eccleſia Chriſtiani, qui plures adhuc haberent uxores. Quum enim adulti baptizarentur, eſſentque vel ex Judæis, quibus patrius erat mos plures ſimul habere uxores; vel ex Gentilibus, quibus æque plures ſimul permittebantur; veriſimile eſt, Apoſtolos cum illis veluti diſpenſaviſſe, ut plures retinere facti Chriſtiani poſſent: eſto vellent iidem Apoſtoli, eos tantum ordinandos eſſe, qui uxorem unicam haberent: quod confirmatum videtur Hieronymi verbis in Epiſtola ad Oceanum, ita Apoſtoli loca interpretantis: *Ex Judæis erat Apoſtolus: prima Chriſti Eccleſia de Iſrael reliquiis congregabatur: ſciebat lege conceſſum, & exemplo Patriarcharum, & Moyſis familiare in populo noverat in multis uxoribus Liberos ſpargere: ipſis quoque Sacerdotibus hujus licentia patebat arbitrium præcepit ergo, ne eamdem licentiam ſibi vendicent Sacerdotes: ne bina pariter & trina Conjugia ſortiantur; ſed ut ſingulas uno tempore uxores haberent.* Hæc Hieronymus. Quum itaque Apoſtolica lege ſolis Miniſtris ſacris Poligamia vetaretur, veriſimile eſt, cum fidelibus laicis fuiſſe diſpenſatum.

54. Reſp. Apoſtolum citatis locis præcepiſſe ne Miniſtri ſacri ordinarentur ii, qui plures ſucceſſive Uxores habuiſſent: quod clare patet ex iis, quæ ſtatuit de Diaconiſſis 1. ad Timotheum V. ſcribens: *Vidua eligatur, quæ fuerit unius Viri uxor.* Num enim exiſtimabimus apud Gentiles, vel Judæos, vel Chriſtianos, tunc repertum iri fœminas, quæ plures ſimul habuiſſent Viros? Nihil profecto minus. Itaque quemadmodum in Diaconiſſis ſucceſſivam ſolum Poligamiam excludebat Paulus, ita etiam in Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis: ideoque ex præcepto ejuſmodi non eſt, cur ſuſpicemur de Poligamia ſimultanea Laicis permiſſa *(b)*.

55. Et vero Juſtinus Martyr, in Dialogo cum Tryphone Judæo, Judæis objiciebat ſimultaneam uxo-

(a) Patet heinc quam iniqui ſint rerum æſtimatores illi, qui a libertate nunc nomen habent, & perpetuo objectant aliquos primæ ſtirpis Francorum Reges, chriſtiano ſub nomine in Poligamia ſimultanea verſatos. Sunt qui id negant, ſunt qui de eo ſaltem dubitant: fac revera Poligamos fuiſſe, non intelligo quid ejuſmodi ex ſcandalis adverſus inculpatam Eccleſiæ doctrinam, atque diſciplinam extundi per vim etiam poſſit. Quid enim Eccleſia egiſſet cum Principibus vix ex ſolo nomine Chriſtianis, ætateque, qua Reſpublica non ſolum, ſed Eccleſia ipſa mille in periculis, & malis verſabatur? Nam ex ratione agendi peſſimorum hominum norma Legis eruenda? Minime profecto. Qui enim talibus ex factis, ſi quæ denique fuere, inferre pergeret, Poligamiam fuiſſe ab Eccleſia toleratam; ita minus recte ratiocinaretur, atque ille qui ex impiis quibuſdam Judæorum, vel Iſraelitarum Regum actis, conſequeretur, ſtante Hebræorum Republica, aliquam circa præcipua Legis præcepta factam fuiſſe Leviticis a Sacerdotibus diſpenſationem.

(b) Fac tamen Apoſtolum de ſimultanea Poligamia loquutum eſſe: nonne proprius, & naturalis tunc erit verborum Pauli ſenſus; illum non fuiſſe ad Miniſterium ſacrum admittendum, qui ante Baptiſma plures ſimul uxores habuiſſet. Quare animum Apoſtolus intenderit ſimultaneam in Poligamiam non reſpectu hominis jam baptizati, ſed reſpectu illius, dum adhuc inter Judæos, vel Gentiles verſabatur. Hoc etiam ſane ſenſu nullum præbebit Paulus Fundamentum diſputationis alicujus reſpectu Laicorum, qui ſemel Baptiſma ſuſceperunt.

uxorum pluralitatem, ſuo adhuc tempore vigentem, & ejuſmodi Poligamiæ opponebat unitatem Matrimonii Chriſtianorum, pro Chriſti præcepto, & Lege, noſtris moribus receptum. Quanam fronte, obſecro, candidiſſimus Martyr id objicere ſagaciſſimo Judæo potuiſſet, ſi vel per diſpenſationem plures aliquando uxores fuiſſent ab Eccleſia Chriſtianis aliquibus permiſſæ? Sæculo ſecundo, & tertio maxima fuit inter Catholicos, & Montaniſtas, atque Novatianos controverſia de ſucceſſivis Nuptiis. Hæretici illi invehebantur adverſus Orthodoxos, quod eas non vetarent: quanto majore fuiſſent impetu in noſtros debacchati, ſi uxores ſimultaneas aliquando permiſiſſent? Noſtri ad loca Divi Pauli allegata confugiebant, quibus evincerent ſecundas nuptias Laicis eſſe licitas, & Miniſtris ſacris tantummodo interdictas: Montaniſtæ, & Novatiani ex oppoſito Pauli doctrinam ad Laicos æque extendendam eſſe contendebant: tum Orthodoxi tamen, tum etiam Novatiani, & Montaniſtæ, verba Apoſtoli non de ſimultaneis, ſed de ſucceſſivis Uxoribus accipiebant. Aliqui fuere demum, ut videbimus, qui pro civilium libertate legum Repudio abutebantur; & vivente priore uxore, ipſa æque dimiſſa jungebantur alteri. Verum & ipſi in eodem ſaltem tempore, ſe ſe in unius uxoris conjunctione continebant.

56. Quod ad Hieronymi locum attinet, eo abuti non deberent Adverſarii. In primis enim S. Pater Libro 1. adverſus Jovinianum verba Apoſtoli optimo ſenſu interpretatur, ſcribens: *oportet ergo Epiſcopum eſſe unius uxoris virum, qui unam uxorem habuerit, non habeat*. Quo Commentario nil in rem noſtram clarius. Sed in Epiſtola ad Oceanum, rem difficilem ſibi ſuſtinendam ſumpſerat Hieronymus: Carterii ſcilicet cujuſdam Epiſcopi Hiſpani Ordinationem ſibi defendendam propoſuerat, qui cum unam antequam baptizaretur, alteram poſt lavacrum priore mortua duxiſſet uxorem, Bigamiæ propterea poſtulabatur, & contra Apoſtoli ſententiam fuiſſe, qui in Catalogo virtutum Epiſcopum *unius uxoris* præcepit ordinandum. Ut autem locum hunc non officere ordinationi illius, quem tuebatur, oſtendere ſtuderet, neſcio quomodo in devia rapitur Hieronymus; nam ita auſpicatur: *Miror autem ſe unum protraxiſſe in medium, quum omnis mundus his ordinationibus plenus ſit; non dico de Presbyteris, non de inferiori gradu, ad Epiſcopos venio, quos ſi ſigillatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, ut Ariminenſis Synodi multitudo ſuperetur*. Quis ſtatim non intelligit Hieronymum hoc loco nimium exaggerare? ſcripſerat & Tertullianus in Libro de Monogamia Capite 6. contra Orthodoxos; *Quot & Bigami præſident apud vos, inſultantes utique Apoſtolo, certe non erubeſcentes &c.* Quæ verba perpendens Cardinalis Urſius in Diſſertatione Hiſtorica de Capitalium Criminum abſolutione ſectione II. Capite V. ſcripſit: *quis unquam, præter unum Tertullianum Hæreticum, & apertum Eccleſiæ hoſtem, id aliquando memoriæ prodidit? Quis ignorat, quanto ſemper in honore fuerit, & quam religioſe a Catholicis cuſtodita de non adlegandis in Clerum Bigamis, lata ab Apoſtolo lex? Quot, inquit Bigami præſident apud vos? Quot, inquam? cede eorum Catalogum: Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt: præcipuarum Latercula Euſebius in Hiſtoria exhibet; nullum in eis Bigamum lego, pleroſque virgines, paucos Monogamos: ad eorum inſtar ceteros Epiſcopos conſtitutos eſſe non dubito: nec Tertulliano vereor dicam mendacii impingere, & ſycophantam traducere, ſi de pluribus, quod ejus verba præſeferunt*. Hæc Cardinalis, cujus, ſicut & Tertulliani verba de Bigamis ſucceſſivis non ſimultaneis certe ſunt.

57. Ut ad Hieronymum revertamur, poſt jam allegata verba proſequitur factum, de quo agebatur, vindicare, & in præcepto Apoſtolico, *unius uxoris virum*, moralem tantum rationem attendens, videlicet, incontinentiæ ſuſpicionem in Bigamo, oſtendere ſtudent, eum non eſſe a ſacris Ordinibus arcendum, qui ante Baptiſmum uxorem quum habuiſſet, ea mortua alteram poſt Baptiſmum accepit, propterea quod omnis incontinentiæ labes Baptiſmo purgata cenſetur, & Baptizato, tanquam novo homini, nihil prioris incontinentiæ imputari debeat. Sic enim pergit: *Quantam vim habeat Baptiſma, & aqua in Chriſto ſanctificata gratiam, paululum poſt docebo: interim juxta vulgare Proverbium malo arboris nodo malus cuneus requirendus eſt. Hoc quod dicitur, unius Uxoris Virum, poteſt & aliter diſleri: ex Judæis erat Apoſtolus: prima Chriſti Eccleſia de Iſrael reliquiis congregabatur*, & cetera in objectione exſcripta, deinde addit: *nonnullos interpretari uxores pro Eccleſiis, viros pro Epiſcopis debere accipi*: tandem ita concludit: *Hæc univerſa proferimus, non quo vera, & ſimplici intelligentiæ reſiſtamus; ſed ut doceamus te ſcripturas ſanctas ita intelligere, ut ſcripta ſunt, nec evacuare Baptiſmum Salvatoris, & totum patibuli Sacramentum irritum feciſſe*. Ex hac vero commentatione, rationeque dicendi Hieronymi quidnam ſequitur? Illud ſane, interpretationem loci Apoſtoli, prout videntur miniſtri tantum ſacri Eccleſiæ Chriſtianæ opponi ſacris Miniſtris Judaicæ Eccleſiæ in negotio ſimultaneæ Poligamiæ, eam, inquam, interpretationem non fuiſſe a Hieronymo prolatam, tamquam genuinum Pauli ſenſum; ſed tantummodo, ut implicaret, & illaquearet Adverſarium, vel quodammodo confunderet; ſique poſſet, ut oſtenderet, ex verbis & mente Apoſtoli non ſequi, eum qui amiſſa priore uxo-

re ante Baptiſmum, aliam poſt Baptiſma duxiſſet, in Bigamiam non incidiſſe ab Apoſtolo ut impedimentum ordinationi conſtitutam. Equidem cum hac meditatione Hieronymi non conveniunt doctrinæ Ambroſii, & Auguſtini, neque reſponſiones Innocentii I. & III. qui tamquam vere Bigamos, ideoque ſacris ab ordinibus arcendos, exiſtimaverunt eos omnes, qui duas ſucceſſive uxores, ſive ante, ſive poſt Baptiſmum, habuiſſent. Attamen in tota Hieronymi Epiſtola neque verbum reperitur, quod ſimultaneæ faveat Laicorum fidelium Poligamiæ, vel aliquam in ejuſmodi re innuat diſpenſationem. Verum fac adhuc Paulum ſimultanea de Poligamia tunc loquutum reſpectu tantummodo eorum, qui in ſacro jam miniſterio verſabantur; nunquid propterea Laicis, qui Chriſto ſemel nomen dederant ſimultanea Poligamia fuerit permiſſa? Nam quum Apoſtolus non modo ſcripſerit: oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris Virum, ſed eum æque voluerit eſſe, irreprehenſibilem, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, non violentum, non percuſſorem, non litigioſum, non cupidum, &c. Ita Capite XII. Libri de Monogamia ratiocinabatur Tertullianus. *Age jam qui putas exceptionem monogamiæ de Epiſcopis factam, recede & a reliquis ſimilis Diſciplinæ, qui cum Monogamia Epiſcopis adſcribuntur: noli eſſe irreprehenſibilis, ſobrius, bene moratus, hoſpitalis, docibilis; quin vero & vino deditus, & manu promptus ad cædendum, & pugnax, & pecuniæ amans, & domum non regens, nec filiorum curans diſciplinam, ſed nec ab extraneis bonam famam ſectans. Si enim ſuam habent Epiſcopi legem circa monogamiam, etiam cetera, quæ monogamiæ accedere oportebit, Epiſcopis erunt ſcripta. Laicis vero monogamia non convenit, quibus cetera quoque aliena erunt.* Non negaverim, Tertullianum ita diſſeruiſſe, ut inferret ſecundas Nuptias ſucceſſivas remanere etiam Laicis prohibitas: qua in re procul dubio errabat: attamen vis ipſius ratiocinii in eo valet, ut ex quo etiam Apoſtolus ſimultanea de Poligamia ſacris miniſtris vetita, tunc tantummodo dixiſſet, non inde conſequi fas eſt, licitam eam, vel permiſſam Laicis fidelibus fuiſſe; veluti id Apoſtolus per oppoſitionem ad Laicos ſcripſerit; ſed illud modo colligendum abſtinentiam a pluritate ſimultanea uxorum in omnibus Chriſtianis requiſitam, multo magis ſacris Eccleſiæ Miniſtris fuiſſe neceſſariam.

58. Obj. 2. Si Apoſtoli primos Chriſtianos ad unam uxorem adſtrinxiſſent, magnum propagationi Religionis attuliſſent obicem. Quomodo enim potuiſſent tum Judæi, tum Ethnici, in Chriſtiana etiam ſacra bene animati eiſdem nomen dare, ſi opus fuiſſet, una excepta, illas relinquere uxores, quibus fidem dederant, & quibuſcum vitæ conſuetudine jam diu tenebantur? Scilicet hoc in caſu eſt, inquiunt Politicorum filii, & qui a libertate nomen habent ſcriptores, cur ab Africa, & Oriente exulet Chriſtianum nomen; quippe quod illarum homines regionum, ob calorem cæli, unica non poſſint uxore contenti eſſe. Veriſimile igitur eſt Apoſtolos, habita infirmitatis humanæ, & conſuetudinis ratione, cum aliquibus ſaltem fidelibus diſpenſaſſe: nam apud Habiſſinos, etiamſi Chriſtianos, ſimultaneam tolerari Poligamiam tradit Jobus Ludolfus Libro III. Hiſtoriæ Ethiopicæ Capite I. ſimile igitur vero eſt Apoſtolos cum ipſis diſpenſaviſſe habita ratione infirmitatis humanæ, & conſuetudinis, ea prope ratione, qua permiſſus fuit aliquando apud Chriſtianos Concubinatus, admiſſis ad Baptiſmum, & Euchariſticam communionem, qui in eo verſabantur, ut ex plurimis Canonibus oſtenditur, ergo &c.

59. Reſp. Falſis niti præconceptis, quæ priore proponuntur loco. Præconcipit enim qui ea obiicit, omnes Ethnicos, & Judæos, ſolitos fuiſſe ſimul ducere uxores, quum ex oppoſito ad jus facultativum id tantummodo ſpectaſſet; & apud Ethnicos id probro etiam fuiſſet: nec animadvertunt adverſarii, Chriſtianos Apoſtolicæ ætatis fuiſſe plurimum infimæ conditionis homines, quibus etiam in Judaiſmo, & Gentilitate facultas eſſe non poterat alendi plures uxores. Neque vero qui pluribus implicati uxoribus, Chriſto dare nomina optaſſent, forte fortuna eas debuiſſent barbare, & inhumaniter expellere: verum ſatis erat, ut ſinguli priori, quam duxerant in conſortium thalami, retenta, cum ceteris, tamquam cum ſororibus verſarentur, quemadmodum ſacri Paſtores docebant, ipſique Miniſtri ſacri honeſte olim ex legitimo in matrimonio cum unica verſantes, ſponte, libereque faciebant; immo ſtudio puritatis plures etiam Laici, ut in Hiſtoriis Eccleſiaſticis habemus. Certe Judæi in uſuram magis, atque Ethnici magis in Idololatriam propenſi erant, quam in Poligamiam, ac divortia, & repudia: atqui nec Idololatria, nec uſura, nec aliæ tot labes, converſioni plurimum Judæorum, & Gentilium obſtiterunt; cur itaque ut converterentur, diſpenſandi fuiſſent in Poligamia? Ex dura vero, ut videbatur, neceſſitate has, una excepta, relinquendi, acti non fuiſſent ad diſpenſandum hac in re Apoſtoli; tum quia docuerat Chriſtus, uxorem etiam propter ſe; dum neceſſitas urgebat, eſſe relinquendam; tum quia Apoſtoli Chriſtum prædicabant Crucifixum, etiamſi Gentilibus ſtultitia foret, ut Judæis ſcandalum: immo ex præcepta a Chriſto matrimonii unitate, inferre inde fideles poſſent, illius doctrinam eſſe maxime divinam, principiiſque naturæ conſonam, & humanitatis.

60. Jam vero qui ponunt Religionem Chriſtianam ex Orientalibus, & Africanis regionibus exulare nunc ob vetitam Poligamiam, ii non præteriti

teriti modo, ſed hodierni rerum ſtatus oblviſcuntur. Nonne in Africa, & Oriente tot ſpatio ſæculorum res floruit Chriſtiana, multoque adhuc magis quam in reliquis Occidentis partibus? Nonne hodierna etiam ætate, quamvis Infideles in partibus illis dominentur, myriades adhuc tamen Chriſtianorum ſunt a Poligamia abhorrentium? Nunquid Chriſtiana fides, & profeſſio tot divinis auxiliis, totque roborata ſacramentis, ſuos non poterit ſectatores in unitate matrimonii continere? quod autem de Poligamia aliquorum, qui Æthiopicam ad Eccleſiam pertinent, veluti hodieque in illis tolerata refert Ludolfus, omni falſitate laborare, ſive potius eam a Patriarchis Jacobitarum Alexandrinis ſæpe fuiſſe damnatam, adverſus ſcriptorem illum adnotat Renaudotius in Præfatione ſua ad collectionem Liturgiarum Orientalium. Per calumniam demum dicitur, Eccleſiam toleraſſe in aliquibus concubinatum. Duplex ipſe olim erat, alius temporarius, alius perpetuus. Prior inter illicitas conjunctiones numeratus ſemper fuit, in eoque verſantibus neque Baptiſmus, neque Euchariſtica communio conceſſa umquam fuit. Perpetuus autem, pro Hebræorum non modo & Græcorum, ſed pro Romanorum etiam Longobardorum, Francorumque moribus, & legibus, aliud nil olim erat, quam Clandeſtinam, & minus principale matrimonium, carens quidem ſolemnitatibus, & affectionibus civilibus ſolemnis matrimonii, hujus tamen vim habens, naturam, & eſſentiam; ideoque a fornicaria, & illegitima conjunctione diverſiſſimum. Et nonnulli quidem Patres majorem conſiderantes ſolemnis matrimonii perfectionem, & periculum imminens verſantibus in perpetuo etiam concubinatu, ipſos hortabantur, ut eo omiſſo ſolemnes contraherent nuptias. Unde illa Divi Ambroſii ſermone de ſancto Joanne Baptiſta: *ſi talibus moribus mulier prædita eſt, ut mereatur conſortium, mereatur & nomem uxoris*. Plura tamen pro civilibus illorum temporum Legibus, & moribus obſtabant, ne bene etiam animati ſolemnia, & juſta contrahere poſſent matrimonia: quare Divus Hieronymus in allegata ad Oceanum Epiſtola ſcribebat: *Multos videmus, ob nimiam paupertatem, uxorum ſarcinam declinare, & ancillas ſuas habere pro uxoribus, ſuſceptoſque ex his liberos colere ut proprios: qui ſi fore ditati ab Imperatore, ſtolam illius meruerint, confeſtim Apoſtolo colla ſubmittent, & in iſi inter uxores eas recipere cogentur*. Quo in loco ad conjugia ſervorum alludere Hieronymus videtur, vel ad illas pauperum nuptias, quæ quum dote ſæpenumero carerent, juſtum, & legitimum conſtituere matrimonium non poterant. Perpetuum illum Concubinatum cum noſtris prope matrimoniis conſcientiæ contuleris, eo eum diſcrimine, ut hæc quamvis occulta in Sacerdotis tamen, & ſecretorum teſtium præſentia celebrentur. Ad veras illas permiſſaſque, inferioria ello conditionis eo tempore uxores reſpexiſſe Canones, & Patres, qui Baptiſmum, & Communionem talibus concubinariis tradebant, evincunt Antonius Auguſtinus, Eſtius, Bellarminus, Binius, Natalis Alexander, Clariſſimus in hoc Regio Athenæo ſacrorum Canonum Interpres, Berardus, & Benedictus XIV. Libro IX. de Synodo Diœceſana Cap. 12.

61. Objiciunt 2. factum Valentiniani Imperatoris, qui licet Chriſtianus duas ſimul duxit uxores, Severam nempe, & Fauſtinam, nec non veteres aliquot Francorum Reges, qui Chriſtiana in profeſſione educati, ſimultanea in Poligamia verſati ſunt.

62. Reſp. Verum quamvis de Valentiniani præſertim facto plura reſponderi ſoleant, nec a cunctis omnea objectæ Principum Poligamiæ concedantur; ex ipſorum tamen doctrinis adverſariorum placet huic occurrere difficultati. Bohemerus ſiquidem in ſuo jure Eccleſiaſtico Proteſtantium ad Libri IV. Titulum XIX. ubi agit de divortiis, candide fatetur, quandiu Matrimonialis cauſæ excluſis Eccleſiaſticis foris, ad Fora ſecularia privative ſpectaverunt: quod ad XI. uſque ſæculum factum eſt in Occidente, ulteriuſque in Oriente, plura eveniſſe Matrimonia li in re principiis Legum Chriſti atque Eccleſiæ contraria; Patres quidem eos, quæ ad pietatem, & ſalutem directa erant prædicaſſe, & urſiſſe, Chriſtique ad Leges Matrimonia revocare ſtuduiſſe: quare notiſſima illa Hieronymi de Matrimonio Fabiolæ: *aliæ ſunt Leges Cæſarum, aliæ Chriſti; aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcepit*; & Divus Auguſtinus Homilia XLIV. *Non jure fori, ſed jure Cæli* res ejuſmodi ut judicarentur hortabatur & optabat: ab Epiſcopis etiam eos, qui hoc in negotio peccaſſent publicæ ſubjectos fuiſſe pœnitentiæ adverſarii animadvertunt: ſubdentes tamen omne malum non ſtatim averuncari potuiſſe, propterea quod plura nondum eſſent Legibus civilibus damnata, vel impotenti damnationa ea fierent, quæ communiter erant inter Chriſtianos reprobata. Talibus igitur rariſſimis ex factis inferre Poligamiam non fuiſſe a Chriſto vetitam, vel poſſe circa ipſam diſpenſari, Idem eſſet, atque ex Iſraelitarum, Judæorumque Regum, actis, quibus divina præcepta violarunt, inferre nullam fuiſſe latam Hebræis Legem, vel, ſtante Judæorum Republica, aliquam circa præcipua Legis præcepta potuiſſe fieri diſpenſationem.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Dignitate Sacramentali Matrimonii.

63. Chriſtum Dominum extuliſſe Matrimonium ad Sacramenti dignitatem, ita evincimus. Certum eſt Eccleſiam in Conciliis non ſemel definiviſſe ſeptenarium Sacramentorum numerum, & in eo matrimonium numeraſſe; certum immo eſt, Eccleſiam Græcam, tot jam a ſæculis a Latina ſeparatam Chriſtianorum nuptias rite celebratas, tamquam Sacramentum venerari, atqui hoc non eveniſſet, niſi utraque Eccleſia ex Traditione id accepiſſet; itaque tum ex Traditione, tum ex Eccleſiæ auctoritate ponendum eſt matrimonium ſi apud Chriſtianos rite celebratur, habere dignitatem Sacramenti. Perpetuam tamen fuiſſe hac de re Traditionem inficiantur Proteſtantes; nam inquiunt, ante Concilia Conſtantienſe, Florentinum, & Tridentinum, non videtur ejuſmodi opinio fuiſſe communiſſime recepta. Durandus ſiquidem non Magiſtrum modo ſententiarum, ſed juris Canonici peritos, & impune propugnavit, Matrimonium gratiam non conferre. Quorſum autem ponamus Sacramenti genus, ſubdunt, a quo, & per quod Gratia non conferatur? Certe juxta effatum Romanæ Eccleſiæ Doctorum, quod ab omnibus, quod ubique; quod ſemper creditum eſt, illud de fide eſt; ſed ejuſmodi non eſt dignitas ſacramentalis in Matrimonio etiam rite celebrato; quum eam Scholaſticorum Principes tamquam probabiliorem opinionem plurimum docuerunt; ergo &c.

64. Verum ex Axiomate laudato perperam intellecto quam multi errores proceſſere? Non enim illius ſenſus eſt, illud ſolum de fide eſſe, quod ab omnibus, quod ubique, quod ſemper creditum eſt; neque ejuſdem ſenſus, illud quod neque ab omnibus, nec ubique, nec ſemper creditum eſt, caput fidei eſſe non poſſe; ſed verus ipſius ſenſus eſt, ea, quæ ab omnibus, quæ ubique, quæ ſemper credita fuere ad fidem pertinentia, procul dubio capita fidei; eſſe; quum invictum revera ſit argumentum ex univerſalitate, antiquitate, ac perpetuitate derivatum. Non inde tamen ſequitur, ut nihil aliud, quam quod eſt ejuſmodi, non poſſit, & porro credi non debeat de fide; quum plura aliquando implicite tantum fuerint de fide, quæ poſt propoſitionem, explicationem, & declarationem, definitionemque factam ab Eccleſia, explicite credi deberent; non quod ut evadere de fide poſſit, quod antea caput fidei non erat; ſed quod id explicite ad credendum de fide tandem reponatur, quod antea implicite tantum ad fidem pertinebat. Quomodo enim ſæpe adeo vindicamus Eccleſiæ Patres, totque Catholicos ſcriptores, in aliquibus ad fidem hodie pertinentibus olim veluti hallucinatos, non alia profecto ratione, niſi quod de rebus illis liberius ſcripſerint ante determinationem, & definitionem Eccleſiæ. Etiamſi igitur concederemus non poſtulaſſe, ut ſacramentalem profiterentur matrimonii dignitatem, non inde inferre fas eſſet, veritatem hanc implicite ad fidem non ſpectaſſe, poſtque Conciliorum decreta non eſſe explicite credendam; nam etiamſi hoc in caſu deeſſet huic dogmati antiquitas, univerſalitas, perpetuitas, non deeſt illis tamen nunc Eccleſiæ Catholicæ auctoritas, quæ eam tamquam fidei caput proponens, atque ſtatuens, non minorem ipſi confert certitudinem, quam a conſenſione acciperet, antiquitate, & perpetuitate. Non quidem ut Eccleſiæ adfirmare fas ſit id quod antea negaſſet, vel id quod antea adfirmaviſſet, negare: quod quidem contradictionis monſtrum in ſanctiſſima Chriſti ſponſa ne ſuſpicari quidem licet: ſed quod ipſa demum proponet credendum de fide, quod ante explicite nondum propoſuerat, quemadmodum etenim in Canone ſacrarum ſcripturarum, in quo alii ſunt Protocanonici Libri, alii Deuterocanonici, ideſt, de quorum divinitate foret aliquando dubitatum. Si autem fuiſſe aliquando de illorum divinitate dubitatum, non abfuit, quin eorum divinitatem definiverit Eccleſia, cur ſacramentalem matrimonii dignitatem declarare non potuerit, etiamſi ante Eccleſiæ decretum a nonnullis fuerit de tali dignitate dubitatum?

65. Obj. 1. Primus, qui Matrimonium fidelium dixit eſſe Sacramentum, fuit Divus Auguſtinus, cujus ea a vobis citari ſolent teſtimonia Libro I. de Nuptiis, & Concupiſcentia Cap. 17. *In Nuptiis bona Nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum.* Et Libro de Bono conjugali, Capite 17. *In Chriſtianorum Nuptiis plus valet ſanctitas ſacramenti, quam fecunditas uteri.* Sed non animadvertunt Romanæ Eccleſiæ Doctores, inquiunt Adverſarii, vocem ſacramenti apud Auguſtinum longe diverſo ſenſu acceptam fuiſſe ab eo, quo fuit a Tridentino uſurpata; ſacramenti ſiquidem nomine aliquando ipſam indiſſolubilitatem Matrimonii denotare voluit Auguſtinus, quemadmodum Libro I. de Nuptiis, & concupiſcentia Capite 12. ubi inquit: *Nuptiarum bonum impletum eſt in Chriſto, proles, fides, Sacramentum: prolem cognoſcimus ipſum Dominum Jeſum; fidem quia nullum adulterium; ſacramentum, quia nullum divortium.* Num novæ legis Sacramentum pones in matrimonio Beatiſſimæ Virginis cum Joſepho? non crediderim. Locus ex Libro de bono conjugali, ſi integer adducatur, id quod contendimus confirmat: eſt ſiquidem ejuſmodi: *Nec cauſſa ergo numerationis prolis fecerunt ſancti noſtri, quod dicitur feciſſe Cato Romanus, ut traderet viris uxorem, alterius Domum filiis impleturam.*

Digitized by Google

ram. In noſtrorum quippe Nuptiis plus valet ſanctitas ſacramenti, quam fœcunditas uteri. Nonne Sacramenti nomen heinc uſurpat Auguſtinus pro fide in perpetuam vitæ ſocietatem? quod magis explicatur ex eo quod ſanctus Pater iterum ſcripſit in Libro de fide, & operibus Capite 7. *in Civitate Domini in Monte ſancto ejus, hoc eſt in Eccleſia, Nuptiarum non ſolum vinculum, verum etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat Viro uxorem ſuam alteri tradere: quod in Republica tunc Romana non ſolum minime culpabiliter, verum etiam laudabiliter Cato feciſſe perhibetur.* Non aliud igitur erat Auguſtino Sacramentum Matrimonii, quam ipſius inſolubilitas. Aliquando Sacramenti Matrimonii nomen intellexit Auguſtinus Myſticam repræſentationem unionis Chriſti cum Eccleſia, quæ per fidelium Matrimonium ſignificatur. Ex eo quippe quod de Matrimonio ſcribens Apoſtolus ad Epheſios V. dixerit: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Heinc totus fuit Auguſtinus, ut myſterium ejuſmodi conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, myſtice in unione contrahentium fidelium ſignificatum, ita explicaret, ut quemadmodum indiſſolubilis eſt unio, quæ intercedit inter Chriſtum, & Eccleſiam; ita & indiſſolubile debeat eſſe vinculum quod eſt inter Virum, & Uxorem: quod ejus dicendi modus magis manifeſtat; ſiquidem Libro I. de Nuptiis, & Concupiſcentia Capite I. inquiebat: *Non tantum fœcunditas, cujus fructus in prole eſt, nec tantum pudicitia, cujus vinculum eſt fides; verum etiam quoddam Sacramentum Nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis.* Et Libro de Bono conjugali Capite 15. ita rurſus: *ſemel initum Connubium non poteſt niſi alicujus eorum more diſſolvi, uſque adeo cujuſdam Sacramenti res eſt.* Ubi notanda diligenter verba: *quoddam Sacramentum Nuptiarum: quædam Sacramenti res*, hoc eſt res, quæ involvit myſterium, involvit myſterii ſignificationem; ſignificat unitatem Chriſti cum Eccleſia. Verum ex quo res aliqua myſterium involvit, ſignificat, denotat, num propterea dicenda verum erit Novæ Legis Sacramentum, & inſtrumentalis cauſſa gratiæ reſpectu eorum, in quibus invenitur? Minime profecto. Regnum Dei in Evangelio ſub repræſentatione agri, ſeminis, aliiſque terrenis adumbratur rebus, quibus tamen nulla adſcribitur ratio veri ſacramenti. Illud quam maxime cordi erat Auguſtino, evincere videlicet, neque per adulterium ſolvi debere, vel poſſe vinculum Connubii. Id ut obtineret, nil opportunum magis duxit, quam urgere myſterium, quod eſt in Matrimonio Chriſtianorum, nempe repræſentationem unionis Chriſti cum Eccleſia: nam quia unio Chriſti cum Eccleſia indiſſolubilis eſt, colligebat ſanctus Pater, conjugale etiam vinculum non obſtante adulterio remanere indiſſolubile, repræſentationem conferens cum repræſentato, proindeque ipſam repræſentationem quoddam Sacramentum Nuptiarum appellavit; poſteriorum autem Scriptoribus temporum vox ſacramenti fucum fecit; atque ex Sacramento, quod aliud non erat, quam myſterii cujuſdam, & reconditæ rei myſtica ſignificatio, verum, & proprium conſtituerunt Novæ Legis Sacramentum.

66. Reſp. Non tueri nos ſacramentalem Matrimonii fidelium dignitatem ex allegatis Auguſtini teſtimoniis in quibus fatemur vocem Sacramentum ſignificare nunc fidem in perpetuam vitæ ſocietatem, nunc indiſſolubilitatis matrimonii ſpecialem cauſſam videlicet repræſentationem indiſſolubilis unionis Chriſti cum Eccleſia; alii ſacramentalem eas ad dignitatem a Chriſto evectas ſenſere dum in Cana Galileæ ipſis interfuit; alii dum matrimonium ad primævam revocavit unionem; alii demum dum matrimonialem benedictionem a Sacerdote conjugibus fidelibus impertiri conſideraverunt, quam benedictionem inanem eſſe vel haberi non emiſere; ſuntque propterea præſtantiſſimi inter Catholicos Theologi, qui non omnia fidelium matrimonia, in ratione contractus rata, & valida, æque arbitrantur eſſe ſacramenta; ſed ea ſolum, quæ a ſacro ſunt miniſtro per ſacrum ritum, ſacramque Religionis cæremoniam, & Eccleſiæ benedictione celebrata. Sed de hoc poſtea. Indicata ſanctorum Patrum teſtimonia apud Theologos paſſim proſtant (*a*).

67. Obj. 2. Si finis fructuſque præcipuus matrimonii eſſet prolis generatio, quænam neceſſitas gratiæ ſupernaturalis ad finem adeo naturalem obtinendum?

68. Reſp. Finem quidem, & præcipuum matrimonii fructum eſſe generationem prolis. Verum cum poſt originale peccatum hæc abſque pudenda libidine procurari non poſſit; cumque Conjuges præ ceteris, ut inquit Apoſtolus I. ad Corinthios 7. carnis patiantur tribulationem, pluribus etiam ſubjecti ſint matrimonii incommodis, acquiſitioni prolis, conſervationique uxoris, &

pacis

(*a*) Utriuſque vero Eccleſiæ fidem manifeſtant etiam Euchologia, Pontificalia, & Ritualia, quorum ſeriem, & Catalogum improbo collegit labore, & ſingulorum preces, & ritum exhibuit Gibertus in ſua de *Benedictione Nuptiali* per omnes Eccleſiæ ætates Hiſtoria Tomo I. Rem denique conficiunt generalium definitiones Conciliorum: proindeque fucum Theologis non fecit Sacramenti vox ab Auguſtino latiori aliquando ſenſu uſurpata.

pacis adverſis, ut in infidelibus contingit; propterea Chriſtus qui fidelium matrimonia unitatem habere voluit, indiſſolubilitatem, ſanctitatem, & matrimonialem caſtitatem, conjugium ad Sacramenti dignitatem evexit, quo contrahentes, dum conſenſum coram Eccleſia præſtant, incremento gratiæ, & uberiori charitatis perfunduntur rore, facilius inde auxilia ut obtineant, quibus honeſte in matrimonio verſentur, mutuam tueantur fidelitatem, individuam, perpetuamque conſervent ſocietatem, vitæ prolem denique juxta præſcriptum Chriſti atque Eccleſiæ inſtituant.

CAPUT VIII.

De Poteſtate Eccleſiæ in Matrimonia Chriſtianorum.

69. MAtrimonium, inquiunt Adverſarii, vel conſtitutum eſt Sacramentum a Chriſto vel ab Eccleſia. *Si ab Eccleſia*; itaque verum Sacramentum non eſt, quum non habeat ipſa virtutem, atque poteſtatem alligandi ſenſibili ſigno ſpiritualem gratiam. *Si autem a Chriſto*, igitur Eccleſia neque poterit irritum, & invalidum reddere tale Sacramentum, neque illud niſi publicis peccatoribus negare, ejuſque ſuſceptionem prohibere: atqui Eccleſia modo extendit, modo contraxit gradus, quibus contrahi matrimonium poſſit; modo valida voluit, modo invalida matrimonia fidelium cum infidelibus, & matrimonia clandeſtina; ex oppoſito volebat irrita aliquando matrimonia filiorum familias invitis Parentibus, quæ valida nunc vult, & rata, veraque ne vel ipſi, qui caſtitatis ſolemne votum nunquam emiſere ſeculares ordinum majorum Clerici matrimonium contrahant; non igitur dici a Chriſto inſtitutum debet tale Sacramentum, præſertim quum ſtatus religioſus dicatur perfectior matrimoniali; ſed monaſtica Profeſſio Sacramentum non eſt; itaque multo minus eam habere poteſt dignitatem celebratio Matrimonii.

70. Ita tamen differentes Adverſarii non animadvertunt, confundere ſe rationem naturalis contractus in Matrimonio cum ratione ſacramenti. Eccleſia quippe dum vel reſtrinxit, vel extendit gradus, quibus celebrari matrimonium poſſet, dumque Perſonas olim habiles ad contrahendum, aliquo demum in caſu, vel aliquo modo ad contrahendum inhabiles conſtituit, tunc ipſa humanum contractum potius, quam Sacramentum reſpexit, & conditiones ſolum poſuit, quarum defectu non fieret contractus ille, qui prærequiritur ad rationem ſacramenti. Quamvis enim contractus ejuſmodi [illegible] ſeparetur a ratione ſacramenti, humana modo res ſit, quum tamen contractus ille ſit, cui ſuperaddi ſolet Sacramentum, & ſtatus matrimonialis, diſtincte etiam conſideratus a dignitate ſacramenti, ad officia quædam inſtitutus ſit, ut ait Beatus Thomas, & aliquas habeat obligationes, quæ Eccleſiæ tranquillitatem, & bonum proxime reſpiciunt, qualis eſt Chriſtiana filiorum inſtitutio; heinc fit, Eccleſiam Leges ferre poſſe, immo, & debere de matrimoniali fidelium contractu conſiderato etiam antecedenter ad rationem ſacramenti.

71. Et vero ſi Principes, & Reges, & Rerumpublicarum moderatores jure ſibi proprio, innato, ob commune ſocietatis civilis bonum, conſtituere Leges poſſunt, & porro plurimas conſtituerunt, impedimentaque matrimonium, quatenus contractus Civilis eſt irritantia, & dirimentia, ne aliquid detrimenti Reſpublica patiatur; cur, omiſſa etiam ratione ſacramenti, idem non poterit Eccleſia, ne quid periculi immineat ac damni ſanctæ filiorum ſuorum ſocietati?

72. Sane, ut prætereamus, ſolemniores ſaltem Nuptias ab omnibus probe Gentilibus, ipſiſque adeo novi Orbis incolis, antequam Chriſtiani forent, niſi ſub Religionis auſpiciis non fuiſſe celebratas, ut poſt innumeros ſcriptores fidem facit ocularis teſtis Alphonſus a vera Cruce Part. II. Speculi Conjugum: conſtat adhuc, vel primis chriſtianæ Religionis temporibus, Eccleſiam habuiſſe in matrimonia fidelium poteſtatem. Nam Divus Ignatius Martyr in Epiſtola ad Polycarpum ſcribebat: *Decet vero, ut Sponſi, atque Sponſæ de ſententia Epiſcopi conjugium faciant, quo Nuptiæ ſint ſecundum Dominum, & non ſecundum cupiditatem*. Tertullianus autem in Libro de Pudicitia cap. 14. ajebat: *inde penes nos occultæ quæque conjunctiones, id eſt, non prius apud Eccleſiam profeſſæ, juxta mœchiam, & fornicationem periclitantur, ne ita conſerta obtentu matrimonii crimen eludant*. Nempe, ſolicitam ſemper eſſe oportuit Eccleſiam, ne ſub matrimonii velo illicitas, illegitimaſque inire pergerent Chriſtiani conjunctiones; hancque ferendam Legum poteſtatem, nullo Principe vere Orthodoxo reclamante, ab Eccleſia ubique exercitam fuiſſe, pluribus evincit exemplis Chardonus in Hiſtoria Sacramentorum ubi de matrimonio agit Capite 8.

73. Animadvertere heic immo placet, Chriſtianorum in animis ita ſemper inſtitutum fuiſſe, nonniſi benedictione Eccleſiæ matrimonium eſſe celebrandum, ut quantumcumque clamaverint, & declamaverint Proteſtantium primi, contractum hunc eſſe mere naturalem, ac civilem, Legeſque ad ipſum pertinentes eſſe a ſolo civili Legumlatore, ſive a Principe, ac Magiſtratibus ferendas; numquam tamen induci potuit Proteſtantium Populus, ut ſolemnes Nuptias, veluti mere profanas res reſpiceret, & ab Eccleſiæ foro ablegandas. Itaque tametſi quam maxime a moribus noſtris recedere voluiſſent eorum Rectores, attamen coacti veluti fuerunt Publicationes in matrimoniis retinere, impedimenta dirimentia, bona verba Sponſo, & Sponſæ ab Eccleſiæ miniſtro dicta, Nuptialem denique benedictio-

dictionem, ſine qua nullum, & irritum eſt Anglicana præſertim in Eccleſia matrimonium: leges etiam de matrimoniis ferunt Eccleſiaſtica Proteſtantium Tribunalia, quæ dicuntur Conciſtoria, jure Canonico veluti retento: qua de re præſtant rigidiorum inter ipſos querelæ apud Pfaffium, Auguſtanæ Confeſſionis hominem, in Libro de originibus juris Eccleſiaſtici Capite IV. Articulo II. ubi oppoſitas more ſuo conciliare pergens opiniones, demum ſubdit: *monendum tamen eſt, & caute monendum, & Eccleſiæ diſquiſitionem circa matrimonialia competere, ſicut circa omnes fere alias res civiles. Qui quæſo hoc mi Lector? ita ne vero in foveam, quam evitare ſtudebamus, jam præcipites incidimus? Non ita. E. G. furtum crimen eſt civile, quod a Magiſtratu punitur. At qui ejuſmodi crimine ligatus eſt, & ab omnibus aliis Collegiis, & ſocietatibus excluſus, quin ex auctoritate Collegiali a ſacramenti participatione, ceteris paribus excludi poſſit, debeatque nullum eſt dubium. Ita etiam ſe res habet in matrimonialibus. Quicumque hic contra Leges conventionales in Eccleſia, cui nomen dedit, conditas peccat, is cœtus exigendus erit. Itaque circa matrimonialia utique, & diſquiſitionem collegium inſtituit, & is, cui jura collegialia tradita ſunt.* Hucuſque hic ſcriptor, qui Eccleſiæ licet ſuæ poteſtatem non concedat irritandi matrimonia, ſed tantummodo puniendi excomunicatione eos, qui præſcriptis ab Eccleſiaſtica matrimonialibus legibus non obtemperaverant; Intendatque ſolum conciliare Eccleſiæ ſuæ praxim cum illorum doctrinis Proteſtantium, qui juris noſtri Canonici principiis ſua vaſtari matrimonia conſequerentur: attamen aperte demum fatetur Eccleſias omnes poteſtatem habere ferendi Leges in matrimonialibus etſi nullam in matrimonio admittant ſacramenti gratiam. Quanto igitur magis hanc habebit Catholica Eccleſia poteſtatem, dum eo de contractu humano agitur, cui ipſa adjectam credit dignitatem Sacramenti?

74. Patet heic quantum erraverit Launojus, quamvis inter Orthodoxos numeratus, qui ſoli civili auctoritati poteſtatem tribuendam duxit ferendi Leges ad Matrimonia ſpectantes. Ex eo quippe quod Nuptiæ ſint civilis contractus, civili ſub regimine eas tamen eſſe oportere conſequutus eſt. Perperam profecto, & ſophiſtice, ex particulari propoſitione affirmativa generalem negativam inferens, quum nulla illatio admittenda ſit, quæ in principiis ex quibus deducitur, non contineatur. Si Nuptiæ Chriſtianæ tantum contractus eſſent, recte ratiocinatus eſſet. Verum quum humanus primum, quam civilis contractus ſint, & talis contractus, cui addici ſolet virtus ſacramenti, cur in eas poteſtatem Eccleſia non habebit? Sic paralogiſmo laborabant veteres nonnulli Canoniſtæ ſacramentalem matrimonio dignitatem propterea negantes, quod in eo contrahendo interveniat pactum licitum de dote: quod futurum fore ſimoniacum cenſebant, ſi gratia tunc ſacramenti conferetur. Peccabant, inquam, ut ſcholaſticis utamur terminis, per fallaciam ponendo non cauſſam, ut cauſſam; quippe matrimonium, antequam induat dignitatem ſacramenti, contractus naturalis, & civilis eſt, juxta quam conſiderationem, ob onera, quæ ſecum fert matrimonialis ſtatus, fas eſt de dote convenire, minime vero ſecundum quod conjungitur cum ſanctitate ſacramenti.

75. Quod ſi ad eos deſcendimus, quibus prohibetur matrimonium, vel qui ſolemni effecerunt voto, ut illud contrahere non poſſent, non video, cur id pugnare debeat cum ſacramentali ipſius dignitate. Non enim Eccleſia illo prohibet in caſu ſuſceptionem ſacramenti, ſed immediate prohibet contractum illum, quo jus alteri traditur proprii corporis, & jus acquiritur alieni, & quo adſtringitur homo ad ſolicitudinem uxoris, filiorum, familiæ, & rerum humanarum: & quia decens non videtur, ut qui Deo militat, implicet ſe negotiis ſecularibus; ſanctaque ſancte tractanda ſunt, impollutis nempe manibus, atque a Miniſtris puris, & ab omni carnali vinculo alienis. Quum itaque vel ſpontaneo, liberoque ſolemni voto, vel ſpontaneo, liberoque aſſenſu ad ſacros Ordines, ponatur obex pariter ponatur ſuſceptioni hujus ſacramenti. Verum, quænam, obſecro, neceſſitas omnia ſuſcipiendi ſacramenta? Nulla certe: alias Sacramentum Ordinis conferendum eſſet etiam mulieribus, & Sacramentum extremæ Unctionis illis, qui optima gauderent ſanitate; vel reliqua præſtanda, quæ ſummam in Eccleſia adferrent perturbationem; quum omnia ex oppoſito ordinatiſſime ſint a Deo conſtituta, adeo ut diverſæ ſint pro diverſis hominum ſtatibus etiam gratiæ.

76. Quum tandem dicitur, eos, qui Religionis cauſſa a Nuptiis abſtinent, perfectioris eſſe conditionis, quam matrimonia contrahentes: fit tunc comparatio, non quidem ſacramenti cum re, quæ Sacramentum non eſt; ſed confertur ſtatus cum ſtatu, quorum unus, videlicet monaſticus ob eminentiam virtutis in eo requiſitæ, perfectior ſuapte natura eſt ſtatu conjugii, etiamſi iſtud celebretur, & perficiatur Sacramento, quod monaſtica in profeſſione non contingit; quæ hominem tamen ea in conditione ponit, ut mundanis his relictis res divinas ſemper meditetur majoreſque virtutibus ſuis gratiæ gradus, & gloriæ conſequatur. Non ne Angelorum ſtatus perfectior eſt ſtatu hominum, etiamſi Angeli nullum ſuſcipere poſſint Sacramentum? Nonne eorum ſtatus, qui Sacramento Pœnitentiæ non egent, perfectior eſt conditione eorum, qui indigent tali Sacramento? Itaque etiamſi religioſæ profeſſioni non ſuperaddatur ſacramentalis cæremonia, quemadmodum Nuptiarum celebrationi ſuperadditur: quum illa tamen hominem in ſtatu collocet vir-

tutis

Digitized by Google

tutis ſublimioris, quam matrimonialis ſtatus non requirit, ideo ſtatus ille perfectior dicitur matrimoniali.

CAPUT IX.

De Sacramenti Matrimonii Miniſtro.

77. Celeberrimam appendimus quæſtionem, e qua pendent aliæ ad hujus ſacramenti doctrinam probe intelligendam neceſſariæ. Quum enim cujuſcumque ſacramenti materia, & forma adſignanda ſit, nec facile ſit eas determinare, quæ Sacramentum matrimonii reſpiciunt, niſi prius de ipſius miniſtro conſtituatur, inde eſt, nos de hoc in præſens dicturos, æque indicaturos materiam ſacramenti hujus, & formam, tamquam connexa doctrinæ Capita noſtræque ſententiæ conſectaria.

78. Dicimus itaque ſolum Sacerdotem eſſe ſacramenti matrimonii miniſtrum, & oſtendimus hoc pacto. Quamvis teſtimonia ſacrarum literarum non deſint, quibus aliqui Theologi utuntur in aſſerenda matrimonio ſacramentali dignitate: iidem tamen Theologi cum ceteris fatentur, hoc dogma ex ſola Eccleſiæ Traditione, & auctoritate poſſe evidenter probari; atqui niſi ponamus miniſtrum hujus ſacramenti eſſe Sacerdotem, ruit omne probationum genus, quo hanc oſtendamus certo veritatem; itaque ſolus Sacerdos eſt hujus ſacramenti miniſter. Revera nullus inveniri Patrum poteſt, nemo inter veteres ſcriptores, nullus antiquorum Canonum; qui matrimonii fidelium ſanctitatem, & ſacramentalem dignitatem celebret, & ad ſacerdotalem ipſius benedictionem non confugiat. Sic Callixtus Pontifex in Epiſtola ad omnes Galliarum Epiſcopos. Sic Siricius ad Hymerium Tarraconenſem Epiſcopum Capite 9.; ſic Nicolao, Hormiſdæ, Evariſto, Iſidoro, aliiſque afferta Pontificibus in Decreto Gratiani teſtimonia, matrimonium proprie eſſe Sacramentum docuere, ſi Sacerdotis miniſterium intervenerit, idem tradunt Concilia Carthaginenſe IV. Lugdunenſe, Lateranenſe, Conſtantienſe, Anno MDXXXVI. celebratum, Parte VII. Capite 40. ita de matrimonio ſtatuens: *quod Sacramentum ſi quis ſicut decet acceperit, accedente ſacramentali precatione, confer donum ſpirituale*. In Enchiridio autem Chriſtianæ Religionis ab eodem Concilio approbato, hæc habentur: *Videmus ſane in veteri lege quoſdam fuiſſe, qui Dei vice conjuges jungerent. Quanto ergo magis putandum in nova lege Sacerdotes, qui legatione pro Deo funguntur, legitimos hujus ſacramenti miniſtros eſſe? In lege quidem veteri Pater, aut illo defuncto, proximus puellæ ſeu Tutor, Dei loco, conjuges jungebat. Ad eundem modum ab Apoſtolorum temporibus matrimonii Sacramentum in facie Eccleſiæ celebrandum eſt a miniſtris ſucceſſoribus Chriſti*. Quum igitur tot Pontifices, & Conciliorum Patres neceſſariam duxerint in matrimonio fidelium, præſentiam, benedictionem, & cæremoniam Sacerdotis, indicium eſt, ipſum habitum fuiſſe tamquam verum hujus Sacramenti Miniſtrum.

79. Quod ſi graviſſimos Doctores conſulimus, eos nobiſcum conſentientes reperimus. Tertullianus ſiquidem Libro II. ad uxorem inquit: *unde ſufficiam ad enarrandam felicitatem hujus matrimonii, quod Eccleſia conciliat*, confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renunciant, *Pater in Cælis tantum habet?* Sanctus Ambroſius Epiſtola ad Vigilium dehortans fideles a conjugio cum infidelibus contrahendo, ſcribit: *quum conjugium velamine Sacerdotali, & benedictione ſanctificari oporteat, quomodo poteſt Conjugium dici, ubi non eſt fidei concordia?* Divus Thomas IV. contra Gentes Cap. 78. inquit: *Matrimonium in quantum ordinatur ad bonum Eccleſiæ; oportet quod ſubjaceat regimini Eccleſiæ. Ea autem, quæ populo per miniſtros Eccleſiæ diſpenſantur, ſacramenta dicuntur: unde & quadam benedictio Nubentibus per miniſtrum Eccleſiæ attribuetur*. Idem ſanctus Doctor in I. ſententiarum diſtinctione I. articulo 3. ad 5. ſcribit: *Matrimonium ſicut Pœnitentia, quatenus utrumque eſt Sacramentum in diſpenſatione miniſtrorum Eccleſiæ conſiſtens, habet aliqua verba, quibus perficitur*. Et 2. 2. quæſt. I. articulo 3. dicit: *dare pro matrimonio pecuniam, in quantum eſt Eccleſiæ Sacramentum, illicitum eſt; & ideo jura prohibent, ne pro benedictione Nuptiarum aliquid exigatur*. Hæc S. Præceptor, quibus indicat in benedictione Nuptiarum, quæ fit a Sacerdote conſtitutam eſſe rationem ſacramenti, alludens proculdubio ad Decretum Concilii generalis Lateranenſis ſub Innocentio III. ubi Patres illi abuſum deplorantes, quo pro Nuptiarum benedictione, aliiſque pro ſacramentis pecunia accipiebatur, ita pergunt: *ne igitur hæc de cetero fiant, ſeu pro benedicendis nubentibus, ſeu pro aliis ſacramentis conficiendis, vel collatis, prohibemus;* ubi manifeſte ſemel, & iterum, benedictionem Nubentium, quæ proculdubio a Sacerdote fit, cum aliis conjungens ſacramentis, oſtendit ſacramentalem matrimonii adminiſtrationem eſſe a benedictione ſacerdotali repetendam.

80. Adfert Sylvius Quæſtione XLII. ad ſupplementum Divi Thomæ, doctrinam, & verba plurium Ritualium Pontificalium, aliorumque Liturgicorum codicum, ex quibus cum doctrina, & verbis Tridentini Concilii collatis, ita ratiocinatur: Sacerdos, tamquam Dei, & Eccleſiæ miniſter vere conjunxit in matrimonio Sponſum, & Sponſam; ſed non conjungit eos, afficiendo matrimonium quatenus contractus eſt; itaque quatenus eſt Sacramentum; allegata ſiquidem Ritualia poſt datum utriuſque conſenſum ſubjungunt verba a Sacerdote proferenda: ille autem conſenſus verbis contrahentium expreſſos, effi-

ciens eſt matrimonii cauſſa, quatenus contractus eſt; ideoque non alia ratione verificari poſſent verba illa Sacerdotis: *Et ego vos in matrimonio conjungo &c.*; niſi quatenus ipſe facit, & confert Sacramentum, tanquam ejus unicus Miniſter.

81. Lerminierius Pariſienſis Theologus Capite VIII. Tractatus de matrimonio ita ſcribit: ex antiqua ſanctorum Patrum, & Conciliorum Doctrina patet matrimonia Chriſtianorum non perfici niſi per benedictionem Eccleſiæ. Iſtud autem matrimonium tam grave eſt, ut non videam, quonam modo per antiquam Eccleſiæ Traditionem Novatoribus oſtendi poſſit, matrimonium Chriſtianorum ſemper habitum fuiſſe non ut contractum mere profanum, ſed ut Sacramentum, ſi ab ipſa probatione diſcedamus, eamque amplectamur ſententiam, qua oſtenditur, Conjuges eſſe miniſtros ſacramenti matrimonii. Poſtulat autem ratio ut inter duas opiniones ea ſeligatur in qua, & per quam adſtruitur dogma Catholicum: altera vere rejicitur, qua poſita probari non poſſit ex Traditione; quam aliunde nullus efficax ſuppetat in ſcripturis locus, ut multi cenſent, ex quo clare, & diſtincte eliciatur, matrimonium eſſe Sacramentum a Chriſto inſtitutum.

82. Hæc ille, qui poſtquam noſtræ favere opinioni plura Gallicana Concilia oſtendit, atque Ritualia, nec non Toletanum, in quo hæc habentur verba: *Efficiens cauſſa matrimonii ſunt ipſi contrahentes, in quantum eſt contractus quidem; at vero ut Sacramentum, miniſter Eccleſiæ eſt cauſſa inſtrumentalis ſicut in aliis ſacramentis:* enumerare pergit ea, quæ in adverſariorum opinione involvuntur maxima abſurda. Nam 1. in matrimonio Chriſtianorum nihil erit, quod non reperiatur in matrimonio Judæorum, & Gentilium. 2. ia dicitur matrimonii miniſter, non qui dat, ſed qui ſuſcipit Sacramentum. 3. requiritur Mulierem eſſe miniſtrum hujus ſacramenti, quod alienum videtur a mente Apoſtoli, ſtatuentis in 1. ad Corinthios 14. non debere Mulieres loqui in Eccleſia, nullum ſcilicet ſacri miniſterii peragere officium; 4. illa in opinione vir, & mulier adminiſtrabunt Sacramentum; Sacerdos ex oppoſito rem ſolum acceſſoriam; & accidentalem; quod in re ſacramentaria inconvenientiſſimum eſt. 5. Miniſter ordinarius alicujus ſacramenti erit Laicus, quod ſpiritui, & ingenio Eccleſiæ adverſatur. Demum quum proclive ſit conjuges ſæpenumero alia tunc de re omnino cogitare, quam de Sacramento, hoc fieri deberet abſque ulla miniſtrorum intentione: quod abſurdum æque eſt.

83. Illuſtravit hanc ipſam veritatem Melchior Canus in Relectione de Sacramentis in genere, ſed magis adhuc Libro VIII. de Locis Theologicis, cap. 5. ubi inter cetera etiam ſcribit: **Mihi vero perſuaſi ſolum Sacerdotem eſſe miniſtrum Sacramenti Matrimonii**, primum quia Sacramenta proprie dicta ſacræ ſunt Religionis cæremoniæ; ſacrorum etiam uſus ad Religionem, qua Deum colimus, pertinet. Quocirca Sacramentum opus eſt Religionis: ſacramentis quoque profitemur, nos ſalutem a Deo ſalutari quærere. Hæc vero profeſſio, qua Deo cultum exhibemus, atque peccata, quæ in ſacramentorum abuſu ſunt, virtuti Religionis adverſantur. Auguſtinus autem Libro X. de Civitate Dei Capite 5. non quodlibet ſignum rei ſacræ definit eſſe Sacramentum, ſed quod ſit ſacrum ſignum: quibus rebus efficitur, ut Sacramenta divini cultus, & Religionis ſacra quædam opera ſint. Quum igitur matrimonium ſolis verbis viri, & fœminæ civiliter profaneque contractum, licet rei ſacræ ſignaculum ſit, non ſit tamen opus Religionis ſacrum, certe non eſt proprie Sacramentum. Alioquin, ſi rebus ſatis eſt ſignificationem affingere, ut ſacramenta dicantur, ſerpens æneus, & manna, propria ſint ſacramenta, atque adeo in univerſum omnia, quæ gratia ſignificandi res ſacras inſtituta ſunt. Id quoniam abſurdum eſt, conſentiamus, verum illud eſſe, quod poſuimus, connubia ſine ſacro Miniſtro, ſineque aliqua Religionis cauſa cæremonia, inita, non eſſe Chriſtianæ Religionis Sacramentum; ideoque matrimonii, tamquam Sacramenti, miniſtrum eſſe ſolum Sacerdotem.

84. Ut vero adnotat Benedictus XIV. Libro VIII. de Synodo Diœceſana cap. 13. Auctores, qui arbitrantur, contrahentes eſſe Sacramenti Matrimonii Miniſtros, multum inter ſe differunt in determinanda ejuſdem ſacramenti materia, & forma. Aliqui enim docuere, conſenſum contrahentium exterioribus ſignis expreſſum eſſe materiam: verba autem a Chriſto Domino ſemel prolata Matthæi XIX. *propter hoc dimittet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ*; eſſe formam pro omnibus fidelium Matrimoniis. Alii opinantur, verba unius contrahentis, qui primo ſuum præſtat conſenſum, eſſe materiam; & verba ſecundo proferentis eſſe formam, per quam priora determinantur ad conſtituendum contractum, atque Sacramentum. Alii exiſtimant conſenſus utriuſque contrahentis, verbis, & ſignis manifeſtatos eſſe formam; corpora eſſe materiam remotam, eorumque traditionem, & acceptionem, eſſe materiam proximam. Alii dicunt contrahentium verba, ſive ſigna prout ſunt traditio corporum eſſe materia; ut vero ſignificant, & cauſant perſonalem obligationem in contrahente eſſe formam. Alii demum defendunt; utriuſque conſenſum, verbis, ſive ſignis expreſſum, eſſe materiam; quamvis ſignificat corporis traditionem; eſſe formam quatenus mutuam exhibet eorundem acceptionem. Jam vero clamat Melchior Canus, nonne tanta in negotio graviſſimo varietas, & diſſonantia non leve indicium eſt falſitatis opinionis ad quam adſtruendum.

Digitized by Google

dum coguntur illius aſſertores tot diverſas aſſignare unius ſacramenti materiam, & formam, quarum pleraque Hæreticis nugatoriæ, ipſiſque Catholicis vel commentitiæ, vel parum profecto ſolidæ videntur? Ad tot igitur vitandas ineptias a junioribus excogitatas, teneamus oportet, ſacramenti miniſtrum eſſe Sacerdotem, formam eſſe benedictionem, ſive ſacra verba, quibus conjugibus ille bene precatur: materiam vero eſſe externam illam omnibus viſibilem, ſenſibilemque conjunctionem, nempe actus contrahentium, ſive formulam, cæremoniam, & ritum, quo conſenſum conjuges coram Sacerdote proteſtantur, & cui verbis, & benedictione ſua adjicit Sacerdos gratiam Sacramenti.

85. Obj. 1. Eugenius IV. in ſua Inſtructione ad Armenios, quum aliorum miniſtros Sacramentorum expreſſiſſet, non alium matrimonio aſſignavit miniſtrum, quam contrahentes; conſenſum ſiquidem eorum per verba de præſenti expreſſum, dicit eſſe cauſam efficientem matrimonii. Loquitur autem Pontifex de Matrimonio quatenus Sacramentum eſt; nam alioquin Sacramentorum doctrinam deliſſet imperfectam. Tridentinum vero aperte indicat, non alium eſſe miniſtrum matrimonii in nova lege, quam in veteri: immo neque aliam haberi materiam, ac formam. Sane per Tridentini decreta matrimonium validum eſſe Parocho nihil dicente, modo præſens adſit, & intelligat, quid agatur, ut habent reſponſa Cardinalium Tridentini Interpretum. Denique Divus Thomas in ſupplemento docuit non ſemel, benedictionem Sacerdotis non requiri in matrimonio, quaſi de eſſentia Sacramenti; ergo &c.

86. Reſp. Eugenii IV. Inſtructionem non eſſe, niſi compendioſam quandam eorum ſummam, quæ ſpecialiter in uſu erant Romana in Eccleſia; & Pontificem loquutum videri potius de matrimonio, quatenus contractus eſt, quam quatenus eorum eſt novæ legis Sacramentum. Ut enim heic adnotant præclariſſimi Theologi non ſine cauſſa Pontifex ſermonem variavit. Quum enim dixiſſet legitimum eſſe Sacramentum Matrimonii, non reſumpſit, hujus, vel cujus ſacramenti cauſſa efficiens eſt mutuus conſenſus, eo modo, quo de aliis ſacramentis dixerat: *primum omnium Sacramentorum locum tenet Baptiſmus: materia hujus ſacramenti &c. Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos &c. Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt &c.* quod extra controverſiam eſt, aſſerere de Matrimonio, in quantum eſt contractus, ſubjunxit: *cauſſa efficiens Matrimonium &c.* Concedamus tamen Eugenium fuiſſe in oppoſita opinione, nullum id affert noſtræ præjudicium: quum in rebus nondum ſolemniter ab Eccleſia definitis Theologi non pauci aliquos exprimendi in illa inſtitutione modos dicant eſſe theologica interpretatione illuſtrandos.

87. Fatemur autem Tridentinum noſtram ſententiam expreſſe non definiviſſe: attamen eam ſtatuiſſe ipſum dicimus, quæ veritatem hanc theologicam mirifice confirmant. Canone ſiquidem priore conſtituit, Matrimonium eſſe unum ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis a Chriſto inſtitutis, itaque Matrimonium in nova lege differt a nuptiis in Lege veteri, quum in ipſis ſacræ cæremoniæ divina gratia non concederetur, quæ nunc legitimo, & Sacramentali ritu, atque in facie Eccleſiæ divina gratia non concederetur, quæ nunc contrahentibus confertur. Deinde vult Concilium verba proferri a Sacerdote: quod veteri in Lege non requirebatur: neque enim concedi poteſt, quomodo Contrahentes eſſe poſſint Miniſtri Sacramenti in Lege nova, nec hujuſmodi eſſe potuerint in veteri. Neque negabimus invalidum eſſe Matrimonium præſente tantum Parocho, & non ſemel nihil diceret; ſed ex quo validum ſit tale Matrimonium, non ſequitur quod ſit etiam Sacramentum; neque alia fuit mens Cardinalium Tridentini Interpretum. Præterquam quod ſatis conſtat ejuſmodi Declarationes, quæ nonnullis in Collectionibus habentur, non eſſe genuinas, ut aliæ poſtea Cardinalium Congregationes, & declaravit Urbanus VIII. in Decreto, quod ea de re condidit anno 1631.

88. Quod ſpectat ad Divum Thomam mirandum non eſt, in ſupplemento, quod poſt ejus mortem, & ipſius Commentariis in Magiſtrum ſententiarum conſarcinatum eſt nonnulla reperiri oppoſitæ Magiſtri ſententiarum opinioni conſentanea; agebat tum enim Interpretis munus S. Præceptor, cujus tamen mens innumeris ſe prodit ex locis; nam quæſtione VIII. ejuſdem ſupplementi, articulo 2.: *Solus ille Miniſter eſt Sacramentorum in quibus gratia datur, qui habet Miniſtrum ſuper Corpus Chriſti verum, quod ſolius Sacerdotis eſt*; ubi ſi ſubſumas: atqui Matrimonium eſt Sacramentum, in quo gratia datur; recte infers; itaque ſolus Sacerdos eſt ejus Miniſter. Quæſtione XXII. articulo 2.: *Sacramenta, in quibus gratia confertur, diſpenſare, ad ſolos Sacerdotes pertinet*. Quæſtione XXXI. art. 1. *Nullius Sacramenti diſpenſatio Laicis ex officio competit*. Quæſtione LIX. artic. 2. *quam iis infidelibus non competat Matrimonium, ſecundum quod eſt Sacramentum in diſpenſatione Miniſtrorum Eccleſiæ conſiſtens*; & Libro IV. contra Gentes cap. 13. *Ea in quibus gratia illuminans confertur, exhibere ſolum pertinet ad Sacerdotes*. Quibus teſtimoniis ſi cetera jam adducta addiiciantur, ignoro quomodo in præſidium oppoſitæ opinionis S. Præceptorem producant adverſarii.

89. Obj. 2. Tridentinum omnia Matrimonia clandeſtina, & ſine Sacerdotis benedictione ante Decretum ſuum contracta voluit fuiſſe valida, & rata, atque indiſſolubilia, immo ejuſmodi futura

tura ea conſtituit, quæ poſt Decretum contrahentur in præſentia Parochi, etiamſi ille taceat, & fortaſſe contradicat; atqui Sacerdos non benedicens conſenſum contrahentium, immo illi contradicens, non poteſt dici Miniſter Matrimonii; ergo &c.

90. Reſp. Cum omnibus noſtræ ſententiæ Theologis, matrimonia Clandeſtina, quæ ſine Sacerdotis miniſtro olim contrahebantur, fuiſſe quidem rata, & indiſſolubilia, ſed non fuiſſe Sacramenta. Sicut enim aliud eſt Pœnitentia, aliud Sacramentum: ita etiam eſt Matrimonium. Illud tamquam contractus perficitur mutuo Conjugum conſenſu, verbis, vel ſignis æquipollentibus expreſſo; iſtud a Miniſtro Eccleſiæ ſacram Cæremoniam peragente. Negant quidem adverſarii Contractum Matrimonii inter fideles ſeparari, & disjungi a dignitate Sacramenti; ſed perperam id negant: quum Patres, Synodi, & Rituales Eccleſiarum libri non omnibus fidelibus Matrimonii divinam largiri gratiam docuerint; ſed illis tantum, quæ ſacerdotali benedictione, & prece fuiſſent prædita, & perfecta. Nec ex quo Tridentinum valida, & indiſſolubilia declaraveri clandeſtina Matrimonia ante ſuum Decretum contracta, legitime inferre fas eſt, declaratum propterea fuiſſe ea Sacramenta eſſe; indiſſolubilitas eorum ſiquidem non provenit a ſola ratione Sacramenti, ſed etiam a natura Matrimonialis Contractus, qui eſt ad individuam, perpetuamque vitæ ſocietatem, nec non Divina ab inſtitutione, juxta illud Chriſti: *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*; quare & fidelium cum infidelibus matrimonia indiſſolubilia erant, niſi interveniſſet Contumelia Creatoris, ut docebat Paullus I. ad Corinthios 7.

91. Fatemur tandem, Eccleſiam rata & valida habere Matrimonia coram Parocho contracta invito non ſemel, atque reluctante, nullumque niſi fortaſſe objurgationis verbum proferente; ſequitur ne tamen Connubia ejuſmodi eſſe etiam ſacramenta? Minime ſane gentium. Ex eo enim quod Eccleſia minime compellat ita Contrahentes ad conſenſum rite coram Sacerdote renovandum, quo Sacramentum ſuſcipiant, recte non infertur, matrimonia, etiam abſque miniſterio Sacerdotis contracta, dignitatem habere Sacramenti. Nam ut etiam omittamus Durandi, Vaſqueſii, Baſilii Pontii, aliorumque opinionem, cogitantium, contractum Conjugii ſemel valide initum, niſi dum irritetur dignitatem Sacramenti induerit, numquam deinceps poſſe Sacramentum effici: illud eſt animadvertendum maxime Eccleſiam non minori prudentia quam ſanctitate præditam, a præcipiendis ejuſmodi conſenſuum renovationibus abſtinere, ne occaſione percipiendi Sacramenti effectus pernicioſi conſequantur. Matrimonium inter abſentes, & per ſolos Nuncios, & Procuratores contractum, eſſe quidem verum, & licitum Conjugium non habens tamen virtutem Sacramenti, propugnavere Durandus, Franciſcus a Victoria, Cajetanus, Melchior Canus, Eſtius, Sylvius, aliique doctiſſimi Theologi, quorum opinionem numquam Eccleſia damnavit. Hortantur illi vero Sponſos, ac Sponſas ad conſenſum coram Sacerdote ſimul renovandum: quo accipiant gratiam Sacramenti; neque tamen ad talem conſenſus renovationem eos Eccleſia compellit. Quorſum id? Ne ſcilicet, obtentu ſacramenti non recepti, firmius Connubii per nuptias ante Miniſtrum Eccleſiæ, & in præſentia teſtium jam perfecti, periclitetur. Certe Conjuges hæretici matrimonium abſque ſacramenti intentione, ipſoque abſque Sacramento, inierunt, qui tamen ſi ad Catholicam convertuntur Religionem, non adiguntur ad conſenſum coram Sacerdote renovandum, quia quantum in ejuſmodi renovatione conſenſus periculi inſit, & quam gravia incommoda inde metuenda, vix explicari poteſt, ut animadvertit Benedictus XIV. de Synodo Diœceſana capite 6. quidquid igitur ſit de ratione agendi eorum, qui ita inordinate contrahant in Catholica Eccleſia, nempe, coram Sacerdote quidem, ſed reluctante, nullumque niſi fortaſſe objurgationis verbum proferente: qui contrahendi caſus veniam mereri poteſt, vel ſecus, pro contrahentium intentione diverſiſque circumſtantiis; de quibus heic non eſt ſermo: videtur Eccleſia nonnullos ſacramentum, quod neceſſarium non eſt neceſſitate medii ad ſalutem, in Matrimonio non ſuſcipientes, velle aliquando prudenter tolerare, potius quam eorum alicui anſam relinquere, obtentu Sacramenti non recepti, recedendi a contractu, & fidem violandi.

92. Obj. ult. Opinio de Sacerdote tamquam ſolo Sacramenti Matrimonii Miniſtro nova videtur, atque ſingularis, immo non convenire cum communi fidelium opinione, qui vi matrimonialis contractus gratiam ſacramenti ſibi conferri arbitrantur; ergo &c.

93. Reſp. Adeo abeſſe ſententiam hanc infirmare fundamenta, quibus innititur dignitas ſacramentalis Matrimonii, ut ex oppoſito orthodoxæ veritati confirmandæ nihil validius excogitari poſſe videatur. Quum enim id vix alia demonſtrari poſſit via, quam Patrum Traditione, & Eccleſiæ auctoritate quumque Patres nil aliud memorent, quam Sacerdotalem Matrimonii Benedictionem, ſi profecto hanc omittamus, quonam inde medio Nuptias fidelium eſſe ſacramentum demonſtrabimus? Novam non eſſe ſententiam hanc, neque a Melchiore Cano primum excogitatam, oſtendit in Præfatione inſtar Prologi galeati Libris de Locis Theologicis præmiſſa notiſſimus ejus vindex, ubi propagatam jam olim conteſtatura Guillelmo Pariſienſi, Petro Paludano, Simeone Vigorio, aliiſque ante Canum, qui adſtipulatores habuit quamplurimos teſte Banneſio, deinde vero Cardinalem Toletum, Eſtium,

Syl-

Sylvium, Scribonium, Contenſonum, Combefiſium, Juveninum, Fraſſenium, Natalem Alexandrum: quibus addi poſſunt Ledeſma, Maldonatus, Petrus de Marca, Proſperus, Duhamel, Turnely, Lerminier, Piette, Gibertus, Auctor Operis de re Sacramentaria, Muſſonus aliique plurimi. Tantum vero abeſt, ut hæc tot Orthodoxorum doctrina Neotericis Sacramentum Matrimonii de medio tollentibus faveat, ut potius Eccleſiæ fidem multo felicius in tuto ponat. Prudentius, & felicius Eccleſiæ Orthodoxæ cauſſam egiſſent nonnulli, ſi Canum imitati, quæ fidei ſunt a Scholaſticis Diſceptationibus diſcreviſſent, & in hoc unum intenti, quód fidei Caput eſt, peregrinas Quæſtiones, quæ cauſſam multo plus implicant, Hæreticiſque cavillandi aditum præbent, a Quæſtionibus Dogmaticis longe amandaſſent: etenim, ut prudenter Eſtius obſervat, ſtatuta noſtra ſententia, multa vitantur paradoxa, quæ contra Hæreticos ex Traditione tueri difficile eſt: ut quod ordinarius hujus Sacramenti Miniſter non ſit unus, ſed duo; non ordinati, ſed Laici, Vir, & Mulier; quod iidem ſuſcipientes ſint, & conferentes; quod forma conſiſtere ſine verbis poſſit; quod nullam contineat cæremoniam particularem; aliaque ſimilia, quæ Heterodoxis Sacramentalem Matrimonii dignitatem inficiantibus, irriſionis, & contumeliæ potius, quam ſeriæ diſputationis argumentum præbuerunt.

CAPUT X.

De Secundis Nuptiis.

94. Secundas, tertias, & ulteriores ſucceſſive Nuptias eſſe licitas probamus ex Apoſtolo 1. ad Corinthios 7. ſcribente: *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat, tantum in Domino*. Et ad Romanos 7. docet idem Apoſtolus, mulierem ſi poſt viri ſui mortem alteri nupſerit, non fore adulteram: Et 1. ad Timotheum 5. de Viduis loquens, inquit: *Volo juniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe.* Cum Apoſtolo conſenſere præſtantiores veterum, Origenes Homilia 17. in Lucam, Epiphanius Hæreſi 48. Gregorius Nazianzenus Oratione 29. Chryſoſtomus Homilia 19., & 20. in Epiſtolas ad Epheſios. S. Ambroſius Libro de Viduis ſcribens: *Neque enim prohibemus ſecundas Nuptias, ſed non probamus ſæpe repetitas*. Hieronymus autem Libro contra Jovinianum capite 8. ſic habebat: *non damno Bigamos, immo nec trigamos, & ſi dici poteſt, Octogamos*. Probarunt quoque ſecundas Nuptias Auguſtinus in Libro de Bono viduitatis capite 12.; & in Libro de Hæreſibus, Theodoretus Libro III. Hæreticarum Fabularum, Fulgentius Libro de fide ad Petrum, aliique, qui earum odium in Montaniſtis, & Novatianis, tamquam Hæreſim, damnavere, quemadmodum præſtitit Concil. Generale I. Nicænum Canone 8. Ea lege Novatianos, qui ad Catholicam Eccleſiam converterentur recipiens, ut Bigamis communicarent (a).

95. Obj. 1. Secundas Nuptias tamquam fornicationis, & adulterii caſtigatam ſpeciem reſpexerunt Athenagoras in Legatione pro Chriſtianis, Theophilus Antiochenus Libro III. ad Autolycum, Irenæus Libro III. adverſus Hæreſes capite 19. Clemens Alexandrinus Libro III. Stromatum, Minutius Felix in Octavio, S. Baſilius Epiſtola ad Amphilochium, alii a Cotelerio allegati in adnotationibus ad Librum II. Paſtoris capite 4. & juxta aliquas Græcas Synodos, qui ſecundis implicabantur Nuptiis publicæ ſubiiciebantur pœnitentiæ; ergo &c.

96. Reſp. Plures ex laudatis Veteribus quodammodo ſolere vindicari, ſive quod non ſecundas, ſed tertias potius, & quartas Nuptias reprobaverint; ſive quod puriorum fidelium tantummodo conſuetudinem commendaverint, qui a ſecundis Nuptiis abſtinebant; ſive quod ſecundas Nuptias Connubia illorum appellaverint, qui facto divortio nova Matrimonia inibant; ſive demum quod aliis in locis honorifice ſcripſerint de talibus etiam Nuptiis. Negandum certe non eſt, Veterum aliquos nimio aſceticæ vitæ, & continentiæ ſtudio, aſpera nimis, & dura de ſecundis Nuptiis aliquando ſcripſiſſe, exaggeranterque nimis, improprie, & hyperbolice loquutos, verum ex eo tantum ſequitur eam dicendi rationem inter nævos talium ſcriptorum eſſe recenſendam; non autem Nuptias ejuſmodi fuiſſe a Catholica Eccleſia reprobatas, quas palam nempe admittebat; quare ipſius mentem ex univerſali conſuetudine, & Ge-

(a) Ita ſancte conjugalis olim caſtitas a priſcis etiam Gentilibus obſervabatur, ut alii viro ſecundis votis ſe addicere mulieres haberent religioni. Ex voto id erat maritorum, qui a morte etiam crediti Veteribus integras ſibi cupere uxores: quemadmodum Juſtinianus pronuntiavit: *animam mariti defuncti Secundis Nuptiis contriſtari*. Maxime vero id obtinuit dum relinquebantur Liberi, quibus cenſebant non perinde favere mulieres iterum conjugatas. Intemperantiæ quoque, & laſciviæ opinionem præbebant, quæ ad ſecunda vota convolarent; quare Valerius Maximus Libro II. capite I. ſcripſit: *multorum Matrimoniorum experientiam quaſi illegitimæ cujuſdam intemperantiæ ſignum eſſe*. Jure tamen non fuiſſe prohibitas apud Græcos & Romanos ſecundas Nuptias pluribus exemplis patet; atque legibus; quamvis apud nonnullos ad certum tempus fuerint reſtrictæ E. G. ad filiorum uſque pubertatem.

Digitized by Google

& Generalibus ex Conciliis deſumentes minimi ea facimus, quæ vel particulares aliquæ Synodi, vel Scriptores aliqui privato ſuo ſenſu tradiderunt.

97. Obj. 2. ipſa Eccleſia ægre adeo ſecundas olim tulit Nuptias ut prohibitum fuerit eos benedici, nec hodie quoque benedicantur: unde anſam ſumunt Proteſtantes magis magiſque negandi Sacramentalem Matrimonii dignitatem. Quum enim Sacramentum Matrimonii abſque Miniſtro Eccleſiæ, ſit ipſis argumentum riſus potius, quam diſputationis; dum tandem reſpondere a nobis audiunt, tale Sacramentum a ſolo Sacerdote celebrari, animadvertunt non benedici a nobis ſecundas Nuptias quas adhuc dicimus Sacramentales.

98. Reſp. Ex quo ſecundæ Nuptiæ olim non benedicerentur, perperam inferri eas tamquam illicitas ab Eccleſia aliquando habitas fuiſſe: quod ſane intelligimus ex reſponſione Pontificis Nicolai I. ad Quæſita Bulgarorum, ubi habet: *Poſt ſponſalia, quæ futurorum ſunt promiſſa fœdera, quæque conſenſu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum in quorum poteſtate ſunt, celebrantur; & poſtquam arrhis Sponſam ſibi Sponſus per digitum fidei a ſe annulo inſignitum deſpondet, dotemque utrique placitam Sponſus ei cum ſcripto pactum hoc continente, coram invitatis ab utraque parte tradiderit ambo ad nuptialia fœdera perducuntur. Et primum quidem in Eccleſia Domini cum oblationibus, quas afferre debent per Sacerdotis manum ſtatuuntur; ſicque demum Benedictionem, & velamen cæleſte ſuſcipiunt. Veruntamen velamen illud non ſuſcipit qui ad ſecundas nuptias migrat. Poſt hæc autem de Eccleſia egreſſi, Coronas in capite geſtant, quæ ſemper in Eccleſia ipſa ſolitæ ſunt reſervari.* Hæc Pontifex. Græca quoque in Eccleſia iterum nubentes, non fuiſſe coronatos, tradidere Theodorus Studita, & Nicephorus Patriarcha: etiamſi ex reſponſis Nicetæ, Metropolitæ Heracleenſis, ad interrogata Conſtantini Epiſcopi, apud Goarium in adnotationibus ad Euchologium Græcorum, generalem non fuiſſe diſciplinam illam intelligimus, ſed magna præſertim in Eccleſia impoſitas etiam Bigamis ſponſalitias coronas. Ceterum quamvis ſecundæ Nuptiæ caruerint olim, careantque nunc etiam, ſolemnibus quibuſdam ritibus, qui prioribus in Nuptiis adhibentur, nonne ex Pontificis teſtimonio intelligimus ſecundas etiam Nuptias fuiſſe in Eccleſia Domini cum Sacerdotis præſentia, & oblationibus celebratas? Itaque Eccleſia eas illicitas proculdubio non habebat.

99. Quod ſi cauſſam inquiras cur olim non benedicerentur? hanc adfert Durandus in rationali Libro I. capite 9. *Nuptiæ benedicendæ ſunt a Sacerdote cum precibus, & oblationibus. Veruntamen Vir, & Mulier ad bigamiam tranſiens, matrimonium contrahendo, non debet a Presbytero benedici, quia cum alia vice benedicti ſint, eorum benedictio iterari non debet.* Nec aliter Patres Synodi Salmaticenſis anno 1335. congregati, ita ſtatuentes: *ultro didicimus, quod plerique ſimplices Clerici, & Rectores, quod Sacramentum hujuſmodi iterari non licet, & ſic facile corruunt in errorem.* Fatemur nec univerſalem, neque perpetuam fuiſſe ejuſmodi philoſophiam, Benedictionem ſcilicet, per quam Eccleſia fœcunditatem Conjugibus apprecata ſemel fuerat, propterea non fuiſſe iterandam: quum potius benedictionem ſolemnem ſecundis Nuptiis Eccleſia denegare videatur, propterea quod deficiant ab illa perfecta ſignificatione unionis Chriſti cum una ſponſa Eccleſia, ut animadvertit Beatus Thomas. Verum ex hac benedictionis inopia ſequitur ne eas inhoneſtas, & illicitas habendas? Nihil profecto minus; ſed opinione noſtra ſolum ſequitur, eas olim caruiſſe dignitate Sacramenti, quod maximum non erat inconveniens reſpectu præſertim eorum, qui prioribus in Nuptiis Sacramentum ejuſmodi ſuſceperant.

100. Si ponas igitur ſecundas Nuptias fuiſſe olim abſque ullo Sacerdotis miniſterio contractas, diverſæ non fuerit oportet conditionis a Matrimoniis clandeſtinis ante Tridentinum, vel ab illis, in quibus nulla, vel ſola objurgationis verba profert Sacerdos; valida nempe Matrimonia, ſed ſine Sacramento. Si autem ſecundis de Nuptiis ſermo ſit, poſt Tridentinum, in quibus Sacerdos abſque ſolemnitate quidem, ſed adhuc tamen Sponſum, & Sponſam in Matrimonium conjungit, miramur illis uti tum eos, qui negant ſolum Sacerdotem eſſe Sacramenti Matrimonii Miniſtrum; cum etiam Proteſtantes, qui Sacramentalem negant Matrimonii dignitatem. Quid enim hoc eſt, niſi confundere ſpecialem quamdam, & ſolemnem Benedictionem ſolis prioribus Nuptiis in Eccleſia nunc quoque tribui conſuetam, cum verbis Sacramentalibus Sacerdotis, quibus Conjugibus bene precatur, eorumque mutui conſenſus proteſtationi per verba: *& ego vos in Matrimonio conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quemadmodum prioribus, ita adjicit ſecundis etiam Nuptiis gratiam, & ſanctitatem Sacramenti.

CAPUT XI.

De Indiſſolubilitate Matrimonii.

101. INdiſſolubile eſſe Matrimonium Chriſtianorum aperte manifeſtant ſacrarum Literarum verba; Chriſtus ſiquidem Matthæi XIX. interrogatus a Phariſæis, num liceret dimittere uxorem quacumque de cauſa, ita illis reſpondit; *Non legitis, quia qui fecit hominem ab initio maſculum, & fœminam fecit eos? & dixit: propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una:*

una: itaque jam non ſunt duo, ſed una caro: quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet. Dicunt illi: quid ergo Moyſes mandavit dare Libellum repudii, & dimittere? Ait illis: quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic. Hoc ex loco tria jure deducuntur: ſcilicet, in Lege Naturæ indiſſolubile fuiſſe Matrimonium: potuiſſe ſolvi in Lege Scripta; ſed Chriſtum primævam ad indiſſolubilitatem Chriſtiana in Religione illud revocaſſe. Marci X. eadem habemus Chriſti verba hoc pacto: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam: & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur*. Similiter Lucæ XVI. ita divinus Præceptor: *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur*. His autem verbis quid clarius?

102. Apoſtolus I. ad Corinthios 7. ita ſcribebat: *Iis autem, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere; quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Sic & vir uxorem non dimittat*. Ad Romanos autem de Matrimonio ſic ſcripſit Paulus: *quæ ſub viro eſt mulier vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, nec non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro*. Juxta præcepta hæc docuere Patres omnes, Concilia, Pontifices, & quotquot Chriſtiano nomine gloriati ſunt.

103. Maxima tamen orta eſt inter nos, & Proteſtantes, Græcoſque controverſia, quia quum Dominus Matthæi V. dixerit: *quicumque dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur*: *& rurſus* capite XIX. *Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*; inde Proteſtantes, & Græci collegerunt, fornicationem, ſive adulterii cauſa, ſolvi Matrimonii vinculum, & nexum prorſus poſſe; quum nos ex oppoſito ſolvi tunc Matrimonium tantummodo velimus quantum ad cohabitationem, & thorum. Hæc autem quæſtio, ut probe intelligatur, res altius repetenda eſt. Divortiorum Romano in Imperio introductum uſum, deinde Chriſtiani Imperatores reſtrinxere. Primus repudiorum cauſſas determinavit Conſtantinus.

104. Quod ad priorem attinet Quæſtionem omiſſis canonibus quibuſdam, & exemplis, quæ flocci faciunt Proteſtantes, fundamenta cogitandi agendique orthodoxorum exſcribemus. Ejuſmodi vero hæc ſunt: ſemper licitum eſt a ſtatu minus perfecto tranſire ad perfectiorem, quotieſcumque fieri poſſit abſque ullius detrimento; itaque a ſtatu Conjugali ad Religionis ſtatum tranſitus fieri poterit, ſi Matrimonium nondum ſit conſummatum; tunc enim id fiet abſque alterius detrimento: nam conſummato Connubio duplex detrimentum oritur, ſi Matrimonium dirimatur, alterum proli jam natæ, vel conceptæ, quæ non poterit, ut oportet, educari Parente deſtituta; alterum Conjugi, quæ quum ſit ligata, non poteſt alteri nubere, & ut poſſet, non tamen ita commode, poſt amiſſam virginitatem; atqui nullum ex his incommodis ſequitur ex ſolutione Matrimonii nondum confirmati: ergo &c.

105. Duplex quippe vinculum, duplex unitas in Matrimonio reperitur: altera civilis, & familiæ, quæ in mutua vitæ converſatione conſiſtit; altera naturæ, ſive carnis, quæ naſcitur ex conſummatione Matrimonii. Per priorem alter alteri civiliter, & familiariter adhæret; per poſteriorem ambo una caro efficiuntur: itaque ſicut poſterior hæc unitas ſola morte naturæ diſſolvi poteſt, ut unitati Naturæ, diſſolutio, quæ per naturam fit, reſpondeat: ita prior illa non eo tantummodo diſſolvitur; ſed per mortem etiam civilem, id eſt per talem mutationem, qua quis alienus fiat ab omni civili converſatione, & quaſi mundo moriatur. Hoc autem mortis genus non aliter contingit quam profeſſione ſolemni Religionis approbatæ: proindeque quum inter Conjuges ante conſummationem Matrimonii ſola civilis unitas intercedat, conſentaneum eſt, eam quoque civili morte diſſolvi: qua nimirum ita quis a civili converſatione removetur, ut ad eam redeundi neque jus, neque facultatem, neque ipſam habeat ſpem, ſicut per mortem naturæ ſive carnis, quis redire naturalem ad vitam non poteſt. Quod autem Profeſſionem monaſticam mors civilis ſequatur neceſſario, inde manifeſtum eſt, quia Religionem profeſſus jam nec corpus, nec voluntatem propriam habet, neque deinceps eſt ullius proprietatis capax, ſed totus, & ſemper alterius juris eſt: quare Leges etiam Civiles ſtatuerunt per ingreſſum Religionis, tamquam per mortem confirmari teſtamentum antea conditum: adeo ut nec revocare, neque ſuperaddere, nec interpretari ſuum Teſtamentum ipſi concedatur.

106. Porro mortem iſtam civilem nullo alio caſu contingere, quam per Religionis ingreſſum, inde patet, niſi quis ſe, ſuaque tradiderit omnia in poteſtatem alterius ad obſequium Dei, idque in Religione approbata, adhuc regreſſum habere poterit ad voluntatem propriam: quocirca nec ſimplici continentiæ voto, nec ſuſceptione Ordinis Sacri, neque profeſſione Religionis non approbatæ, nec per vitam eremiticam, ſive anachoreticam ſolvitur Matrimonium etiam nondum conſummatum; quia per hæc mors civilis minime intercedit.

107. Quemadmodum itaque juſta de cauſſa Conjux abſque conjugis conſenſu poteſt adire mortis naturalis periculum, velut in martyrio, vel in Eccleſiæ, Patriæque defenſione: quo facto diſſolveretur Matrimonium etiam conſumma-

Digitized by Google

tum, & conſequenter extingueretur jus quod alter in corpus alterius habebat; ita juſtiſſima de cauſſa, videlicet, ut Deo perfectius ſerviat, & multiplices peccatorum occaſiones evitet, poſſe Conjugem abſque conjugis conſenſu ſponte mortem aſſumere civilem, qua Matrimonium nondum conſummatum diſſolvatur, & intereat præſertim poſt Tridentinum, Catholici tuentur.

108. Non prætereundum eſt, Alexandrum III. Romanum Pontificem Capite ex Publico, *extra de Converſione conjugatorum* præſcriſcripſiſſe duorum ſpatium Menſium quo poſſint Conjuges ante conſummationem Matrimonii deliberare de ingreſſu in Religionem: quo ſpatio elapſo jam non liceat ultra differre debiti exacti redditionem. Semel autem conſummato Matrimonio jam ſolvi iſtud non poſſe per ingreſſum Religionis, & Monaſticam Profeſſionem, conſtitutum eſt apud Orthodoxos: quare & Legem Juſtiniani Imperatoris, qua facultas concedebatur abſque exceptione Conjugatis ad meliorem tranſeundi ſtatum, & ſub caſtitate vivendi, reprehenſione dignam noſtri exiſtimaverunt; & Divum Baſilium docentem fuſioribus in Regulis, virum poſſe Religionem ingredi, invita etiam uxore, ſi rogata conſenſum abnuat, dixerunt omittendum. Has egregie Quæſtiones illuſtrat Eſtius diſtinctione XXVII. in Librum IV. ſententiarum.

109. Concilium Arelatenſe eos, qui conjuges ſuas in adulterio deprehendebant, hortabatur Canone X. ne viventibus uxoribus, licet adulteris, alias acciperent: hortabatur, inquam, non autem, jubebat, ut aliquam Legum civilium rationem haberet, quæ ſubſequens facto divortio Matrimonium non impediebat. Quid quod ex Marculphi formulis Libro II. capite 30. animadvertit Natalis Argonenſis in opere de optima legendorum Eccleſiæ Patrum methodo, Parte III. capite 19. divortio locum fuiſſe in partibus e[illegible] Occidentis: atque ubi ſemel jure factum pronuntiaverunt judices Maritum, & uxorem, quam maluiſſent in Conjugem deligere ſibi potuiſſe. Quamvis vero Legibus tum civilibus, tum Eccleſiaſticis, nuſquam id ſolemniter conceſſum fuiſſe contendat Joannes Dominicus Manſius in adnotationibus ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam Natalis Alexandri Sæculo VII. capite IV. artic. 10. fatetur adhuc tamen abuſus ejuſmodi in Galliis revera irrepſiſſe, ut nedum propter adulterium, ſed etiam propter rixas, & diſſidia inter Conjuges orta, Matrimonium diſſolveretur. Octavo; & ſequutis ſeculis divortiorum abuſus in Matrimoniis præſertim Principum, diſpenſationum obtentu, adeo frequentes erant, ut illorum infelicitatem temporum deplorare debeamus.

110. Grates igitur Æterno Numini, quod nos meliori ætate vivimus, melioribus utimur moribus, meliorem ſententiam amplexi, quæ Chriſti citata verba non de ſolutione Matrimonialis vinculi, & nexus, ſed de ſolutione tantum cohabitationis, & thori, eſſe intelligenda conſtituit, cum Sanctis Hieronymo, Auguſtino, Anſelmo, Thoma, Bonaventura, quos poſteriores præceſſerant Magiſter Sententiarum, & Albertus Magnus, Sanctus vero Antoninus, Florentinus Archiepiſcopus cum aliis innumeris ſequuti ſunt, juxta Decreta Conciliorum Illiberitani, & Milevitani, Eugenii etiam IV. quibus omnibus coronidem impoſuit, & maximam adjecit auctoritatem Tridentinum.

111. Rurſus, ſi per adulterium diſſolveretur vinculum, & nexus Matrimonii, vel id contingeret mox ut facinus commiſſum fuit, vel ſtatim facto divortio, vel denique poſt ſecundum Matrimonium contractum. Atqui neutrum dici poteſt: non primum; quia Vir innocens poteſt adulteram pœnitentem retinere abſque novo contractu: dimiſſio ſiquidem partis adulteræ introducta eſt ad criminis violatæ fidei emendationem; ceſſat autem pœna corrigens ubi emendatio præceſſit; quinimo eo in caſu teneri virum uxorem pœnitentem non dimittere, conceptiſſimis affirmat verbis Divus Thomas in IV. Sententiarum Diſtinct. XXXV. Quæſtione I. artic. 2. Non ſecundum: quia poteſt immo debet Maritus uxorem correctam, & emendatam recipere, ut conſtat *Capite ſi vir his verbis: quod ſi mulier dimiſſa egerit pœnitentiam, & voluerit ad Virum ſuum reverti, debet, ſed non ſæpe, recipere peccatricem*. Debet, inquam, debito convenientiæ, ut explicat Gloſſa, & colligitur ex Canone *admonere*, Cauſſa XXXIII. Quæſtione 2. non debito conſcientiæ, & neceſſitatis. Non denique tertium: quia plus juris habere nequit in dirimendo Conjugio poſterior vir dimiſſam mulierem ducendo, quam prior eam dimittendo poterat; quum ad ſolvendum contractum plus utique valere debeat conſenſus eorum, qui contraxerunt, quam ſuperveniens contractus alterius; atqui prior vir uxorem adulteram dimittendo, non ſolvit Conjugium; itaque nec poſterior ſolvet, eam dimiſſam accipiendo.

112. Tandem, ſi ob adulterium nexus ipſe Matrimonii ſolveretur, fieri ſæpe poſſet, ut ubi Conjuges moribus diſſiderent, vel alioa ad amores aſpirarent, iidem vel ſibi mutuo permitterent fornicationem, vel ſaltem ſibi occaſionem præberent, vel hac deficiente alter alterum de adulterio accuſaret, ut hac via aditum ſibi ad novas Nuptias aperirent. Quam ob cauſam conſequebatur Hieronymus Commentario in cap. XIX. Matthæi prohiberi Maritis primam ita dimittere uxorem, ut ea vivente alteram ducere nequaquam poſſent, ſcribens ſcilicet; *Et quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob ſecundam copulam Nuptiarum, Veteri crimen impingeret, ſic priorem dimittere jubetur uxorem, ut ſecundam prima vivente non habeat*. Quæ verba tranſcripſit Concilium

lium

lium Forojulianum ſub Adriano Primo celebratum.

113. Duo tamen opponunt nobis Proteſtantes: primum eſt: alias multas eſſe cauſas, partim canonibus comprehenſas partim Decreto Tridentini confirmatas, ob quas licet dimittere Conjugem, quantum ad cohabitationem, & thorum, ob impietatem nempe, Apoſtaſiam, hæreſim, ſacrilegium, lepram, aliaſque Ægritudines per unionem corporum facile communicandas. Non ſunt igitur Chriſti verba interpretanda de ſeparatione ſolummodo quantum ad cohabitationem, & thorum, ſed intelligi debent de ſeparatione quantum ad vinculum, ubi agitur de adulterio; alioquin ea Chriſti verba nullam aliam eſſe cauſſam, dimittendi uxorem quantum ad cohabitationem, & thorum ſignificarent, quam adulterium: quod falſum eſſe ipſi Romanæ Eccleſiæ Doctores apertiſſime fatentur. Alterum quod adverſarii objiciunt, eſt Romanos Pontifices in concedendis divortiis quantum ad Matrimoniale vinculum adeo difficiles, obtentu deinde impedimentorum juris tantum Eccleſiaſtici, facillimos eſſe in Matrimoniis annullandis: idque non alia de cauſa, niſi quod primo in caſu ſententia ferretur a judice ordinario; quum in caſu poſteriore Conjuges confugere ad ſupremam Romanæ Sedis poteſtatem teneantur.

114. Reſp. Nullius eſſe ponderis priorem meditationem, ſi animadvertimus longe diverſam eſſe dimiſſionem Conjugis ob adulterium, ab ea, quæ aliis de cauſis contingit. Siquidem pars innocens licite dimittere delinquentem poteſt partem quantum ad habitationem, & thorum dimiſſione perpetua; ita ut nec poſt actam pœnitentiam ſtricto teneatur jure eam recipere, ob violatam fidem Matrimonii. Ex oppoſito cum dimiſſio ob ceteras cauſas fiat jure defenſionis, eſt dimiſſio tantummodo ad tempus, donec emendatio ſequatur, & periculum, quod imminebat, ceſſet. Sic Urbanus VIII. præcepit, Apoſtatam, mox ut conſtet eſſe converſum, recipiendum eſſe; quod idem in Decreto habetur de infideli parte a fideli recipienda, ſi illa convertatur ad fidem, Sic Alexander III. ſub anathemate indixit, ut Conjugi leproſo debitum non negetur: quod Canoniſtæ omnes intelligunt poſtquam ceſſaverit periculum contagionis: proindeque quum dimiſſiones, & ſeparationes a Canonibus permiſſæ, totum vitæ tempus non reſpiciant; dimiſſio, & ſeparatio habitationis, & thori, de qua Chriſtus loquebatur, ſcilicet ob adulterium, individuam quidem vitæ conſuetudinem inter Conjuges ſolvere in perpetuum poteſt; ſed Matrimoniale ſolvere vinculum non poteſt.

115. Poſtrema meditatio falſo nititur fundamento. Nam ſi vir, & Mulier contra leges, & jura ſeparentur, peccatum in Pontificibus eſt, ſi talia Matrimonia irrita declarent & nulla. Si vero legitimum eſt Matrimonium, vel illud ſolummodo ratum erit, vel erit etiam conſummatum. Conſummata Matrimonia nunquam legimus fuiſſe a Romanis Pontificibus reſciſſa: bene vero aliqua tantum rata: quod efficere ne jure poſſint, vel non poſſint, non convenit inter Theologos. Rariſſima hæc tamen reperiuntur nec niſi graviſſimis de cauſſis reſciſſa ſunt; quumque particularia hæc facta ſint, a circumſtantiis pendentia, theologicas inter quæſtiones non poſſunt numerari. Ex oppoſito ſi poneretur, Matrimonia ob adulterium ſolvi quantum etiam ad vinculum, & nexum, tunc in illas omnes incideremus ambages, difficultates, & diſſidia, quæ non apud ſuos tantum Scriptores, ſed in ſuorum Judiciis Tribunalium cordatiores adverſarii lacrymantur.

116. Sane omiſſo etiam orationis ordine, & contextu, noſtræ non modo ſententiæ Patres Veteres, ſed & Sacrarum Literarum recentiores Interpretes, verborum Chriſti apud Matthæum ſenſum feliciter explicavere, animadvertentes illud: *niſi ob fornicationem*, & *excepta fornicationis cauſa*, dictum fuiſſe per parentheſim, & Hebræorum phraſi, apud quos familiariſſimum erat idipſum dicendi genus, paſſim propterea ſupplendum; cujus exempla rei reperiuntur in ſcripturis infinita, quale illud eſt 1. ad Timotheum 4. de doctrinis dæmoniorum *prohibentium nubere*, *abſtinere a cibis*, ubi ſubauditur vocabulum contrariæ ſignificationis, videlicet, *jubentium* abſtinere a cibis. Eclipticam igitur Orationem quoque Chriſti fuiſſe in colloquio, de quo agimus oſtendunt, & hoc pacto ſupplendam, & intelligendam: quicumque fracto Matrimonii vinculo dimiſerit uxorem: quod vobis utique Judæis ad ſummum in cauſa adulterii permiſſum eſſe debuiſſet; quicumque, inquam mea in Lege, uxorem ſuam quæ pro Matrimonii inſtitutione prima, & veteri, unica debebat eſſe, ita impoſterum dimiſerit, ut propterea aliam duxerit, mæchabitur; quique dimiſſam eo adhuc vivente inpoſterum duxerit, mæchabitur. Quibus poſitis abeſt Chriſtum in Lege ſua permiſiſſe ſolutionem vinculi Matrimonialis in cauſa adulterii, quum hanc tantum cauſſam in Judæorum divortiis tolerari opportuiſſe ſolummodo ſignificaverit.

117. Objicit tamen cum cæteris Proteſtantibus Bohemerus in jure Eccleſiaſtico Proteſtantium, ad Librum IV. Titulo XIX. de Divortiis §. 25. *Nemo* inficias ibit de eo divortio Salvatorem interrogatum fuiſſe, quod Judæis in more poſitum erat, ideſt, quod vinculum omne ſolvebat, & divertentem in ſtatum libertatis collocabat. Conveniens ergo quoque eſt, ut ſolvatur, de eodem divortio mentem ſuam prodiderit, docueritque, illi quidem regulariter locum non eſſe relinquendum, ſi excipias fornicationis cauſam vel rationem. Poteſt hoc caſu ex doctrina Salvatoris fieri divortium, non tantum quoad thorum, ſed etiam quoad vinculum; quia hoc dum-

taxat Judæis notum, teſtatum, promulgatum; illud nec uſu, nec ratione cognitum erat, quod cum Salvator optime ſciverit, nec tamen ullo indicio declaraverit, ſe novam, inſolitam quæ divortii ſpeciem tradere, recta ratio poſtulat, ut aſſeramus, eum de vero, non ficto, & imaginario divortio, ediſſeruiſſe.

118. Sed ſi ad hominem, quemadmodum dicitur, reſpondere placeret, Bohemerum remitterem ad ea, quæ eodem titulo §. 6. jam ſcripſerat: audito ſcilicet, Chriſtum in monte aliter docuiſſe, hinc ſcrupulum cepiſſe Judæos, occaſionem inde captantes ejus irretiendi, & in vulgo calumniandi, quod contra mores patrios, & Legis inſtituta docuiſſet. *Verum* Salvator, ſubdit Bohemerus, non ſtatim directo ad eam Quæſtionem reſpondet, ſed præjudicialem quæſtionem eſſe docet: an divortia promiſcua ex Lege Dei juſtificari poſſint? Quod negat, aitque divortia promiſcua tum a voluntate Dei, tum a praxi mundi primæva, aliena eſſe. Quia vero mox Phariſæi recurrebant ad præceptum quoddam Moyſis, generatim Chriſtus reſpondet, Moyſem hæc permiſiſſe non præcepiſſe, nec cauſſas divortii principaliter determinaſſe: retuliſſe tantum pravum Judæorum morem, eum tamen non approbaſſe, ſed in medio per conniventiam reliquiſſe: quæ cum ita ſint, palam eſt, Salvatorem diſputationi Hebræorum ſeſe noluiſſe immiſcere, immo nec potuiſſe, quod præjudicialem Quæſtionem, ab ipſis pro certa aſſumptam, negaret, & ſic oſtenderet, ſe nec Hillelianis, nec Schammæanis accedere, in eo convenientibus, divortia uſitata, Lege Moyſis, mandata fuiſſe, a qua hypotheſi recedebat Salvator. Oſtendebat enim, ea regulariter eſſe prohibita, nec in Lege Moyſis fundata, ſed ex quadam tolerantia aſſumpta, & impunita.

119. Si itaque, Adverſarii judicio, Salvator diſputationi Judæorum ſeſe immiſcere noluit, ſi præjudicialem quæſtionem ab ipſis poſitam negavit, ſi ab hypotheſi tum Hillelianorum, tum Schammæarum erat alienus, ſi de revocanda tantum primæva Matrimonii indiſſolubilitate ſollicitus erat, mirum propterea eſſe non deberet ſi ad uſitatum apud Judæos divortium, per quod vinculum ipſum ſolvebatur, reſpondendo, non alluſiſſet. Ita tamen ad illud alluſit, ut ex quacumque cauſſa illud omnino abrogandum eſſe manifeſtaverit: quod ex proxime ſubjectis tum Diſcipulorum, tum Chriſti verbis evidentiſſime colligitur: ſic enim proſequitur Evangeliſta: *Dicunt ei Diſcipuli ejus: ſi ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere; Qui dixit illis: non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt; ſunt enim Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus, & ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum Cælorum*. Nihil clarius reperiri poſſe conceſſero, ſi hæc cum ſtatu illo rerum conferantur. Judæi quippe ætate Chriſti plures ſoliti erant ducere ſimul uxores, una itaque, vel altera dimiſſa, in cælibatu vivere non cogebantur ob inſolubilitatem vinculi matrimonialis, ſed aliam, aliamque vel jam habebant, vel jure Poligamiæ ducere conſueverant & poterant. Hanc totius quæſtionis explicandæ rationem exhibet vir quidam doctus ſeminarii Tarviſini olim juriſprudentiæ Profeſſor, ſcilicet Jeſum Chriſtum motam controverſiam Phariſæos inter & Sadducæos in ſententia Phariſæorum ſolviſſe. Durus adhuc tamen viſus eſt Chriſti ſermo taliſque ut ejus cauſa, nubere non expediret. Quare id obſecro? Niſi ob omnimodam vinculi inſolubilitatem, quam etiam in cauſa adulterii Chriſtus prædicabat. Si aliqui caſtrare ſe debebant propter Regnum Cœlorum; itaque pro illius ſermonis, & doctrinæ ſerie debebant abſtinere a ducenda muliere, quæ ipſis placuiſſet, etiamſi dimiſſa ab alio adhuc vivente propter adulterium fuiſſet. Quamvis vero aperte non declaraverit Servator, novam ſe inſolubilemque ſpeciem divortii inſtituere, nonne revera tamen eam ipſum inſtituiſſe intelligimus ex Apoſtolo 1. ad Corinthios 7. ſcribente: *iis autem, qui Matrimonio conjuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit manere inuptam, aut viro ſuo reconciliari*. Ex quibus profecto patet, rejecto divortio, quod in moribus erat Judæorum, novam divortii ſpeciem, id eſt, quantum ad cohabitationem ſolummodo & thorum fuiſſe a Domino inductam: quod ſi non ponas, nunquam fiet ut Evangelicæ, & Apoſtolicæ complexionem, & ſenſum doctrinæ conſequaris.

120. Objecta quin etiam Chriſti verba, omiſſo quoque orationis ordine, & contextu, tum noſtræ ſententiæ Patres, tum ſacrarum literarum interpretes, variis interpretati ſunt modis; ſed nemo melius illis, qui dixere exceptionem illam, *niſi ob fornicationem*, ad id, quod præcedit, tantum referendam eſſe, totamque orationem eſſe explicandam hoc pacto, ſupplendam, & intelligendam: quicumque dimiſerit uxorem, quod utique vobis Judæis fornicationis ad ſummum cauſa facere, vel ob fornicationem ſolam permiſſum denique fuiſſe; quicumque, inquam, uxorem ſuam, quæ pro Matrimonii inſtitutione, unica debet eſſe impoſterum ita dimiſerit, ut aliam duxerit, mœchabitur; quique mulierem aliquam dimiſſam vivente viro ſuo impoſterum dimiſerit, mœchabitur. Quemadmodum ſi quis dixerit: quicumque mulierem cognoverit, niſi in Conjugio, id eſt, quod facere fas non eſt, niſi in Conjugio, & Libidini ſuæ obſequutus fuerit, peccabit. Conſtat autem eclipticum loquendi genus Hebræis admodum fuiſſe familiare, & hujus rei exempla plurima reperiri in ſacris Literis quale illud eſt 1. ad Timotheum 4. *Prohibentium nubere*,

Digitized by Google

bere, *abſtinere a cibis &c.* ſubauditur etiam vocabulum contrariæ ſignificationis, videlicet, *jubentium* a cibis abſtinere &c.

121. Inſtant adverſarii tamen: multæ aliæ cauſæ ſunt, partim Canonibus comprehenſæ, partim Decreto Tridentini confirmatæ, ob quas licet dimittere Conjuges quantum ad cohabitationem, & thorum, ob impietatem nempe, Apoſtaſiam, hæreſim, ſacrilegium, lepram, aliaſque ægritudines per unionem corporum facile communicandas. Non ſunt igitur Chriſti verba interpretanda de ſeparatione ſolummodo quantum ad cohabitationem, & thorum, ſed intelligi debent de ſeparatione quantum ad vinculum, ubi agitur de adulterio: alioquin ea Chriſti verba nullam aliam eſſe cauſſam ſeparationis inter Conjuges quantum ad cohabitationem, & thorum ſignificarent, quam adulterium: quod falſum tamen eſſe, ipſi Romanæ Eccleſiæ Doctores apertiſſime fatentur.

122. Reſpondemus longe diverſam eſſe ſeparationem Conjugum ob adulterium, ab ea, quæ aliis de cauſis contingit. Siquidem in cauſa adulterii pars innocens licite dimittere delinquentem poteſt partem ream quantum ad cohabitationem, & thorum dimiſſione perpetua, ita ut nec poſt actam a parte delinquente pœnitentiam ſtricto teneatur jure eam recipere ob violatam fidem Matrimonii. Ex oppoſito quum dimiſſio cæteras ob cauſas non fiat niſi jure defenſionis, propterea dimiſſio eſt ſolummodo ad tempus, donec ſcilicet emendatio ſequatur, vel periculum, quod imminebat, ceſſet. Sic Urbanus VIII. præcepit, Apoſtatam, mox ut conſteteſſe Catholicam ad Religionem converſum, eſſe a Conjuge recipiendam: quod idem in Decreto habetur de infideli parte a fideli recipienda. Sic Alexander III. ſub anathemate indixit, ut Conjugi leproſo debitum non negaretur: quod Juris omnes Canonici periti intelligunt, poſtquam ceſſaverit periculum Contagionis: proindeque quum dimiſſiones, & ſeparationes a Canonibus permiſſæ totum vitæ tempus non reſpiciant; dimiſſio autem, & ſeparatio ob adulterium eſſe perpetua poſſit; de hac propterea Chriſtus loquutus eſt, ita tamen ut perpetuam inter Conjuges permittens ſolvi ob adulterium conſuetudinem vitæ, & ſocietatem, ipſum tamen matrimoniale vinculum, & nexum ſolvi non permiſerit.

CAPUT XII.

De impedimentis Matrimonii, & Diſpenſationibus reſpectu illorum.

123. Commune eſt omnium placitum, inter impedimenta, ut ajunt, matrimonii, alia eſſe impedientia ſolum, quæ matrimonium, ſtante illius validitate, illicitum reddunt: alia eſſe dirimentia, quæ quum partes ad contrahendum inhabiles efficiant matrimonium propterea reddunt invalidum, & nullum. Primi generis ſunt quinque: nempe Eccleſiæ prohibitio; caſtitatis, vel Religionis votum, promiſſio de futuro matrimonio cum alia; Catechiſmus, ſive quædam cognatio ſpiritualis, quæ olim in cæremoniis Baptiſmi contrahebatur; & crimen: quod quidem ultimum plura comprehendit, nempe inceſtum, deſponſatæ raptum, Uxoricidium, Presbytericidium, proprii filii in Baptiſmo ſuſceptionem: quæ omnia verſibus ſequentibus continentur.

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum:
Atque Catechiſmus, Sponſalia, jungito votum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri

Impedimenta dirimentia duodecim olim erant: nunc vero quum a Tridentino additum ſit duplex, nempe præſentia Parochi, & teſtium, atque etiam Raptus, quemadmodum recenſentur quæ his verſibus contenta ſunt.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis deſit præſentia teſtis,
Raptave ſit Mulier, nec parti reddita tuta:
Hæc facienda vetant, Connubia facta retractant.

124. Hujus autem numeri rationem aſſignat Divus Thomas: quia ſcilicet contractus matrimonii impediri poteſt vel ex parte contractus ipſius, vel ex parte contrahentium. Si primo modo, quum contractus ille exigat conſenſum, qui per vim tollitur, & ignorantiam; propterea duo oriuntur impedimenta, nempe *Error, & Vis*, ſive violentia ad quam etiam reduci poteſt *Raptus*, impedimentum a Tridentino appoſitum. Si ex parte contrahentium: vel ſimpliciter id evenit, vel reſpectu alicujus Perſonæ ſingularis. Si ſimpliciter: vel primo hoc fit, quia nullo modo poteſt actum matrimonii exercere; & ſic ponitur *Impotentia*; vel quia non poteſt id libere facere, & ſic eſt *ſervitus*. Secundo: vel quia non poteſt id licite facere: ſive quia obligatur voto ad continentiam; & ſic poni-

ponitur *Votum* ſolemniter emiſſum: ſive quia obligatur ex officio ſuſcepto; & ſic eſt *Ordo*; ſive demum quia non obſervantur leges ab Eccleſia ſtatutæ; & ſic exigitur *præſentia Parochi*, & *Teſtium*. Si vero impeditur aliquis contrahere cum aliqua: hoc fit, vel quia defecit proportio ad alteram perſonam: & hoc propter tria: primo propter nimiam diſtantiam ad ipſam; & ſic eſt *Cultus diſparitas*. Secundo propter nimiam propinquitatem, quæ triplex eſt: *Cognatio*, & *affinitas*, quæ importat propinquitatem duarum perſonarum, ratione tertiæ, matrimonio junctæ: *Publicæ honeſtatis juſtitia*, in qua eſt propinquitas duarum perſonarum reſpectu tertiæ, per ſponſalia junctæ. Tertio, propter indebitam conjunctionem ad ipſam primo factam; & ſic impedit crimen adulterii prius cum ipſa commiſſi. De ſingulis fuſe agunt Theologiæ Moralis Præceptores, & juris Canonici periti, quos cuique conſulere pervium eſt.

125. Quod ſi de diſpenſationibus loquamur circa impedimenta matrimonii, certum primo loco eſt, a nemine dari diſpenſationes circa impedimenta matrimonii jure naturali inducta, qualis eſt coactio, impotentia, & ſimilia, quæ naturæ adverſantur, & finibus præcipuis matrimonialis conjunctionis. Cetera vero circa impedimenta rariſſime diſpenſari olim conſueverat etiam in impedimentis per leges humanas conſtitutis; ſed ſeveriorem illam diſciplinam primi videntur relaxaſſe Alexander III. & Innocentius III., jure quidem & merito, quum ſæpenumero expediat in lege præſertim humana diſpenſare, dum ejus obſervantia majore detrimento eſſe poſſet, quam utilitati.

126. Quod ſi quæras cujuſnam ſit concedere ejuſmodi diſpenſationes? Reſpondetur, non videri jus illud minus competere ſummis Pontificibus, in ſua cuique ditione, circa impedimenta, quæ iidem ſtatuerunt, quam Præſidibus Eccleſiæ in impedimentis vel ab ea adoptatis vel magis conſtitutis; ejus enim eſt diſpenſare a lege, cujus eſt legem condere, & ferre. Sed jam a multis ſæculis, & forte a Caroli Magni temporibus uſus invaluit, tacita Principum conceſſione, ex pio in Eccleſiam ſtudio, numquam vero ex ipſius Eccleſiæ invaſione, ut ſoli ipſius Præſides diſpenſationes dent circa impedimenta matrimonii.

127. Neque omnium tamen eſt Præſidum Eccleſiæ id facere; ſed juxta communem, receptamque conſuetudinem & praxim, ab Apoſtolica Sede peti ſolent ejuſmodi diſpenſationes: quamvis in aliquibus Eccleſiis Galliæ, pro retenta quadam diſciplina Epiſcopi circa impedimentum cognationis diſpenſent de tertio ad quartum; alii de ſecundo ad tertium; tunc præſertim quando matrimonium bona fide fuit contractum cum aliquo impedimento occulto; vel etiam quando prope eſt, ut contrahatur, rebus omnibus præparatis; adeo ut ſine ſcandalo, vel gravi contrahentium detrimento differri minus poſſet, ut Apoſtolicæ judicium Sedis quæreretur. Verum in his omnibus Eccleſiæ ſuæ conſuetudinibus, moribus, & Legibus adhærere omnes debent, nec umquam committere ut matrimonium contrahant contra Decreta ab iis, qui poſiti ſunt a Chriſto regere fideles, conſtituta.

CAPUT XIII.

De Veterum Concubinatu.

128. CAlviniani cum Beza ſuo illicitas olim conjunctiones fuiſſe ab Eccleſia permiſſas criminati ſunt, veteres quoſdam ob Canones, & Patres, qui Baptiſmum, & communionem verſantibus in concubinatu concedebant: quam calumniam mox reſtaurare non erubuit in adnotationibus ad Caput XIII. Sermonis 2. ſui Operis Helvetius. Erraverunt illi tamen maxime. Quid enim aliud erat concubinatus ille cui adeo indulgebant Canones, & Patres, niſi clandeſtinum veluti, & minus principale matrimonium carens quidem ſolemnitatibus, & civilibus effectibus juſti matrimonii, hujus tamen vim habens, naturam, & eſſentiam, ideoque a fornicaria, & illegitima conjunctione diverſiſſimum.

129. Duplex ſiquidem apud Veteres diſtinguendus eſt concubinatus, alter nempe temporarius, quo ſcilicet Vir, & Mulier aliquo tempore concumbebant extra matrimonium; alter vero, quo in perpetuam vitæ ſocietatem vir ſolutus cum ſoluta Muliere conſenſerat. Primum illicitum fuiſſe, & numquam ab Eccleſia toleratum teſtatur Eubertus Archiepiſcopus Eboracenſis in ſuis exceptionibus conjunctis Capiti 127. Tomo primo collectionis Conciliorum Britaniæ pag. 109. ubi hæc habet: *Auguſtinus dicit: quale eſt, quod multi virorum ante Nuptias, concubinas ſibi habere non erubeſcunt, quas poſt annos dimittant*, & ſic poſtea legimus Uxores accipiant? Unde coram Domino, & coram Angelis ejus teſtor, atque denuntio, Deum iſta conjugia ſemper prohibuiſſe, & numquam ei placuiſſe, & præcipue temporibus Chriſtianis Concubinas habere nunquam licuit, numquam licebit. Diverſa ſequitur tamen ratione Divus Auguſtinus, ubi de ſecundo agit concubinatu, in Libro de bono conjugali his verbis: cum Maſculus, & Fœmina, nec ille maritus, nec illa uxor, alterius ſibimet, non filiorum procreandorum, ſed propter incontinentiam ſolius concubitus cauſa copulantur, ea fide media, ut nec ille cum altera, nec illa cum altero id faciat, poteſt quidem fortaſſe non abſurde hoc appellari connubium, ſi uſque ad mortem alicujus eorum id inter illos placuerit, & prolis generationem, quamvis non ea cauſſa conjuncti ſint, non tamen vitaverint, ut vel nolint ſibi naſci filios, vel etiam opere aliquo male agant ne naſcantur. Hoc igitur in con-

Digitized by Google

concubinatu non habebatur Concubina pro adultera, aut pellice, ſed tamquam vera uxor, ducta tamen ſine dote, & ſine ſolemnitate nuptiali, neque alio pacto ab uxore legitima diverſa niſi quod Concubina, etiamſi in conſtitutionibus, quæ Apoſtolicæ vocantur, ubi de iis agitur, qui admitti ad Baptiſmum poterant, Libro VIII. Capite 32. habetur: *Concubina cujuſdam infidelis mancipii, illi ſoli dedita, admittatur; ſi autem cum aliis petulanter agit, rejiciatur*, Concilium Toletanum I. anno 400. celebratum ita ſtatuit: *ſi quis habens uxorem fidelem, Concubinam habeat, non communicet. Ceterum, ſi, qui non habet uxorem, & pro uxore Concubinam habet, a communione non repellatur. Tantum, ut unius mulieris, aut Uxoris, aut Concubinæ, ut ei placuerit, ſit conjunctione contentus: alias vero vivens abjiciatur, donec deſinat, & per pœnitentiam revertatur*, S. Iſidorus, qui ſexto exeunte ſæculo, & ineunte ſeptimo florebat, in Libro de diſtantia novi, & veteris Teſtamenti Cap. 5. ſcripſit: *Chriſtianos non dicam plurimas, ſed nec duas ſimul habere uxores licitum, niſi unam tantum, aut uxorem, aut certe loco uxoris, ſi conjux deeſt, Concubinam*. Ex quibus Calviniani cum Beza ſuo illicitas olim conjunctiones fuiſſe ab Eccleſia permiſſas criminati ſunt; eamque calumniam mox reſtaurare non erubuit in adnotationibus ad Caput XIII. Sermonis II. ſui Operis Helvetius.

130. Secundus concubinatus, cui indulgebant Canones, & Patres nihil aliud erat, quam clandeſtinum veluti, & minus principale matrimonium carens quidem ſolemnitatibus, & civilibus effectibus juſti matrimonii, habens tamen hujus vim, naturam, & eſſentiam, ideoque a fornicaria, & illegitima conjunctione diverſiſſimum, quippe hac in conjunctione non habebatur Concubina pro pellice, aut adultera, ſed tamquam vera uxor ducta ſine dote, ſine nuptialibus ſolemniis, neque alio pacto ab uxore legitima diverſa, niſi quod etiamſi conjugali affectu uxor eſſet, non tranſibat tamen in familiam Mariti, neque ea participabat jura, privilegia, & honores, quorum conſors, uxor ducta cum ſolemnitatibus fiebat.

131. Permiſſus ille Concubinatus pro Hebreorum olim, Græcorum deinde, & Romanorum, denique pro Goticis, Longobardis, & Francorum Legibus, & moribus in uſu fuit: immo apud Infideles etiam Novi Orbis Incolas, qui Concubinas ſine ſolemnitate, uxores cum cæremoniis ducebant, teſte Apoſtolo a vera Cruce, Parte II. Speculi Conjugiorum Articulo 3. quod ad Hebreos adtinet, ſexcenta proſtant ſacris in literis exempla; nam Agar, Cethura, Bala, & Zelpha, ſicut Concubinæ Davidis, & Salomonis aliæque plurimæ, modo Concubinæ, modo etiam Uxores appellantur, quia ut ait Divus Thomas in IV. ſententiarum Diſtinctione 33. Quæſtione I. Art. 3. revera coram Deo loco Uxorum erant, licet uxorium jus perfecte non participent, quales erant quæ ſervæ, & Ancillæ, etiam Conjugalem in thorum receptæ, remanebant, & quorum filii ad hæreditatem non admittebantur, cujuſmodi fuit Agar. Legimus Libro Regum 2. cap. 20. poſtquam ad Concubinas Davidis ingreſſus fuit Abſalon, Davidem ad eas amplius ingredi noluiſſe, ſed eas tradidiſſe in cuſtodiam, *ut clauſæ manerent uſque ad diem mortis ſuæ in viduitate degentes*. Inde jure colligunt ſacri Interpretes, eas fuiſſe vere Uxores, quum in Concubinis non Uxoribus locum non habeat Viduitas.

132. Romani quoque juſtas Nuptias non dicebant, niſi quoties aut conſecratio, aut ſolemnitas quæ, ad Pontifices tantum pertinebat, aderat, aut coemptio per æs, & libram fiebat, aut denique uſucapio conteſtatione liberorum ſuſcipiendorum auſpicato facta intercedebat. Hinc eleganter Ælius Verus Imperator, referente in ejus vita Sparciano, pronuntiavit: *Uxor dignitatis nomen eſt, non voluptatis*. Quum vero innumeri eveniant caſus, in quibus Nuptiæ citatis ſolemniis celebrari non poſſent, Concubinatus juxta Legis naturalis ſimplicitatem fiebat, in quo maritalis affectus erat abſque diviſione thori, nemine conſuetudinem interturbante, & cui nihil aliud oberat, quominus juſtæ Nuptiæ dicerentur, quam una Legum ſubtilitas, & ſolemnitatum celebratio. Caſtigatiores immo Judæis fuere aliquando in Concubinatu ejuſmodi, Romani, dicente Paulo juriſconſulto Libro II. Titulo 20. *Eo tempore quo quis Uxorem habet, Concubinam habere non poteſt*; quia ſcilicet iſta, licet minus ſolemnis, vera tamen erat uxor. Nec a Græcis, & Romanis Legibus diverſæ hac in re fuere Gothicæ, Longobardicæ, & Gallicæ, quorum mores Populorum, quum prioribus Eccleſiæ ſæculis eſſent Chriſtianis fere omnibus communes, juriſpublici prudentia nondum ad puriſſimas Evangelii inſtitutiones undecumque & in omnibus exacta, heinc pervium erat, noſtros aliquando repertum iri in Concubinatu illo perpetuo verſantes, ſcilicet veras quidem, & legitimas, ſed ſæpenumero ductas ab illis fuiſſe ſine ſolemnitatibus Uxores.

133. Ætate noſtra, ut recte docet idem Benedictus XIV. Libro XIII. de Synodo Diœceſana Capite 13. in pluribus Germaniæ partibus fiunt Matrimonia, quæ dicuntur ad *Morganaticam*, eaque ſunt, quibus vir nobilis coram Parocho, & teſtibus, obtenta a Proclamationibus diſpenſatione, Uxorem ex humiliori ordine ducit, addita conditione, ut tam mulier, quam filii ex ipſa naſcituri nihil ſibi juris ex tali matrimonio acquirere poſſint, præterquam ad ea, quæ ad victum ſunt neceſſaria. Hujus conditionis vi, & Mulier a participanda viri dignitate excluditur, & filii omnibus titulis, muneribus, & paternorum, avitorumque bonorum ſucceſſione extranei

cen-

Digitized by Google

cenſentur. Apud nos Italos pro hodierna Eccleſiæ Diſciplina, antiquato per Canones, & Canonicas Leges illo, de quo diximus, Concubinatu, permittuntur frequenter Matrimonia conſcientiæ, quibus ſcilicet Vir, & fœmina coram Parocho, vel altero Sacerdote, ab eo, cui hæc ſit auctoritas, deputato, & duobus ſecretis, & familiariſſimis teſtibus, ſed omiſſis ex indulto denuntiationibus; occulto, ac ſecreto Connubio junguntur. Omnis cura adhibetur, ut hæc Matrimonia occulta remaneant ad evitandam hominum improbantium dicteria, aliaſque moleſtias, quas facile ſubirent Conjuges, propterea quod alter ex iis nobilis ſit, ignobilis alter, obſcuræque familiæ; & quia non palam innoteſcunt, Matrimonia conſcientiæ dicuntur, quæ a Concubinatu, de quo dicebamus, differunt, quod Concubinatus eſſet veluti publicus, a civilibus olim legibus permiſſus, & veluti legitimus contractus, ſed dignitate carens Sacramenti. Ad veras igitur illas, legitimaſque inferioris licet conditionis, eo temporis uxores reſpexiſſe Synodos, & Patres, dum Baptiſmum, & Eccleſiæ communionem verſantibus in Concubinatu concedebant non modo ſatis patet, ſed uberrime oſtenderunt Antonius Auguſtinus, Bellarminus, Natalis Alexander; ipſoque Bingamo, & aliis ejus generis omiſſis, Benedictus XIV. de Synodo Diœceſana Libro IX. cap. 12. quare conſequens eſt, nullam illegitimam conjunctionem fuiſſe umquam Catholica ab Eccleſia toleratam. Ex oppoſito Matrimonia conſcientiæ, quamvis civiles juxta leges tamquam non facta habeantur, juxta leges tamen Eccleſiaſticas, & diſpenſationes celebrata tecta omnino, atque occulta, ſunt adhuc vera coram Eccleſia Matrimonis, & ob Sacerdotis benedictionem habent dignitatem ſacramenti.

134. Non negabimus Patrum nonnullos conſiderantes majorem ſolemnis Matrimonii perfectionem, quod ſolum poterat inducere dignitatem ſacramenti, hortatos fuiſſe Chriſtianos, ac omiſſo hoc etiam Concubinatu juſtas contraherent Nuptias; ut enim recte ajebat Divus Ambroſius in Sermone de ſancto Joanne Baptiſta: *Si talibus moribus mulier prædita eſt, ut mereatur Conſortium, mereatur ex nomine Uxoris*. Verum ex adhortationibus illis male conſequutus eſt Mendozs in adnotationibus ad Concilium Illiberitanum, ita Concubinatum, quo de agimus prioribus Eccleſiæ ſeculis damnatum fuiſſe.

Digitized by Google

APPENDIX I.

AD REM SACRAMENTARIAM.

EPISTOLÆ V.

De quorundam Sacramentorum adminiſtratione apud quoſdam Orientis Populos.

AD calcem Epiſtolarum Photii, quas Ricardus Montacutius latine reddidit, adnotationibus illuſtravit, atque edidit Londini Anno MDCLI. Auctarium proſtat Epiſtolarum V. quas ex Oriente ſecum in Angliam advexit Chriſtianus Ravius, & cum Patritio Junio communicavit, eas autem utpote ad Sacramentorum aliquot adminiſtrationem quoquomodo pertinentes hic exſcribimus.

EPISTOLA I.

OMnis veſtræ Sacerdotis ſummi perfectionis, & ſpiritualis ſapientiæ plena ſunt, cum exacta civilium rerum rite adminiſtrandarum peritia conjunctæ. Nam & ea, quæ proponebantur ad diſceptationem, ad Synodicum judicium referre, nec ſolertiæ ſuæ robori fidere, quamvis ſufficienti multiplex negotiorum pondus ſuſtinere; & ſopitis primum inteſtinis diſſenſionibus, ita demum ad ea, quæ extra ſunt, dijudicanda procedere, quomodo non ejus ſit qui ad divinæ ſapientiæ regulam ſe comparet? Quatuor igitur ſtatim ad examen præpoſiti Presbyteri, recte ſtatim ex juſto calculo, ab iniqua & præter rationem irrogata cenſura abſoluti ſunt; & vecordia irrationabilis in juſtam ſententiam impegit. Non enim fas eſt, non eſt, inquam, fas ex accuſatione ſola, ſive exiguum, ſive magnum, ſive etiam maximum crimen eſt, cujus intentio demonſtrationem non habeat, ob illud vel Sacerdotem gradu moveri, vel irrogari cenſuram. Multum ſane lucrati eſſent Sycophantæ, ſi quos intentorum criminum reos peragere non potuerunt, eorum pœnas pendere quaſi convictos viderent. Quis enim exitus ſit, ſi hæc ratio obtineat, quo immerito accuſari manus Sycophantarum evadant? Non convictos igitur de eis quorum accuſabantur, mediocritas noſtra, ſecundum veſtram, quæ ab initio proceſſit ſententiam, omnis condemnationis immunes dimittit. Qui autem intentis criminibus teneri deprehenſi ſunt, ſive ſeculares, ſive in eadem cauſa verſantes Presbyteri, hos, cenſuræ ad tempus inflictæ ſubjici, ſiquidem, ut diximus crimen notum factum ſit, etiam nos pronuntiamus. Quibus autem nulla indulta eſt venia, de eis non habemus quid judicemus, quibus de crimine non conſtat. De Epiſcopo autem hoc, ſecundum rationem, & Canones, & examen, & terminis proceſſit examinis. Nos autem ad conſternationem non mirari non poſſumus, quam prorſus aliena a præſenti ſermone Amaſiæ Antiſtitis literæ & narrent, & ſubjiciant. Nam aliquem ex teſtimonio ordinare, etiamſi indignus poſtea deprehendatur, ordinantem culpæ obnoxium non reddit. Atqui nihil tale iſtæ literæ demonſtrabant, quin ejus contrarium narrabant. Rectum autem erit, adeſſe & eos, qui teſtati ſunt, cum ordinationem qui incuſatur ſuſcepit, ut innocentes, & inculpati, etiam iniquius erga abſolutionem fratrum affectis, & omnino odio habentibus, demonſtrentur: & Dei Sacerdos, in nihilo eorum quæ Antiſtiti conveniunt, innovationem ſuſtineat. Synodicum autem de diſpenſatione ſcriptum; quod Archiepiſcopum Cæſareæ inſcriptum habet, & ex mente noſtra ſcriptum, & ex nutu noſtro miſſum eſt: nec quicquam, ut opinor, vel præter conſcientiam, vel ſacris ſpiritus legibus adverſum continet. Magna enim eſt differentia peccatorum ignorantiæ, ab eis, quæ a ſcientibus contra jus faſque proficiſcuntur. Sane, Sacerdotum, & Chriſtianorum defunctorum neglecta cura, & Pſalmodiæ ſacræ omiſſum debitum officium, neceſſario nos, de exacto ſacrorum Canone ad id quod eſt benignius, remittere cogit. Sed hæc forte ſuperfluum ſcienti dicere. Capitula autem definitionis ut inſtanti tempore fieri oportuit, formari decrevimus. Qui qui-

dem ante rem conteſtatam. Digamis benedixerunt, tum propter ignorantiam, tum quod nihil ab Epiſcopis de hac re conſtitutum fuerit, neque aliunde exactam Canonum diſciplinam noverint, & propterea lapſi ſunt, hi omnino, ſi nihil aliud, ſaltem, quamdiu Digamum leges ſpirituales tremendorum Myſteriorum communione prohibent, tamdiu & ipſi, qui Conjugibus præter rationem Benedictionem impoſuerunt, ſacris faciendis abſtinebunt. Niſi quæ alia implacabilis urgeat neceſſitas, & omnino vita hominis, tum tranquilla, tum notabilis: quæ ſæpenumero apud Patres noſtros æquitatis intuitu, præ exacto Canone obtinuiſſe conſtat, & Cenſuræ tempus abbreviaſſe. Mulierem autem Viro defuncto, novimus quidem a divinitus inſpirato Paulo veniam adeptam ſecundas nuptias adeundi: multæ enim ſunt mulierum infirmitates, quæ pudorem incutiant, ad naturam virilem eorum imbecillitatem exigendi. Virum autem a viſceribus Apoſtolicis eadem indulgentia dignari non novimus. Cenſura igitur ejus qui mulieri digamæ benedixerit, vel nulla omnino, vel mitior, quam ejus, qui viro. Qui autem abſolute conjunguntur mulieribus, quoniam non ſimplex actio eſt, proinde nec uniformis eſt Cenſura, nec qui ipſis benedicunt, ſub unam pœnam cadunt. Quæ quidem mulier a viro demiſſa eſt, ipſo cauſam præſtante, quod naturalis congreſſus impotentia teneretur, hæ ſi continere elegerint, melius fuerit: quod ſi vero jungi voluerint, nec illud condemnationem in ipſis habet, nec ſi quis Sacerdos nuptias earum benedictione honoret. Quod ſi fœmina eamdem cauſam præſtat, eadem *libertate* prædicta fruatur, qui prius ſolutum virum dignati ſumus. Quod ſi qui præter ætatem deſponſati ſint, deinde lex ipſos tamquam præter legem conjunctos ſeparaverit, tunc neutra perſonarum diſcendentium, quæ quidem in ordine laico cenſentur, ſi ad alias legitimas nuptias accedat, cenſuram ſubibit. Qui autem ob adulterium ejectam uxorem fecerit, ſive conjugatus, ſive cælebs, adulter eſt, & adulterii cenſuræ ſubjacet. Quod ſi ſolum propter odium citra rationem a viro invita expulſa ſit melius erit, ſi ad ſuum virum revertatur, ſin hoc, quod ipſe ad alias ſe nuptias jam explicuerit, fieri non poſſit, adulterii ipſa crimini, cum alio viro juncta, obnoxia non erit. At vero *Sacerdos*, ipſi rite benedicens, ſuper ipſa inſons non erit, ſed pœnam ejus præſtabit qui Digamis benedixerit. Citra rationem autem a conjugio diſcedere, quod auſum Lege prohibitum eſt, neque virum ad alias nuptias accedentem, inſontem dimittit, neque fœminam, quæ idem faciat. Quin potius graves pœnæ legibus conſtitutæ ſunt, ſi quis hoc facere auſus fuerit. Et manifeſtum eſt, *Sacerdotem*, qui adfuerit; & ſacra rite celebraverit in hujuſmodi nuptiis, omnino honore ſuo juxta exactam Canonum diſciplinam excidere. Sed hæc feſtinate pronunciata ſiut: quod quæ inopinatæ diſceptationi propoſita erunt conſiderationis moram non fecerant: quod ſi quid aliud veſtra ſolertia diligenti diſquiſitione perſpexerit, obtineat quod melius eſt. Et nos etiam fortaſſe, laxiori tempore conceſſo, exactius aliquid diſpiciemus.

EPISTOLA II.

SCripſit ſanctitas tua de quibuſdam polluti cibi eſu contaminatis. Cauſa autem contaminationis erat ejuſmodi. Sueverant Gentiles cujuſdam monumentum refoſſuri ad inveniendas pecunias: cum autem in caſſum laborarent, nec quicquam invenirent, dixerunt inter ſe ſe, niſi carnem mactemus, & de carnibus ejus guſtemus, non reddet nobis terra quod quærimus. Statim factum eſt quod dictum erat. Cum itaque ad interdicti cibi conſcientiam veniſſent, genibus Epiſcopi accedentes medicinam petierunt, & commiſſi peccati indulgentiam. Hæc ſunt quæ pietatis tuæ literæ narrant. Et de hac re formula ab *Eccleſia* conſtituta eſt, quadraginta dierum pœnitentia, & precibus quibuſdam abſolvi, qui huic crimini innexi ſunt. Præſens autem polluti cibi participatio alterius cujuſdam impietatis mixturam habet. Propterea enim contaminatum cibum attingere, ut terra placaretur, ſecundum inſanam eorum opinionem, crimen in majus attollit: etiamſi abſque gravioris impietatis cogitatione, ad hanc opinionem acceſſerunt. Veruntamen & hominum mores, & reliquus vitæ actæ tenor, & animi conſtitutio, tum mentis, ſive ſimplicitas, ſive ſolertia, vel producere poteſt tempus, vel curtare: cum fortaſſe poſt quadraginta dies impoſita cenſura ſit. Quod ſi ſecunda definitio producenda eſt, ſepoſitis circumſtantiis, quæ producendo, vel curtando tempori cauſam præbent, ad tres dierum quadragenas multa eorum, qui in hoc crimine deprehenſi ſunt, redigenda erit: præter reliquam vitus auſteritatem, ac tremendorum Myſteriorum abſtinentiam.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA III.

NOn idcirco Antiſtiti ſignificavimus, ut certiores fieremus, num ſciens Epiſcopus adulterum ſacra facere permiſiſſet, quod & grave eſſet; ſed num ipſum adulterum eſſe ſciens ordinaſſet. Ille autem, cujus nos certiores fieri velle ſignificavimus, de eo nihil nos docuit, quod autem nemo quærebat, hoc renunciavit. Verumtamen, ſiquidem ipſum adulterum eſſe ſciens ordinavit, omnino & Epiſcopatu, & Sacerdotio excidit. Quod ſi ignorans adulterum eſſe eum ordinavit, tum certior factus, ad tempus quidem abſtinuit; deinde ſacra facere permiſit, etiam ipſum quidem ad tempus ſacris faciendis abſtinere oportet. Aliud enim eſt Deum contemnere, aliud errore deceptum videri legem obſervaſſe, etiamſi non obſerves. Ceterum ad tempus abſtinere ipſum decrevimus, ſi reliqua ejus merita, & virtutis copia, hujuſmodi lapſum compenſare videantur: ſin, in perpetuum cenſuræ ſubjacebit. Hæc autem dicimus, non ſi Antiſtes ipſius dicat quod ipſum adulterum eſſe ſciens ordinavit; vel quod poſtquam ordinaſſet certior factus adulterum eſſe, cum ipſum ad tempus abſtinuiſſet, deinde ſacris [illegible], ſed ſi ipſe teſtibus fide dignis & inculpati convictus, vel non convictus, ſed ore ſuo aſſenſus ſit, & convictus. Hæc igitur mediocritas noſtra convenire cenſuit: de ipſo autem ſanctitas veſtra quod hortatur, conſtituet: in vero mihi in Domino vale.

EPISTOLA IV.

ADmiratio quidem nos invaſit, ac ſtupor ſuper tanta deliratione & vecordia, nec non inſulſitate, atque enormitate Antiſtitis, etiam vetera quidem veſtigia ejuſmodi affectuum memoria recolentes. Verum duratio atque incrementum præcedentium, de præſentibus, tamquam præter opinionem factis, perturbationis nobis materiam præbuerunt. Ceterum moleſtia non vacat; ſingulorum cauſas particulatim inſiſtere, quod ſæpius diximus & nunc etiam dicimus. Quod cum peccatores nos peccatrices manus capiti tuo impoſuimus, gratiam ſancti Spiritus Antiſtiti propriam implorantes, (non noſtræ manuum impoſitioni, ſed ſupernæ benignitati, & tuæ ipſius virtuti confiſi, ſuperventurum ipſius nos benedictione ditaturum) non ſolum quæ in Eccleſia illegitime, & contra Canones ab ipſius Antiſtite procedunt, ſed quæ ab alio quopiam, ſimilem animi ſententiam demonſtrante, hæc omnia a ſua Antiſtitis perfectione, (tamquam humilitate noſtra præſente, & ſpirituales leges adjuvante), reprimi, ſuſlaminari, & in meliorem, ſive optimum ſtatum reformari præcipimus. Non nobis nunc hujuſmodi ſpiritualem poteſtatem largientibus, ſed ſancto Spiritu tunc eam conferente, cum gratiam ſummi Sacerdotii donaret. Abſolvantur igitur præter rationem vinculo ſubjecti ab iniqua damnatione, & ad legitimum cultum reformentur: & qui degradationem legibus contrariam paſſi ſunt, iniquo Decreto ceſſante, in Sacerdotio adminiſtrando pergant: & qui hæc imprudenter admiſit, maxime quidem, quia corporis paſſiones congruos animi affectus exprimunt, dicat ſi poteſt ſermonis exhortatione, ſin minus, ſeveritate ab eo quod juſtum eſt non recedere. Idcirco Epiſtola ad eum jure, & recte deſtinabitur: poſtquam, niſi ſanior evadat, ſacra facere, & inanimata adminiſtrare nondum prohibeatur, cenſuras autem irrogare, & animatos ad regulas exigere, ipſe inanimis, poteſtate nobis a Spiritu ſancto indulta ne permittatur.

EPISTOLA V.

PErvenerunt ad nos literæ ſanctitatis tuæ Deo dilectæ, poſtulantes a mediocritate noſtra ſententiam ferri de Presbytero, qui præter voluntatem Parentum, non expectato eorum conſenſu, liberos ipſorum coronaverat. Quorum poſtea ſtudio ſeparati, cum aliis perſonis ad nuptiarum communione cum veniſſent, opera parentum ab alio Presbytero benedictionem acceperint. De primo itaque Presbytero ſic decernimus: ſi quidem contrariæ Parentum voluntatis ignarus, ex inſcitia, in coronandis iſtis quæ convenerunt perſonis, in errorem lapſus ſit, talis cum ſit, non prorſus latæ culpæ obnoxius, tamquam de voluntario peccato damnandus eſt: non tamen tamquam omnis culpæ expers dimittendus; oportuit enim ipſum accurate ſciſcitatum reſciviſſe, num voluntate Patrum, qui ad nuptias coibant, conjugium contraherent. Idcirco ordinis ſui jactura talis non ſubjicitur, ſed ad tempus conſtitutum ſacro celebrando prohibebitur: tum, eam, quæ in reliquis cernitur, auſteritatem, jejuniis ſcilicet atque orationibus

 ſubi-

ſubibit. Tempus autem pœnæ ſubeundæ, vel ad quadraginta dies, vel bis totidem extenditur, pro ratione ipſius in pœnitentia fervoris; ne amplius in ejuſmodi quid delicti, ex incuria, animique ignavia incidat. Hoc igitur obtineat, ſi ad inſcitiam peccatum referat. Quod ſi voluntatem Patrum conſenſui huic & conjugio adverſari ſciret, & ejus non ignarus, tum naturalem legem, tum ſpiritualem contempſit, quorum uterque irritum conjugium pronunciat; Parentibus aſſenſus ſui ſuffragium non ferentibus, pœnæ rite obnoxius eſto. Si tamen Parentes, poſtquam ætas liberorum per leges idonea ad nuptias eſſet, dilato per longum temporis ſpatium conjugio, neceſſitatem ipſi liberis præbuerint, etiam invitis Parentibus ad nuptias accedendi, tum nec leges hujuſmodi nuptias irritas faciunt, & qui intereſt Sacerdos, & eis benedicit, nulla culpa tenetur. Ratum autem fit hujuſmodi conjugium, Judice ex cauſæ notitia, cuſtodiam liberorum, & legitimam ipſorum voluntatem improbitati Parentum præferente. De primo itaque Presbytero, iſti nobis Jus ſuggerit. De ſecundo autem nec ſimplex eſt conſideratio. Nam ſi conjugii prioris ignarus fuerit, nullo jure culpæ tenetur. Præſentia enim Parentum in nuptiis magnum momentum illi ad abſolutionem impendit, quia ideo ante actorum inquiſitionem non venit, quod præſentia Patrum ea ad examen revocari non ferret. Quod ſi factum conjugium, & ſecutam culpam carnalem noverit, quoniam quaſi ex neceſſitate non ſunt in cœlibatu continendi qui a priore conjugio diſceſſerunt, ſed legitimo conjugio vinciendi, ne in fornicatione verſentur, non quidem ad finem arcebitur ſacrorum Præſidatu qui nuptias conſecravit, ſed moderatiores quaſdam pœnas ſubibit. Scilicet quod cum factas ante nuptias manifeſtum eſſet, quæ quidem fornicationis crimen evadere non poſſunt, auſus ſit eo qui flagranti peccati crimine, tenebantur, tamquam puros & inculpatos, Sacerdotali benedictione dignari, & virginitatis coronis, eos, qui ipſam male diſpoſuerant, ornare. Quod ſi prius conjugium ex aſſenſu Parentum proceſſerit, a quo deinde, præter rationem, diſceſſerit, prior quidem Presbyter omnis culpæ abſolvetur: ſecundus, ſive interfuerint Parentes, ſive non, Sacerdotio excidet. Nam alienum a Legibus ſacris conjugium, nec abſentia & diſſenſus Parentum facit, nec præſentia & aſſenſus, aut quod profanatum eſt ſanctitati reſtituit.

Digitized by Google

APPENDIX II.

De Sacramentorum Adminiſtratione, & uſu apud Congum, Matambam, & Angolam Æthyopiæ inferioris Occidentalis regiones.

IN Æthyopicis Occidentalibus regionibus ſacras Apoſtolicas exercebant Miſſiones, ſeu Chriſtianæ religionis prædicationem, & animarum curam ante Societatis Jeſu Alumnos Fratres Minores S. Franciſci Capuccinorum, quarum hiſtoriam accurate P. Joannes Antonius Caratius a Montecuculo ejuſdem Ordinis typis Bononienſibus anno 1687. nobis dedit. Libro itaque quarto illius operis pag. 463. hæc ſcribit die 30. Martii. Navis, quæ a nobis diſceſſerat, nempe ab Angola Ulliſſiponam acceſſit, ibique apud Regem Portugalliæ a Fr. Bonaventura a Sorento de rebus Miſſionum Apoſtolicarum nonnullis expoſitis, & communicatis die ultima Aprilis iterum navigatione ſuſcepta, octava Junii anni 1650. Mercurii die infra octavam Pentecoſtes, quum ex unaquaque Ordinis Capuccinorum Provincia, pro Comitiis generalibus celebrandis, Vocales collecti habebantur, Romam venit, ita ut ab Angolæ loco Romam uſque ſex menſium iter confectum ſit. Ad pedes Sanctiſſimi Patris D. Innocentii X. provolutus eſt F. Bonaventura, litteras Regis Garziæ obtulit, ipſique Summo Pontifici ſtricte de rebus illarum Miſſionum ſermonem habuit, quem poſtea apud Cardinales Congreg. de propaganda fide fuſiorem tenuit, munerique ſui partes, ut exequeretur, dubia quædam propoſuit circa Sacramentorum adminiſtrationem, quibus poſt maturum examen ſacra Congregatio per Proſperum Fagnanum reſpondit. Dubia autem, & reſponſiones heic damus.

§. I.

De Sacramento Baptiſmatis.

I. AN adulti qui rudes, & pene hebetes habentur, quique myſteria Religionis Chriſtianæ addiſcere haud valent; Sacerdotum vero copia deeſt, baptizari poſſint in fide Eccleſiæ, ut pueri baptizentur, dicentque ſe credere, quod Sancta credit Eccleſia?

Reſp. Quum habeant liberum aſſenſum baptizentur quamvis rudes adeo, ut addiſcere nequeant, quæ neceſſario ſciri debent; quia ſicut pueri, & amentes, quibus rationis uſus impeditur, baptizantur in *Fide Eccleſiæ*, ita baptizari poſſunt hi qui a naturali hebetudine impediuntur.

II. Cum aliqui obſtinati adſint peccatores publici idololatræ, & concubinarii, qui filios parvulos ad baptiſma adducunt, quæritur num debeant baptizari ob mortis periculum, quamvis evidens quaſi argumentum ſit, experientia duce, eos præverti, dum majores evadent?

Reſp. Baptizentur, quia adeſt periculum mortis, & ea præverſionis probabilitas fallere eos utique valet.

III. An ad incutiendum timorem, & refrenandos publicos peccatores, & ſcandaloſos negari tuta conſcientia poſſit eorum filiis baptiſma, excepto mortis periculo, ut hoc parentibus proſit?

Reſp. Baptizandi ſunt filii parentum ſceleratorum, cum æternæ damnationis periculo exponendi non ſint innocentes filii.

IV. An neceſſario nomina baptizatorum inſcribi in regeſtis debeant, cum diſcerni plerumque nequeant, nullum habentes nomen, nec agnomen, & cum hoc non parum in Miſſionibus, & itineribus magnis difficile experiatur.

Reſp. Curandum eſt quantum fieri poteſt, nihilque omittendum, ut baptizatorum nomina in regeſtis Miſſionum, vel unius, aut alterius Eccleſiæ inſcribantur.

V. An admittendi ſint, & poſſint patrini, qui neſciunt *Pater Noſter, vel Ave Mariæ*, & ſignum Sanctæ Crucis ſciant, ob neceſſitatem, & ubi nullus alius adinveniri poteſt?

Reſp. Ob neceſſitatem, & dum nullus alius reperiatur, tales admittantur patrini.

VI. An differri poſſit baptiſma, ut uſus ſervetur oblationum, ſeu eleemoſynarum, quas ob baptiſmatis collationem, offerre ſolent?

Reſp. Cujuſcumque rei temporalis intuitu negandum nullo modo, nec differendum eſt baptiſma.

§. II.

De Sacramento Pœnitentiæ.

I. AN illi, qui non habent commoditatem interpretum pro auriculari ſacra Confeſſione confeſſario ſignificanda, & proponenda, aut nolunt interprete uti, aut iſtis quid donent, non habent, poſſint confiteri peccata, quantum idiomatis, & linguæ eorum difficultas permittit, & abſolvantur nihilominus ab omnibus ipſorum peccatis, commiſſis, & omiſſis non ſolum in *mortis articulo*, aut ut Eccleſiæ præceptum adimpleatur, ſed etiam alias propria ducti devotione.

Reſp. Fieri utique licebit, ſi ob pauperiem, aliamque cauſſam interpretem habere nequeunt; at ſi poſſunt facili negotio invenire, illum ipſum curent, ut completam exerceant confeſſionem.

II. Cum gentes illæ non agnoſcant niſi notiora crimina, quibus expoſitis nihil aliud habent; quæritur num Confeſſarius facto diligenti examine, famæ, reique alienæ, aut concubinarum, attendere poſſit, ut pœnitentem ad contritionem diſponat, qua maxime indigent, aut novis interrogationibus de aliis peccatis inquirere?

Reſp. Hoc in caſu Confeſſarius ita ſe regere debet, ut ſpectatis Perſonarum qualitate, neceſſitate, & diſpoſitione ad pœnitentiam, interroget moraliter quantum opus eſt ad pœnitentem illuminandum, ut ipſemet Confeſſarius ſtatum illius quantum fieri poteſt cognoſcat.

III. Cum rudis admodum ſit populus illarum gentium, & hebes, quæritur an Confeſſarius tuto ſe gerens, uti poſſit ſemper abſolutione conditionata, quin verbis conditionem exprimat, ſed intentio naturaliter tantummodo.

Reſp. Non eſt conditionata abſolutione, niſi in caſu juſti dubii, & ambiguitatis, utendum.

IV. Cum experientia conſtet, quod cum concubinas non habent, facili negotio ad Confeſſionis tribunal accedant, obedientiam Sacerdotis conſiliis præſtent, quæritur ſi vir, aut mulier ſine peccato publico in mortis articulo exiſtat, quin loqui, aut ſignum aliquod exhibeat liceat ipſum ſub conditione abſolvere, ipſumque extremæ unctionis Sacramento munire?

Reſp. Sine ullo actuali ſigno, nec præterito, pœnitentem velle, vel optaſſe abſolutionem, non eſt impartienda abſolutio, nec etiam conditionate; prudenter propterea Sacerdos agat Parentes examinando, & circumſtantes cum poſſit ipſe ſignum aliquod pœnitentiæ habere.

V. Quid agendum a Confeſſario cum illis, qui ſæpe promiſerunt relinquere occaſiones Concubinarum, nec unquam obſervarunt, ſi iterum polliceantur, aut tranſeuntes habeantur, quique nonniſi poſt diuturnum tempus videre confeſſorem valeant, aut confeſſarius pœnitens eſt; nec dimittere ſine ſcandalo poteſt Miſſæ celebrationem, & ſæpe concubinæ ſunt famulæ Domeſticæ, & Dominus dicit ſe diem opportunum expectare, ut eas vel vendat, vel nubat; vel tandem erit filius, aut famulus, qui peccat cum Domeſticis ſervabus; nec facultatem vendendi eas habet, aut alterius opportuni remedii?

Reſp. Omni quam poteſt diligentia utendum, ut occaſionem deſerant peccandi, & licet alias promiſſiones non obſervaverint, ſi iterum promittant, abſolvantur.

VI. Si quis poſt datam filiam principi Domino ſuo in concubinam, cum aperte cognoſcat peccatum, velit eam ad ſe vocare, ſed neſcit, nec valet, quin vitam propriam amittat, aut ſaltem Domini gratiam, bonaque ſua damnum incurrant; quæritur num obligandus ſit ille pœnitens, ut tantum damnum, vel periculum incurrat?

Reſp. Pœnitens omnem diligentiam habeat, eaque utatur, ſed non tenetur tanto ſui periculo: ſed habeatur in præparatione animi, ut dum primum poterit, confeſſario parebit.

VII. Servus, aut liber, ſubditus ſi a Domino cogatur jusjurare, ſumendo in ore rem aliquam, ut mos eſt illarum gentium, aut ſiſtere coram aliquo Domino, ut videat nec ne magum eum eſſe, præſtigiatoremve, poſſit ſine peccato actum illum externum facere, & publicum, licet interiori animi ſenſu Deo polliceatur, ſe non intendere peccatum committere; quæritur an hoc liceat?

Reſp. Actus externus, qui in proteſtationem interni fit, non eſt excuſandus intentione id faciendi contra voluntatem, eo magis quod ſcandalum adeſt.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

De Sacramento Euchariſtiæ.

I. An dari ſancta communio debeat illis, qui licet credere ſe profiteantur omnia, quæ de Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento proponuntur; ipſique edocentur, videntur tamen perfectum ſermonem, veramque tanti myſterii notitiam haud habere, ut ſæpe ipſis exhibendum, porrigendumque dubitent Sacerdotes.

Reſp. Porrigendum ſemper, cum quilibet facit quantum poteſt.

II. An neganda ſit communio iis, qui quamvis occaſione peccandi non impediantur, poſtulant ſingulis hebdomadibus una die communicari, quin perfectam vitæ rationem ſervent, fervoris devotionem, & ædificationem, ſed vitam agunt communem.

Reſp. Confeſſarii diſcretioni remittatur, nec enim generalis, & certa regula eſt.

III. Alicubi nonnulli, ut boni videantur, fidelesque Chriſti ſectatores decipiunt Confeſſarios, negantes ſe habere concubinas, cum tamen habeant. Quæritur an neganda aliis ejuſdem loci communio erit, metu tantum quod cæteri etiam decipiant.

Reſp. Non eſt hac de ratione deneganda communio.

IV. An inſufficientia populi circa Euchariſtiam, & ſpurcities, ac pauperies Domorum materialium, quin tractari tantum poſſit Sacramentum ut decet, & in regionibus noſtris conſueſcit fieri, excuſet, & tuto ſe gerat Parochus, qui his de cauſis negat viaticum infirmis deferre?

Reſp. Spurcities exterior non debet adminiſtrationem tanti ſpiritualis, divinique auxilii retinere, & procul ire, quia ſi infirmus ille ad Eccleſiam accedens, ipſi communio non denegatur, etiam domi eamdem petere, eidemque dari ipſa decet.

§. IV.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

I. In longinquis regionibus, ubi haud morantur Epiſcopi, nec quotannis Oleum Sanctum, ſeu infirmorum haberi poteſt, an Parochus ab eo adminiſtrando infirmis excuſetur, aut oleo veteri utendum ſit, uſque dum novum accipiat, curetque?

Reſp. Diligenter agendum, ut novum quotannis habeatur, atque uſque dum hoc habeatur, vetere eſt utendum; nulla propterea excuſatio.

II. In aliquibus regionibus, ubi Chriſtiana religio primum introducta eſt, & Sacerdotes hoc Sacramento uſi non ſunt, infirmi non illud poſtulant; quæritur an hoc debeant deferre, & infirmis porrigere, neceſſitatem, & vim ejus declarando, cumque infirmi illud optent, non denegetur?

Reſp. Immo Sacerdos de hoc Sacramento infirmum inſtruat, & cum illud optet, ipſi porrigatur.

§. V.

De Sacramento Matrimonii.

I. An licite dimitti valeant Publicationes conſuetæ aut ratione occulti Matrimonii, aut quia tempus deeſt, cum hi transgrediantur, nec hoc cognoſcunt impedimentum.

Reſp. Non dimittant omnino, ſed fiant prout meliori fieri poteſt modo.

II. An Sacerdos conjungere in Matrimonium ſervos, aut Vaſſallos valeat, qui ad contrahendum Matrimonium a Dominis ſuis inducuntur, quique niſi parendum foret, non illud contraherent. At dum hi diſponuntur id faciendum ſcilicet Dei amore, & gloria annuunt. Jubet autem Dominus ut eos a peccato arceat?

Reſp. Conjungendi ſunt, quia diſpoſitio proxima confirmat remotam.

III. Cum mos in illis locis ſit, quod Homo Mulierem emat a Patre, aut Matre, quæque empta remanet in viri poteſtate, nec amplius ſit libera; rei domeſticæ narrat, uxoris nomine nuncupatur; licet verum Matrimonium actum non ſit; quæritur quo nomine talis mulier vocanda ſit, non eſt vera uxor, quia deeſt vinculum reciprocum indiſſolubilitatis; nec eſt concubina, quia non eſt libera, nec ſuo lubitu poteſt diſcedere, & abire?

Reſp. Quilibet eam appellet, ut moris eſt, aut

aut ut magis libet; rei tamen veritate ſemper gradum concubinæ, non veræ uxoris tenet.

IV. Cum Congi Regnum pauciſſimos habeat Sacerdotes, ita ut aliqua loca uſque ad ſex, & etiam octo annos Sacerdotem non videant, eſtque opinio quod non poſſit homo ſine fœmina vitam agere; & e contra: quæritur an doceri poſſint, quod ſi mulierem habere velint, viciſſim conveniant *de non dimittendo* coram teſtibus, ut dum Sacerdos venerit Eccleſiæ ritu firmetur. Poſſunt ne ita hæc fieri tuta conſcientia, & inculpabiliter?

Reſp. Non eſt hæc conſuetudo introducenda, neque talis edocenda contra præcepta Concilii Tridentini.

V. Cum plures contrahant Matrimonium cum ſervabus; quæritur an hic homo prius liberam facere debeat ſervam, dein in Uxorem ducere; vel ſi in Matrimonio libera habeatur?

Reſp. Licet homo Matrimonio Mulierem in Uxorem jam factam declaret liberam, facto id intelligitur, licet convenientius ante Matrimonium id ageretur.

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX
CAPITUM ET PROPOSITIONUM
Quæ in hoc II. Volumine continentur.

DISSERTATIO V.

De Pœnitentia. pag. 3

CAPUT I.

De variis Pœnitentiæ nominibus, ejuſque diſtinctione, ac definitione. ibid.

CAPUT II.

De Pœnitentia prout eſt virtus. 4

CAPUT III.

Datur revera Pœnitentia Sacramentum a virtute Pœnitentiæ diſtinctum, ubi Eccleſiæ poteſtas abſolvendi a Chriſto data contra hæreticos evincitur, nullaque peccata irremiſſibilia eſſe defenditur. Calviniſtarum argumenta contra abſolvendi judiciariam Poteſtatem Sacerdotibus a Chriſto traditam. 5

De Confeſſione Auriculari.

CAPUT IV.

De materia Sacramenti pœnitentiæ. Antiquiſſimam eſſe de Confeſſione Auriculari Doctrinam oſtenditur. 12

CAPUT V.

Hujus Doctrinæ neceſſitas ex praxi, & fide perpetua Fidelium propugnatur, ubi de Nectarii Celebri Hiſtoria diſſeritur, & vindicatur. 15

CAPUT VI.

Argumenta contra perpetuam Confeſſionis praxim Dallæi proponuntur, & diluuntur. 17

CAPUT VII.

Nullus Theologus, & Canoniſta Orthodoxus de neceſſitate Confeſſionis auricularis dubitavit. 19

De Contritione.

CAPUT VIII.

Perfecta Contritio cum Sacramento Pœnitentiæ non eſt neceſſaria. 20

CAPUT IX.

De attritione cum dilectione Dei inchoata, ſeu initiali. 22

CAPUT X.

An ſtatim, atque peccavimus Pœnitere teneamur. 24

CAPUT XI.

De miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ: non Laici ſed Sacerdotes ſunt hujus Sacramenti Miniſtri. 26

CAPUT XII.

Poteſtas abſolvendi Epiſcopis, & Presbyteris ab Apoſtolis derivata, non ſoli Eccleſiæ, ut Janſeniſtæ defendunt. 27

CAPUT XIII.

Numquam Diaconos abſolviſſe Sacramentaliter demonſtratur. 30

CAPUT XIV.

De Confeſſione facta Laico. 31

CAPUT XV.

Præter poteſtatem Ordinis neceſſaria eſt in Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ poteſtas juriſdictionis contra recentes nonnullos, qui poteſtatem Ordinis, & juriſdictionis unam eſſe contendunt validamque abſolutionem ſi non licitam dicunt. Ubi de Caſuum reſervatorum Auctoritate, & poteſtate requiſita. 33

CAPUT XVI.

De Sigillo Confeſſionis Sacramentalis. 35

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVII.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ. 37

CAPUT XVIII.

De Subjecto Sacramenti Pœnitentiæ. 38

CAPUT XIX.

De effectibus Sacramenti Pœnitentiæ. 39

CAPUT XX.

Satisfactio Sacramentalis omnino neceſſaria ex ſacris litteris demonſtratur. 40

CAPUT XXI.

Idem argumentum ex SS. Patribus illuſtratur. 41

CAPUT XXII.

Poteſt equidem homo aliquam pro peccatis Deo exhibere Satisfactionem. 43

CAPUT XXIII.

Poteſt unus pro altero ſatisfacere. 45

CAPUT XXIV.

De Tempore, modo, qualitate, & quantitate ſatisfactionis. 47

CAPUT XXV.

Colligitur explicatos actus conſtituere Sacramentum Pœnitentiæ. 48

DISSERTATIO VI.

De Indulgentiis. 50

CAPUT I.

De Nomine, & exiſtentia Indulgentiarum adductis ex Binghamo, Bejero, & Bohemero Hetherodoxis hominibus teſtimoniis. ibid.

CAPUT II.

De Theſauro Eccleſiæ. ibid.

CAPUT III.

De poteſtate quam habet Eccleſia concedendi Indulgentias. 52

CAPUT IV.

Quibuſnam competat facultas concedendi Indulgentias. 56

CAPUT V.

De iis, quæ neceſſaria ſunt ad effectum Indulgentiarum conſequendum. 57

CAPUT VI.

Non qualibet cauſa pia, ſed neceſſaria, & proportionata ad valorem Indulgentiæ requiritur. 60

CAPUT VII.

De Indulgentiis pro Defunctis. 63

APPENDIX.

De Purgatorio contra Vindetum aliosque Novatores. ibid.

PROPOSITIO.

Indulgentiæ in favorem Defunctorum per modum Auxilii, & ſolius ſuffragii conceduntur, non vero judicialis poteſtatis & abſolutionis. 64

DISSERTATIO VII.

De Sacramento Extremæ Unctionis. 68

CAPUT I.

De nomine, & eſſentia Sacramenti Extremæ Unctionis, deque Heterodoxis, qui illud negavere. ibid.

CAPUT II.

Extrema Unctio verum, & proprium eſt novæ legis Sacramentum. 69

CAPUT III.

Idem argumentum magis illuſtratur. 74

CAPUT IV.

Hoc extremæ Unctionis Sacramentum non ab Apoſtolis, ſed a Chriſto inſtitutum fuit. 75

CAPUT V.

De materia hujus Sacramenti, ubi de oleo Conſecrato differitur. 78

CAPUT VI.

De Forma Extremæ Unctionis ubi nonnullarum Eccleſiarum vetuſtiſſimæque liturgiæ recitantur. 79

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

De miniſtro hujus Sacramenti, atque a Laicis conferri poſſe negatur. 81

CAPUT VIII.

De ſubjecto Extremæ Unctionis. 82

CAPUT IX.

De effectu hujus Sacramenti. 83

CAPUT X.

De ritibus Extremæ Unctionis conferendæ. 85

DISSERTATIO VIII.

De Ordine Sacro. 89

CAPUT I.

De divina Sacri Ordinis inſtitutione, ejuſdemque dignitate. ibid.

CAPUT II.

De diſtinctione inter Hierarchicum Ordinem, & Laicale ex traditione. 91

CAPUT III.

An valor Sacræ ordinationis pendeat ab Electione facta a Populo. 93

CAPUT IV.

De Ordine generatim, Tonſura Clericali & Ordinibus Minoribus. 96

CAPUT V.

De Ordine Subdiaconatus. 98

CAPUT VI.

De Ordine Diaconatus. 101

CAPUT VII.

De Ordinatione Diaconiſſarum, ubi an Fœmina alicujus Ordinis capaces ſint diſſeritur. 103

CAPUT VIII.

De Ordine Presbyteratus. 107

CAPUT IX.

De Sacri Ordinis Charactere. 110

CAPUT X.

De Ordine Epiſcopatus, ubi de diſtinctione, & ſuperioritate Epiſcopali reſpectu Presbyterorum diſputatur. 113

CAPUT XI.

Idem argumentum ex Sanctis Patribus illuſtratur, & Divi Hieronymi Doctrina expenditur, & explicatur, agiturque num jure Divino, vel Eccleſiaſtico tantum præſtantia Epiſcoporum ſupra Presbyteros ducenda ſit. 115

CAPUT XII.

De Sacri Ordinis Miniſtro. 117

CAPUT XIII.

De Subjecto Epiſcopatus deque chorepiſcopis & neceſſitate Epiſcoporum. 119

CAPUT XIV.

De materia Ordinum Hierarchicorum, ubi Harduini opinamenta expenduntur, & refelluntur. 121

CAPUT XV.

De manuum impoſitione ſingillatim diſſeritur, defenditurque eam ſolam materiam eſſe eſſentialem Ordinum Hierarchicorum. 123

CAPUT XVI.

De ordinum Hierarchicorum forma. 125

CAPUT XVII.

De Ordinationibus Hæreticorum. 127

CAPUT XVIII.

De Ordinationibus Anglicanis. 131

CAPUT XIX.

Eccleſiaſtica Hierarchia, & Jurisdictio vindicantur. 132

DISSERTATIO IX.

De Sacramento Matrimonii. 137

CAPUT I.

De Matrimonio generatim ſpectato, deque primario ejus fine. ibid.

CAPUT II.

Eadem veritas Sacris, & Eccleſiaſticis momentis confirmatur. 138

CAPUT III.

De cauſa efficiente, & Eſſentia Matrimonii. 140

AP-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Matrimonio Beatiſſimæ Virginis, quod cum ejus propoſito, vel voto de Virginitate conciliatur. 143

CAPUT V.

De Unitate Matrimonii ex principiis juris naturalis. 145

CAPUT VI.

De Unitate Matrimonii Chriſtianorum. 146

CAPUT VII.

De dignitate Sacramenti Matrimonii. 151

CAPUT VIII.

De Poteſtate Eccleſiæ in Matrimonia Chriſtianorum. 153

CAPUT IX.

De Sacramenti Matrimonii Miniſtro. 155

CAPUT X.

De Secundis Nuptiis. 159

CAPUT XI.

De indiſſolubilitate Matrimonii. 160

CAPUT XII.

De impedimentis Matrimonii, & diſpenſationibus reſpectu illorum. 165

CAPUT XIII.

De veterum Concubinatu. 166

APPENDIX I.

Epiſtolæ quinque de Sacramentorum adminiſtratione apud quoſdam Orientis Populos. 169

APPENDIX II.

Dubia quædam propoſita, & reſoluta circa Sacramentorum adminiſtrationem apud Congi, & Angolæ noviſſime ad fidem converſas gentes. 173

Digitized by Google